B

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
30 B
4

Digitized by Google

C.62.f.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE POENITENTIA DISSERTATIONES THEOLOGICÆ.

In quibus ex SS. Patribus antiquus circa pœnitentiam Eccleſiæ ritus explicatur, & hodiernus vindicatur.

Contra nouas huiuſce æui opiniones.

Authore Patre IOANNE BAGOTIO Rhedonenſi, è Societate IESV.



PARISIIS,

Apud viduam NICOLAI BVON, viâ Iacobæâ, ſub ſigno S. Claudij.

M. DC. XLVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

[illegible] [illegible]

[illegible] [illegible]

ILLVSTRISSIMO
ECCLESIÆ PRINCIPI
IOANNI FRANCISCO PAVLO DE GONDY,

Corinthiorum Archiepiſcopo, & in Archiepiſcopatu Pariſienſi Coadiutori.

TVum conſpectum ambit hæc diſſertatio mea (ANTISTES ILLVSTRISSIME) *non tam ampliſſimæ familiæ tuæ, ſummæque dignitatis, quàm ingenij, & eruditionis ſplendore prouocata.*

Nam etſi multùm à nomine tuo præſidij, plus tamen à iudicio ſperat. Tutum eſt, & ab aperta maleuolorum oppugnatione immune, quidquid conſecratur tibi, tuóque munitur nomine: at certum, nec vlla obtrectatione violandum videtur, quidquid ingenio probatur tuo. Patere ergo, vt te huius controuerſiæ iudicem potiùs quàm patronum eligam: patere vt hæc diſſertatio mea antiqui circa pœnitentiam Eccleſiæ ritus teſtis, hodiernique vindex te vtriuſque peritiſſimum conſulat. Quod vt à te ſperarem, fecit & beneuolentia illa ſingularis, quâ Societatem noſtram complecteris vniuerſam, & inſignis humanitas, quâ edita iam à me opera ſupra meritum commendaſti.

Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ
Dominationi Tuæ

Addictiſſimus deuinctiſſimúſque

IOANNES BAGOTIVS.

SVMMA PRIVILEGII Chriſtianiſſimi Regis.

CAVTVM eſt authoritate Regis, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis intra quinque proximos annos IOANNIS BAGOTII *Rhedonenſis, é Societate* IESV, *de Pœnitentia Diſſertationes Theologicas, &c.* abſque viduæ NICOLAI BVON Typographi Pariſienſis permiſſu imprimat, aut diuendat à die publicationis horum exemplarium: qui secùs fecerit, mulcta indicta, prout ampliùs in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis die 30. Iunij 1646.

Sic ſignatum, EON.

IOANNES FILLÆVS
Prouincialis prouinciæ Franciæ,
Societatis IESV.

CVM Diſſertationes de Pœnitentiâ Patris IOANNIS BAGOTII noſtræ Societatis Sacerdotis ac Theologi, tres alij eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; poteſtate nobis à R. P. N. Generali factâ facultatem concedimus, vt typis mandentur. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Pariſiis nono Auguſti 1645.

IOANNES FILLÆVS.

Huic editioni primæ finis impoſitus fuit 15. Nouembris 1646.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
& Sectionum.

Præfatio. pag. 1

Dissertatio I.

De Pœnitentiæ Sacramentalis & Eccleſiaſticæ diſcrimine quoad materiam.

CAPVT I.

De multiplici Pœnitentia Eccleſię opiniones erroréſque varij afferuntur.

Sectio 1. *Quæſtio de qua diſputandum eſt proponitur.* page 10
Sect. 2. *De pœnitentia Eccleſiæ externa quid hæretici ſentiant.* 13
Sect. 3. *De re eadem Catholicorum quorumdam opinio refertur.* 23
Sect. 4. *Doctorum Catholicorum doctrina proponitur.* 27

Digitized by Google

CAP. II.

Quotuplex in Eccleſia Pœnitentia publica à ſanctis Patribus agnoſcatur.

Sectio 1. *Qua de Pœnitentia, quæſtio inſtituatur.* 34

Sect. 2. *Duplex in genere pœnitentia publica altera ante baptiſmum, altera poſt eum acta fuit.* 36

Sect. 3. *Multiplex Chriſtianorum iam baptizatorum pœnitentia publica olim in Eccleſia fuit.* 40

CAP. III.

Quotuplex olim in Eccleſia pœnitentia grauior publica fuit.

Sect. 1. *De pœnitentia publica nonnullis imperata differitur.* 44

Sect. 2. *Pœnitentia publica petentibus quibuſdam conceſſa olim fuit.* 48

Sect. 3. *Spontaneæ pœnitentiæ publicæ exempla afferuntur.* 54

CAP. IV.

De multiplici tam Laïcorum quam Clericorum pœnitentia canonica.

Sect. 1. *Laicorum pœnitentia aliquando ſecretior erat.* 61

Sect. 2. *De pœnitentia Clericorum.* 66

CAP. V.

De ſtatu perpetuo ſolennis pœnitentiæ.

Sect. 1. *De monaſteriorũ conuerſis & pœnitentibus.* 73
Sect. 2. *In Eccleſia ſtatum pœnitentiæ ſolemnis fuiſſe probatur.* 75
Sect. 3. *Huius ſolennis pœnitẽtiæ à canonica diuerſæ perpetuũ inſtitutũ fuiſſe amplius probatur.* 80
Sect. 4. *Eadem doctrina duobus exemplis illuſtribus confirmatur.* 83

CAP. VI.

An ſine peccatorum publica confeſſione pœnitentia publica olim acta fuerit.

Sect. 1. *In pœnitentia publica ſemper fuit exomologeſis, cuius pars fuit delicti manifeſtatio.* 86
Sect. II. *Eadem de criminis publica confeſſione doctrina confirmatur.* 92

CAP. VII.

De peccatorum grauium leuiúmque diſtinctione Sanctorum Patrum doctrina affertur.

Sect. 1. *Aliqua peccata de ſe venialia eſſe probatur.* 97
Sect. 2. *Inter peccata mortalia Patres aliqua grauiora agnoſcunt.* 104
Sect. 3. *Aliqua peccata quotidiana, aut etiam venialia à Patribus dicta ſunt quæ vere de ſe mortalia eſſe oſtenditur.* 109
Sect. 4. *Peccatorem ob peccata mortalia quidem de ſe, ſed leuiora ſponte à communione abſtinere debuiſſe docuerunt iidem Patres.* 121
Sect. 5. *Expenditur locus ſancti Auguſtini ab aduerſariis prolatus.* 128

CAP. VIII.

Pœnitentiam publicam non pro quibuſlibet peccatis verè & propriè mortalibus, ſed tantum publicis, hiſque grauioribus olim impoſitam, & ab Eccleſia imperatam fuiſſe oſtenditur.

Sect. 1. *Mea hac de re ſententia proponitur.* 137

Sect. 2. *De peccatis quantumuis mortalibus, ſi prorſus ſecreta fuerint, pœnitentiam publicam ab Eccleſia imperari non potuiſſe probabile videtur.* 140

Sect. 3. *Ob ſola crimina publica pœnitentiam publicam olim iniunctam, & per Canones Eccleſiæ imperatam fuiſſe probatur.* 149

Sect. 4. *Non pro quibuſlibet etiam publicis, ſed grauioribus duntaxat criminibus publicam pœnitentiam olim imperatum fuiſſe probatur.* 154

Sect. 5. *Patres ab aduerſariis prolati ipſóſmet refellunt, nec pro quolibet peccato mortali publico publicam pœnitentiam impoſitam fuiſſe docent.* 160

Sect. 6. *Sancti Auguſtini mens & doctrina exponitur.* 165

Sect. 7. *Sanctus Leo Magnus de eadem re laudatur.* 172

Sect. 8. *Sanctus Cæſarius Arelatenſis adducitur.* 177

Sect. 9. *Sanctus Eligius Nouiomenſis noſter eſt.* 180

Sect. 10. *Aduerſariorum dogmata ad ſancti Eligij doctrinam expenduntur.* 185

Sect. 11. *Poſteriorũ temporũ Patres proferuntur.* 187

CAP. IX.

Argumenta aduerſariorum expenſa refelluntur.

Sect. 1. *Argumentum ex criminis appellatione petitum examinatur.* 190
Sect. 2. *Aliæ obiectiones ex S. Auguſtino petitæ ſoluuntur.* 197
Sect. 3. *Sancti Ambroſius, Baſilius, & Fulbertus explicantur.* 204
Sect. 4. *Ex S. Proſpero quem proferunt aduerſarij refelluntur.* 211

CAP. X.

Totius Diſſertationis ſumma probatur ex Hugone Victorino & Hincmaro Remenſi. 218

DISSERTATIO SECVNDA.

De abſolutione pœnitentiæ ſacramentalis, & Eccleſiaſticæ duplice ac diuerſa.

CAP. I.

Quæ in iſta diſſertatione tanquam certa ſupponenda, & quæ probanda ſunt. 224

CAP. II.

De multis variiſque peccatorum vinculis.
Sect. 1. *Vinculum peccati duplex, & quod prioris generis illi ſemper connexum eſt, explicatur.* 231
Sect. 2. *Poſterioris generis vinculum, quo peccans obligari poteſt, Eccleſiaſticum exponitur.* 234

CAP. III.

De triplici peccatorum excommunicatione ab antiquis agnita. 239

CAP. IV.

De multiplici peccatorum abſolutione apud antiquos vſurpata.

Sect. 1. *Peccatorum vincula triplici modo ſoluuntur, remiſſione, ſatisfactione, & ſatispaſſione.* 247
Sect. 2. *Reatus pœnæ temporalis tribus modis ab Eccleſia tollitur.* 253

CAP. V.

De abſolutione à vinculo excommunicationis Eccleſiaſtico.

Sect. 1. *Triplici modo triplex excommunicatio olim tollebatur.* 259
Sect. 2. *Hæc doctrina Patrũ teſtimoniis probatur.* 263

CAP. VI.

De multiplici manuum impoſitione in pœnitentia olim celebrata.

Sect. 1. *Gradus pœnitentiæ publicæ deſcribuntur.* 267
Sect. 2. *Quotuplex in pœnitentia manuum impoſitio olim in vſu erat.* 273
Sect. 3. *De his manus impoſitionibus aliquæ obſeruationes fiunt.* 277

CAP. VII.

Abſolutionem quæ poſt pœnitentiam per actam dabatur, ſacramentalem non fuiſſe probatur ex fine, & effectu proprio.

Sect. 1. *Primum argumentum proponitur.* 283
Sect. 2. *Abſolutio ſacramentalis peccatorem iuſtificat, non iam iuſtificatum ſupponit.* 285

Sect. 3. *Quod abſolutio in publica pœnitentia poſt ſatisfactionem peractam data, peccatũ quoad culpam remiſſum eſſe de ſe poſtulet ex S. Leõ- proba ur.* 292

Sect. 4. *Duplex illa abſolutio & reconciliatio probatur ex S. Eligio.* 297

Sect. 5. *Alij ſancti Patres idem ipſum ſenſerunt.* 304

Sect. 6. *Lazari exemplum, & quæ eo nititur Theologorum doctrina de abſolutionis effectu iterum expenditur.* 310

CAP. VIII.

Ex altero pœnitentiæ fine videlicet Euchariſtiæ ſumptione, alia ſuperioris doctrinæ ratio petitur.

Sect. 1. *Abſolutio ſine qua Euchariſtiam peccator ſumere poteſt, ſacramentalis non eſt.* 320

Sect. 2. *Sine abſolutione poſt ſatisfactionem data publicè pœnitens viaticum Euchariſtiæ ſumere potuit.* 327

Sect. 3. *Viaticum ſine abſolutione vltima datum fuiſſe, iterum probatur.* 332

Sect. 4. *Viaticũ ſine abſolutione perfecta aliquando datum pœnitenti fuiſſe tertio probatur.* 337

Sect. 5. *Pœnitentes præter viaticum aliquando Euchariſtiam ſine vltima reconciliatione ſumpſerunt.* 345

CAP. IX.

Ex miniſtro abſolutionis publicè pœnitentium eam non fuiſſe ſacramentalem probatur.

Sect. 1. *Miniſter ſacramenti pœnitentiæ in mortis articulo eſt quilibet & ſolus ſacerdos.* 353

Sect. 2. *In abſolutione vltima pœnitentium publicorum Miniſtri munere functi ſunt Diaconi,*

atq; adeò laici aliquam in ea partẽ habuerunt. 357
Sect. 3. *Nunquam Presbyter abſolutionem illam vltimam, nec in ipſo mortis articulo ſine conſenſu Epiſcopi dare olim poterat.* 362

CAP. X.

Materia pœnitentiæ ſacramentalis non fuit eadem cum materia pœnitentiæ & abſolutionis publicæ.

Sect. 1. *Abſolutio pœnitentiæ publicæ propria pro venialibus peccatis nunquam data fuit.* 368
Sect. 2. *De confeſſione ſacramentali peccatorum venialium.* 372
Sect. 3. *Pro multis peccatis mortalibus remittendis abſolutio pœnitentiæ publicæ propria olim vſurpata non fuit.* 378
Sect. 4. *An partes ſacramenti pœnitentiæ materiales, eſſentiales & integrales dicendæ ſint.* 384
Sect. 5. *In confeſſione & cõtritione ſatisfactio aliqua continetur, quæ abſolutionem ex rei natura antecedit.* 389
Sect. 6. *Satisfactio à Sacerdote impoſita pœnitenti abſolutionem ſacramentalem ſequitur, non antecedit.* 399

CAP. XI.

Ex ritibus quibus abſolutio ſacramentalis neceſſario danda eſt, probatur eam, quæ in publica pœnitentia ſatisfactionem ſequebatur, ſacramentalem non fuiſſe.

Sect. 1. *Abſolutio abſenti data ſacramentalis eſſe non potuit.* 407
Sect. 2. *Abſolutio diu dilata ſacramẽtalis nõ fuit.* 413
Sect. 3. *An vnquam poſt ſatiſfactionem abſolutio ſacramentalis dilata fuerit.* 419

Sect. 4. *Abſolutio ſacramentalis olim ſæpius iterata eſt.* 424

Sect. 5. *Pro iterato ſacramento pœnitentiæ iidem qui opponi ſolent Patres proferuntur.* 433

CAP. XII.

Quandonam in publica pœnitentia olim data eſt, abſolutio ſacramentalis.

Sect. 1. *Nec in primo, nec in ſecundo gradu pœnitentiæ publicæ abſolutio ſacramentalis olim data fuit.* 446

Sect. 2. *Quoties olim dabatur pœnitentia, toties abſolutionis quoque ſacramentalis effectus proprius, ſeu peccati remiſſio cōceſſa eſt.* 450

Sect. 3. *Alio argumento probatur in pœnitentia data abſolutionem ſacramentalē intelligendā.* 456

Sect. 4. *Alia argumenta pro eadem doctrina confirmanda afferuntur.* 462

Sect. 5. *Sanctus Leo ab aduerſariis productus explicatur.* 468

CAP. XIII.

Vtrum aliquando ſacramentalis abſolutio peccatori alicui ab Eccleſia omnino negata fuerit.

Sect. 1. *Qui abſolutionem ſacramentalem aliquando etiam in mortis articulo negatam fuiſſe volunt.* 475

Sect. 2. *Eccleſia pœnitentiam in mortis periculo poſcenti, nemini vnquam negauit.* 481

Sect. 3. *Nemini vnquam abſolutio ſacramentalis in morte negata fuit.* 486

Sect. 4. *Exponuntur ſancti Patres qui opponi ſolent.* 495

Sect. 5. *Fauſto Regienſi reſpondetur.* 502

CAP. XIV.

De præparatione quæ adhibenda eſt, vt dignè quis ſacram Euchariſtiam percipiat.

Sect. 1. *Quadam axiomata hac de re certa ſtatuuntur.* 510

Sect. 2. *Vt quis Euchariſtiam dignè ſumat, non eſt neceſſe, vt prius ſatisfactionem pro peccatis ſibi iniunctam peragat.* 519

Sect. 3. *Eadem doctrina Patrum authoritate confirmatur.* 526

Sect. 4. *Duo conſectaria colliguntur.* 537

FINIS.

Digitized by Google

DE POENITENTIA DISSERTATIONES THEOLOGICÆ.

PRÆFATIO.

QVANTI in vita Chriſtiana momenti ſit Pœnitentia, quàm certa & ſecura eius diſciplina in Eccleſia eſſe debeat, quámque ſi qui in eam irrepſerint errores, & vitia, religioni pernicioſa ſint, is facilè intelliget, qui cogitauerit Patres Tridentinos in ſeſſ. decima quarta, in decreto de Extrema vnctione *totam Chriſtianam vitam perpetuam pœnitentiā eſſe debere* grauiſſimè pronuntiaſſe. I. Cùm enim eò ſanctior ſit religionis aliqua diſciplina, quò ad plures pertinet, & in plures vitæ humanæ partes, latiúſque funditur; quid hoc Pœnitentiæ inſtituto ſanctius eſſe queat, quod non ſolùm adultos, ſed etiam infantes ipſos, nec Sacramento Baptiſmi initiatos, duntaxat, & per eius ianuam in Eccleſiam admiſ-

Digitized by Google

ſos, ſed ipſos etiam qui in eius atrio adhuc verſantur, foréſque pulſant Catechumenos & competentes complectitur? Quemcunque ad ſe Chriſtus vocauit, ad pœnitentiam hortatus eſt cùm Lucæ cap. 13. v. 3. ita ſuos auditores affatus eſt, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, & ver 4. addidit *Si pœnitentiam non egeritis, ſimul omnes peribitis*, vt quemadmodum corde creditur ad iuſtitiam, ore autē confeſſio fit ad ſalutem, ita nec corde conceptam pœnitentiam habere ad ſalutem ſit ſatis, niſi ad eam pœnitentiæ actio publicáque profeſſio adiungatur.

II. Hinc ſolenne illud S. Petri Act. cap. 11. ad primos Catechumenos pronuntiatum *pænitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu in remiſsionem peccatorum veſtrorum.* ab Eccleſia deinceps omnibus baptiſmum petentibus datur præceptum, adeovt ea nec infantes ipſos niſi per ſponſores ſuos Eccleſiam ve fidem & pœnitentiam profeſſos, quodque vtramque cum per ætatem licebit, ipſi præſtent, pollicitos, ad baptiſmum admittat. Id obſeruauit S. Auguſtinus cùm lib. 1. de Pecc. mer. cap. 19. hanc quæſtionem propoſitam *Quomodò & ipſi infantes vocantur in pœnitentiam? Nunquid tantillus poteſt aliquid pœnitere?* ita ſoluit. *Si propterea pœnitentes dicendi non ſunt, quia ſenſum pœnitendi nondum habent, nec fideles dicendi ſunt, quia ſimiliter ſenſum credendi nondum habent. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtātium quodammodò profitentur: cur non priùs etiam pœnitentes habentur, cùm per eorumdem verba geſtantium Diabolo, &*

huic ſæculo renuntiare monſtrantur? Totum hoc fit in ſpe vi ſacramenti, & diuinæ gratiæ, quam Dominus donauit Eccleſiæ. Cæterùm quis ignorat, quòd baptizatus paruulus, ſi ad rationales annos veniens non crediderit, nec ab illicitis concupiſcentijs abſtinuerit, nihil ei proderit, quod paruus accepit? Quia igitur Eccleſia paruulum baptiſmi, & gratiæ ſibi à Chriſto traditæ participem non facit, niſi *in ſpe* quòd rationis compos credet, & pœnitentiam aget, ſi is poſteà fidem Eccleſiæ per ſuſceptores datam fallit, violati promiſſi reus, quam nonniſi ea lege, & conditione acceperat, gratiam amittit.

Si quam in baptiſmo iuſtitiam accepimus, ab III.
omni peccati ſorde puram & illibatam perpetuò teneremus, non eſſet fortè tanta per totam vitam pœnitentiæ agendæ neceſſitas, ſed cùm iuſtus nullus ſit, qui non ſæpiùs peccet, nec cuiuſquis quantumlibet parui peccati remedium aliud, quàm pœnitentia eſſe poſſit, qui quotidie peccamus, eam quoque quotidianam perpetuámque agere debemus, cúmque eam humilificandi hominis diſciplinā Tertullianus appellet, quis ea neglecta Chriſtianè viuat, cùm *non ſeruet humilitatem quæ penè vna Chriſtiana diſciplina eſt*, inquit S. Auguſtinus homilia 50. cap. 11. Cuius & in commendationem pœnitentiæ inter familiaria cum amicis colloquia tanto doctore dignum hoc effatum refert Poſſidius; *Poſt perceptum baptiſmum etiam laudatos Chriſtianos, & Sacerdotes abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere.*

Quamobrem cùm pœnitentiæ agendæ inſti- IV.

tutũ non ſolùm catechumenos, aut poſt baptiſmũ in peccata grauiora lapſos, ſed etiam laudatos Chriſtianos, atq; adeò Sacerdotes ipſos ſpectet, tã verè quàm ſubtiliter S. Pacianus in parænefeos ad pœnitentiam initio, in eam pœnitentiæ agendæ rationem *quaſi in fibulas totius Eccleſiæ diſciplinam notari ſeu coarctari*, ait, quaſi dicat, ſi pœnitentiæ leges & vincula laxantur, aut rumpuntur, totam Eccleſiæ diſciplinam diſſolutum iri.

V. Quemadmodum verò ſi fibula ita laxatur, vt annulum, cui inſeritur, non mordeat, & è contrario ſi nimis conſtricta rumpitur, nulli ampliùs vſui eſſe poteſt; ita diſciplinæ in pœnitentia ſeruandæ rigor nimius, æquè ac ſolutior relaxatio ipſam labefactat. Quare in eius moderatione ſeruanda non minùs quàm in nimia ſolutione cauenda diligentes fuerunt ſancti Patres, qui vtrũque pœnitentiæ vitium deteſtati, tam molles Lutheranos, Caluiniſtas, alioſque Epicuræos, & Chriſtianos religionis Saducæos, quàm Nouatianos, Montaniſtas, Flagellantes, alióſque id generis rigidiores Stoicos Phariſæóſque hypocritas ab Eccleſia tanquam hæreticos eiecerunt. Quanquam haud ſcio, an vlli eorum alio quàm antiquæ pœnitentiæ, & ſeuerioris diſciplinæ retinendæ prætextu, moribus, qui tunc in Eccleſia vigebant, damnatis, noua ſua dogmata perſuadere conati ſint. Nec enim adeò laborioſæ pœnitentiæ hoſtis infenſus Lutherus fuit, vt in peccatorum, quæ omnia mortalia fecit, grauitate æſtimanda, attritione, tanquam inſufficiente, reijcienda, & morientium pœnitentia, vtpote quam gehennæ

timor excitare ſolet, damnanda, rigidior non fuerit, ſicut è contrario vix vllum è Phariſaicis illis auſterioris diſciplinæ magiſtris reperire eſt, qui non eo quòd peccatores in pœnitentia magis horrere ſolent, per indulgentiam peruerſam remiſſo quod mitius ipſis eſt, falſo pietatis prætextu retinuerint. Ita dum Nouatiani peccatores à ſacra communione arcebant, ſimul a durioribus illis pœnitentiæ officijs, & quod inter moleſtiſſima numerandum eſt confeſſione, & exomologeſi liberatos longè mitiori diſciplina diuinæ miſericordiæ commendabant.

VI. Nec ſanè ſi quis peccatoris, nondum Dei charitate donati, humanum ſenſum conſulat, negaturus eſt, gratiorem illi fore conditionem, & inſtitutum Nouatianæ aut Mótaniſticæ, quàm Catholicæ pœnitentiæ. In hac enim veniam peccatorum nullam à Deo ſperare poteſt, niſi poſtquam, vt loquitur Tridentinum, conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, Sacerdoti pudenda ſua peccata, ſibi Deóque ſoli cognita confiteatur, quam confeſſionem hæretici non alio quàm humano ſenſu permoti adeò exhorrent vt crudeliſſimam conſcientiarum carnificinam appellent, nec Synodus ipſa diſſimulat, tantam eſſe confeſſionis huius difficultatem, ac peccata detegendi verecundiam, vt grauis meritò videri poſſet, niſi tot tantíſque commodis & conſolationibus leuaretur, quæ omnibus ea dignè perfunctis per abſolutionẽ certiſſimè cõferũtur.

VII. Quis autem Montaniſta, mœchiæ, aut idololatriæ crimine publico infamis, adhuc carnalis, vixque alio quàm timoris gehennæ ſenſu affectus,

ſibi non gratuletur, ſe ab omni illo pœnitentiæ Catholicæ apparatu lugubri immunem, ſola ſua interna pœnitentia, aut ad ſummum externa illa excommunicatione peccatorum etiam occultorum, quæque non confiteatur, indulgentiam à Deo ſperare certo poſſe? Cui huiuſmodi animali, carnalique homini non placeat pœnitentia, quæ, vt loquitur Montaniſta Tertullianus in libro de pudicitia cap. III. *ad Deum remiſſa, & illi deinde proſtrata, hoc ipſo magis operabitur veniã, quòd eam à ſolo Deo exorat, quod delicto ſuo humanam pacem ſufficere non credit, quod Eccleſiæ mauult erubeſcere, quàm communicare?* ſi tamen is erubeſcit, qui iam ob crimen publicum toti Eccleſiæ notus, nec occultorum apud Sacerdotem ſecretæ confeſſionis verecundiam, nec publicorum in conſpectu totius populi exomologeſeos pudorem moleſtiſſimum patitur. *Quòd ſi pacem* poſt grauiſſimos pœnitentiæ labores *hic non metit*, *eam* nihilominùs abſque labore vllo *apud Deum ſeminat, nec amittit, ſed præparat fructum. Ita nec pœnitentia huiuſmodi vana, nec diſciplina eiuſmodi dura eſt*, ſi hæretico Tertulliano creditur.

VIII. Quamobrem non immeritò iſtos adulterinæ, & ſpecie quidem tenus auſteræ, ſed carnalibus hominibus non ingratæ pœnitentiæ magiſtros compares cum prophetis illis, qui apud Ieremiam Thren. cap. II v. 14. *viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent, viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & eiectiones*, id eſt, vt explicat Maldonatus, qui veros prophetas imitati, vt

populum faciliùs decipiant, aſſumptiones, ſeu onera, reſque triſtes & graues, eiectiones, exilia, & Dei flagella prædicunt, quemadmodum, inquit ex Plutarcho, nonnulli aſtuti adulatores, ne ad gratiam ſemper loqui videantur, aliquando eos quibus maximè adulantur, reprehendunt, ſicut catuli, qui fingunt ſe dominum mordere, ſed dentes non figunt.

Vna Eccleſia Catholica & Romana eſt, in qua ſicut fidei doctrina hactenus ab omni errore immunis traditur, ita vera pœnitentiæ diſciplina integra, & ab omni aut ſolutionis indulgentiæ, aut rigidioris ſeueritatis vitio pura & illibata cuſtoditur. Licet enim non ſim neſcius, cùm ea Dogmata, quæ ad fidem, ſpeculatiuamque doctrinam pertinent, in Eccleſia à primis Apoſtolorum temporibus ad hanc vſque ætatem eadem ſemper tradita fuerint; doctrinam, vt aiunt, practicam, ſeu quæ morum diſciplinam cõtinent, leges, præceptáque mutationem aliquam accepiſſe, & nonnullis Eccleſiæ moribus antiquatis, alios nouos inductos fuiſſe. Ea tamen mutatio Sacramentorum eſſentiam non attigit, cúm que, vt oſtendam poſteà, duplex Chriſtianorum pœnitentia ſemper fuerit, altera ſacramentalis, & à Chriſto inſtituta; altera canonica ſeu Eccleſiaſtica; cùm iſta vix duobus ſæculis eadem permanſerit, illam ſacramentalem eandem ſemper fuiſſe, & quibus olim ſeu octo illis, aut duodecim ſæculis, iiſdem immutatis ritibus ac cæremoniis modò adminiſtrari hoc in tractatu probare mihi eſt animus. IX.

Id autem vt efficiam, in hoc vnum potiſſimùm X.

mihi incumbendum eſſe arbitror, vt oſtendam duas illas pœnitentias diuerſas ſemper fuiſſe. Hæretici enim, atque adeò Catholici, qui noſtrum huius temporis in ſacramento Pœnitentiæ conferendo ritum, aut omnino damnant, aut certè antiquo diſſimilem, & ob peccatorum duritiem pertuicaciámque ex mera Eccleſiæ indulgentia aut introductum, aut etiam permiſſum volunt, id non aliunde probant, quàm quia quæ ad Eccleſiaſticam pœnitentiam ſpectabant officia, & inſtituta in Sacramento ipſo adminiſtrando ſeruata fuiſſe ſupponunt; quod vbi falſum eſſe monſtrauero, & ſuas vnicuique pœnitẽtiæ rationes, officia, cæremoniaſque reſtituero, facilè mihi, vt opinor, erit oſtendere, cùm Eccleſiaſticæ pœnitentiæ ratio nunc alia ſit, ſacramentalis pœnitentię inſtitutum & diſciplinam idem omnino perſeuerare.

XI. Quod cùm multis argumentis probare poſſim, duo duntaxat totidem diſſertationum argumenta ſeligo, quorum alterum ex materia vtriuſque pœnitentiæ, peccatis nimirum, aut etiam confeſſione; alterum ex forma, ſeu reconciliatione peto. Atque in priore quidẽ diſſertatione, cùm pro quolibet mortali peccato etiam occulto, Sacramentalis pœnitentia à Chriſto inſtituta, & cuilibet eius reo imperata fuerit, Eccleſiaſticam non niſi pro quibuſdam grauioribus peccatis, & criminibus publicis vnquã imperatam fuiſſe cõtendã: cumq; in hac, cùm imperata eſt, peccatorum profeſſio, ſeu confeſſio publica ſemper fuerit, in ſacramentali auricularem, vt aiunt, confeſſionem in vſu ſemper fuiſſe diſputabo. In poſteriore verò diſſertatione oſtendam abſolutionem ſacramen-

talem poſt peractam pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem à Sacerdote iniunctam, nunquam dilatam fuiſſe, ſed niſi quod in pœnitente impedimentum extraordinarium eſſet, eum ſtatim à confeſſione ſacramentaliter abſolutum, peccatorum quoad culpam veniam accepiſſe, & quæ abſolutio reconciliatióque pœnitentiæ publicæ actio extrema, non niſi poſt ſatisfactionem peractam concedi ſolebat, eam ſacramentalem non fuiſſe euincam.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA.

DE POENITENTIÆ SACRAMENTALIS ET ECCLESIASTICÆ DISCRIMINE quoad materiam.

CAP. I.

De multiplici pœnitentia Eccleſiæ opiniones erroréſve varij afferuntur.

SECTIO PRIMA.

Quæſtio de qua diſputandum eſt proponitur.

I. VT clarior, ſolidiórque diſſertatio hæc mea ſit, ita in ea me geram, vt primùm & ſuppoſitis iis quæ inter diſputantes certa ſunt, & quæ controuerſa, diſputandáque ſunt, capitibus propoſitis, totius quæſtionis ſtatim clarè & dilucidè exponam; deinde varias de controuerſiis opiniones afferam, ac demùm meam de ſingulis ſententiam, &, vt opinor,

Digitized by Google

Catholicam doctrinam, paucis quidem, ſed vt ſpero, validiſſimis argumentis rationibúſque confirmabo.

Ac primùm quidem moneo me hanc diſputationem habere cum Doctoribus Catholicis. Quare ſi quos hæreticorum errores proferam, id efficiam, non tam vt eos pleniùs confutem, quàm vt iis tanquam ab Eccleſia iam proſcriptis & damnatis, eiuſdémque Eccleſiæ præiudicio vtar contra aduerſarios, & eorum opiniones erroribus illis non abſimiles, aut cum iis cohærentes, falſitatis conuincam. II.

Certum autem primò, & apud omnes Catholicos indubitatum eſt, neminem cuiuſcumque ſortis, aut conditionis hominem abſque pœnitentia non tantùm interna, & animo cordéque concepta, ſed etiam externa aliqua, quæque ſignis aliquibus exterioribus Eccleſiæ nota fiat, peccatorum ſuorum mortalium veniam à Deo conſequi & impetrare, ſiue gratiam ſanctificantem, & iuſtitiam, ſiue qua ſaluus eſſe nequit, peccato amiſſam recuperare poſſe. Pœnitentiam internam & animi appello eam, per quam peccato aliquo mortali inquinatus *peruerſitate abiecta, & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtatur*, vt Tridentini verbis ſeſſ. XIV. cap. I. vtar, quodque ea peccatoribus vniuerſis quouis tempore ad gratiam, & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria fuerit, illis etiam qui baptiſmi ſacramento ablui petiuiſſent, idem Cõcilium docet, ac definit. Ac licet de iis qui peccato ſe mortali aliquo actuali iam rationis compotes inquinaſſent, loqui videatur, nihilominùs III.

Digitized by Google

tamen de ipſis quoque infantibus verè peccatoribus, & macula peccati originalis contracta inquinatis idipſum intelligendum eſt. Nec enim ſine baptiſmo gratiam perditam recuperant, nec ab Eccleſia eum accipiunt, niſi pœnitentes, æquè ac credentes, fidem ſuam, ac pœnitentiam geſtantium voce ſigniſque profiteantur, vt in præfatione ex S. Auguſtino obſeruatum eſt.

IV. Vnde certum ſecundò eſt, pœnitentiam illam internam, ſeu contritionem ad iuſtificationem peccatoris non ſufficere, niſi ea, vt loquitur idem Concilium, includat votum externæ pœnitentiæ, ſeu ſigni alicuius exterioris, quo tanquam effectu ſuo illa ſe prodat foràs, & Eccleſiæ notam ſe faciat. Nemo enim ab vllo peccato mortali coràm Deo liberatur, niſi velit ſubiicere ſe Eccleſiæ, cuius in poteſtate ſunt claues regni cælorum, quæque ad remittenda peccata retinendave Spiritum ſanctum accepit ſeu poteſtatem eius dandi homini peccatori, vt ipſe ſuâ præſentiâ infundat gratiam, & charitatem, quæ hominem eumdem ex peccatore iuſtum, & ex inimico Dei amicum formaliter conſtituit. Id omnes Catholici profitentur, cùm in Eccleſia remiſſionem peccatorum ſe credere aiunt, negántque cuiquam extra eandem Eccleſiam peccata remitti, aut ſalutem æternam concedi poſſe. Nec enim Eccleſia peccatores ſoluere dumtaxat, ſed etiam ligare, nec eorum peccata tantùm remittere, verùm etiam retinere poteſt; adeò vt quos illa ligare, & quorum peccata retinere nequeat, eos nec ſolui coràm Deo, nec iuſtificari contingat; quod tamen intelligi non poteſt, niſi quicumque peccati mortalis reus

cum Deo reconciliari vult, teneatur Eccleſiam adire, & eius ope, ac miniſterio vti, quod nunquam fiet,niſi eidem Eccleſiæ pœnitentem ſe eſſe ſignificet.

Hæc omnia iampridem contra hæreticos conſtituta ſunt, ac nominatim contra Nouatianos defenſa,probatúmque eſt in Eccleſia non ſolùm per baptiſmum, ſed etiam per pœnitentiæ ſacramentum peccata poſt baptiſmum commiſſa quælibet remittendi poteſtatem eſſe; quod quia abſque aliqua pœnitentiæ actione externa,ſeu ſignificatione fieri nequit(nec enim peccatores niſi quos pœnitentes eſſe credit Eccleſia,recipere,& cum Deo reconciliare debet)inde clarum fit, neminem abſque aliqua pœnitentia externa per Eccleſiæ miniſterium, & ſacramenta peccatorum veniam à Deo accipere poſſe. Hæc verò pœnitentia externa, ſeu ſenſibilis pœnitentiæ internæ actio quotuplex in Eccleſia olim, atque etiamnum ſit,poſtquam varias ea de re opiniones retulero,definiam. V.

SECTIO SECVNDA,

De pœnitentia Eccleſiæ externa quid hæretici ſentiant.

QVid de quæſtione hac tres hæreſiarchæ Lutherus,Caluinus,& M. Antonius de Dominis,à nonnullis Spalatenſis dictus, ſenſerint cùm retulero,quid in quorumdam Doctorum ſcriptis tanquam illis affine cauendum exiſtimem, breui- VI.

ter inſinuabo,nomini verò parcam, ne cum hæreticis eos annumerare videar, iuſtiùs fortaſſe, & iure potiori, quàm illi Molinam, quem ſancta Sedes Romana auditum, cauſáque diligentiſſimè diſceptata ab omni ſuſpicione liberum eſſe iuſſit, eiuſque,vt & aduerſariorum ſententiam, ne quis erroris, aut hæreſeos damnaret,vetuit, tanquam hæreticum incredibili cum audacia, & Sedis eiuſdem Apoſtolicæ contemptu infamant, & Ieſuitas tanquam Moliniſtas Pelagianos iniquiſſimè calumniantur.

VII. Lutherus igitur nondum ſacramento pœnitentiæ abdicato,opuſculum de confeſſione ſacramentali déque confitendi ratione ſcripſit, cuius in dicto quinto vitæ melioris propoſitum, quod peccator antequam Sacerdoti Vicario Dei, vt eum dicto tertio appellat, confiteatur,animo habere debet, *De manifeſtis mortalibus tantùm ad confeſſionem ſacramentalem propriè pertinere vult*;& dicto ſexto, *an*, inquit, *peccata cordis occulta,ac ſic ſoli Deo, & homini qui fecit ea, cognita,pertineant ad confeſſionem ſacramentalem, extra meum captum eſt: libentiſsimè negarem. Nec enim vlla via, aut ratione, aut ſcriptis probari poteſt,ſæpiúſque mihi ſuſpicio fuit,eſſe id totum inuentum vel auaxorum,vel curioſorum,aut certè tyrannorum Prælatorum,qui hac via populum Chriſti in terrorem ſui adduxerint. Nam id eſt,meo iudicio, penitùs in iudicium Dei manum mittere,& forum Dei violare,præſertim ſi cogantur ad id homines. Hinc venit illud mare iurium, & quæſtionum impoſſibilium de caſibus peccatorum &c.* Ita ſuggillat Canoniſtas & caſuum con-

ſcientiæ ſcriptores, quos cum prælatis facit authores confeſſionis, ac conſequenter pœnitentiæ externæ coràm Eccleſiæ miniſtris factæ de peccatis mortalibus occultis; ad quorum confeſſionem negat peccatores obligari poſſe, licet eam pro arbitrio ſuo facere queant. Et in dicto octauo. *Legimus in Auguſtino, Cypriano, & aliis Patribus, non peccata mortalia, ſed criminalia, id eſt, quæ accuſari & conuinci poterant, ligata & ſoluta fuiſſe.* Lutherus igitur ab Eccleſia olim nec ligata, nec ſoluta peccata eſſe, niſi quæ erant crimina publica, & de quibus peccator inuitus accuſari & conuinci poterat, nec aliam pœnitentiam ſacramentalem, quàm publicam primis Eccleſiæ temporibus in vſu fuiſſe exiſtimat.

Eiuſdem in articulis Louanij damnatis habetur iſte: *Solùm manifeſta mortalia peccata in primitiua Eccleſia confitebantur.* Et in libro de captiu. Babylon. titulo de pœnitentia, *confeſſionem peccatorum vult efficaciſſimè probari Matth. cap. 18. vbi habetur fratrem peccantem corripiendum, prodendam, accuſandum, & ſi non audierit, excommunicandum*: occultam verò confeſſionem afflictis conſcientiis vnicum remedium eſſe, vt nimirùm per eam viro prudenti factam eæ conſcientiæ doceantur, & conſolationem accipiant: auricularem denique confeſſionem ante Concilium Lateranenſe ſub Innocentio tertio, ſicque ante decimum tertium ſæculum Chriſtianis imperatam fuiſſe negat. VIII.

Caluinus autem in lib. III. inſtitut. cap. quoque III. poſtremæ editionis anno 1590. §. 2. ſic habet. *Omni rationis ſpecie caret eorum deliramentum,* IX.

qui vt à pœnitentia exordiantur, certos dies ſuis neophytis præſcribunt, per quos ſe in pœnitentiam exerceant: quibus demùm tranſactis in Euangelicæ gratiæ communionem ipſos admittunt. de plurimis Anabaptiſtarum loquor: iis præſertim qui ſpirituales haberi mirè gaudent, eorúmque ſodalibus Ieſuitis, & ſimilibus quiſquiliis. Tales ſcilicet fructus profert ſpiritus ille vertiginis, vt pœnitentiam, quæ in totam vitam proroganda eſt homini Chriſtiano, paucis dieculis terminet. Quibus verbis hæreſiarcha ille pœnitentiam dierum aliquot damnat, & fœlice augurio Ieſuitas vix dum natos, tanquam breuioris, ſolutioríſque, quàm Chriſtiana vita poſtulat, pœnitentiæ authores traducit, præfertque facem ſequacibus, qui vt Dominum in cruce cum latronibus ſuſpenſum tanquam vitæ auſterioris, templique, & rerum ſacrarum hoſtem opprobriis vexarunt, ita Ieſuitas Pelagianis Maſſilienſibúſque annumeratos tanquam ſolutæ morum diſciplinæ, euerſæque pœnitentiæ Chriſtianæ fautores conuitiis poſtea vexaturi & inter quiſquilias poſituri erant.

X. Vtinam tanto nos ſemper honore dignetur Deus, vt dum cum Apoſtolis maledicimur, benedicamus, dum perſequutionem patimur, ſuſtineamus, dum blaſphemamur, obſecremus tanquam purgamenta huius mundi facti omnium peripſema vſque adhuc. Sed ad Caluinum redeo, qui §. 10. doctrinam ſe non aliam quàm ex antiquis Patribus, ac nominatim Auguſtino ſumptam ſcribere profitetur, itáque loquitur. *Neque opus eſt multum inueſtigando laborare, quid hîc veteres ſenſerint: quando vnus Auguſtinus ſufficere*

1. Cori. c. 4.

ad id

ad id poteſt, qui fideliter magnaque diligentia omnium ſententias collegit. Ex illo igitur ſumant lectores, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi volent. Ita auditoribus fucum facere ſolent Dogmatiſtæ, & quos antiquiorum Patrum, ac potiſſimùm eximij inter cæteros S. Auguſtini ſtudioſiſſimos Chriſtianos eſſe ſciunt, eorumdem falſo nomine interpoſito, & authoritatem ementiti incautos circumueniunt.

Capite verò 4. §. 7. quod Lutherus de Innocentio tertio dixerat, Caluinus confirmat ab eo primùm latam legem, quæ ſecretam pœnitentiam, ſeu confeſſionem vni Sacerdoti faciendam cuilibet Chriſtiano peccatori imperat, *vult fluxiſſe annos mille & ducentos à reſurrectione Chriſti, antequam talis vlla lex ferretur*, additque politicam hanc fuiſſe diſciplinam ab Epiſcopis inſtitutam. Quare non aliam quàm Canonicam ſeu Eccleſiaſticam, eámque publicam pœnitentiam apud antiquos in vſu fuiſſe contendit, & quam nos Sacramentalem habemus, penitus reiicit In conſequentibus verò paragraphis tria confeſſionum genera, in quibus vt ait §. 14. clauium poteſtas locum habet, agnoſcit. *Primum eſt, cùm ſolenni recognitione vitiorum ſuorum veniam deprecatur tota Eccleſia. Secundum, cùm priuatus qui aliquo notabili delicto commune offendiculum peperit, pœnitentiam ſuam teſtatur: denique cùm is qui ob conſcientiæ inquietudinem ope miniſtri indiget, ſuam illi infirmitatem aperit.* In primo autem genere vult claues id tantùm efficere, vt quia vbi duo, vel tres congregantur in nomine Chriſti, ipſe ibi adeſt; eumdem præſentem XI.

eiúſque legatum quiuis peccator habeat, ſibíque denuntiari abſolutionem audiat. In ſecundo autem peccator ab Eccleſia abalienatus, accepta venia reſtituitur in fraternam vnitatem ab iis, quibus Chriſtus dixit, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. In tertio denique claues operantur per eos, qui confitentis infirmitatem ope ſua ſubleuant. §. denique 39. ait ab antiquis vocatam *ſatisfactionem, quæ eſſet publica teſtificatio, qua qui excommunicatione multati fuerant, cùm in communionem recipi vellent, Eccleſiam reddebant de ſua pœnitentia certiorem.* Quare non aliam reconciliationem peccatoris Caluinus agnouit, quàm quæ publicè datum Eccleſiæ teſtimonium internæ ipſius pœnitentiæ, & ſinceræ conuerſionis erat, de qua certior facta Eccleſia eundem in communionem, à qua ipſum eiecerat, reſtituebat. Nullam igitur niſi publicam pœnitentiam, & pro criminibus quorum reus excommunicabatur, Lutherus & Caluinus agnouerunt, quâ quia non tam cum Deo, quàm cum Eccleſia peccator reconciliabatur, eam idcirco non Sacramentalem, ſed tantùm politicam, & iuris Eccleſiaſtici eſſe contenderunt.

XII. At M. Antonius de Dominis longè diſtinctiùs diligentiúſque de tota antiquæ pœnitentiæ diſciplina diſſerens in libro 5. de republ. Eccleſ. cap. 7. initio capitis vſque ad numerum 17. ait nunquam pro peccatorum mortalium venia à Deo impetranda peccatori confeſſionem, aut pœnitentiam externam imperatam fuiſſe, nec eâ tanquam diſpoſitione ad Euchariſtiã neceſſaria illum eguiſſe, ſed ad vtrumque internam pœnitentiam vnam

illi fuiſſe ſatis; ſi quis tamen clauium Eccleſiæ beneficio ad veniam etiam pro occultis peccatis certiùs impetrandam libens & volens vti vellet, id non potuiſſe olim, & primis quatuor ſæculis obtinere, niſi peccatorum confeſſionem, & publicam pœnitentiam ageret. Id numero 29. in vniuerſum ſic aſſerit. *Pœnitentia hæc externa Eccleſiaſtica cum tali excommunicatione, & operum pœnalium iniunctione fuit ſemper ab Eccleſia iudicata adeò neceſſaria, vt ſine ipſa remiſſionem per claues nemo poſſet obtinere.*

Id vt probet ſupponit quod numeris prioribus 24. 25. & ſequentibus docuerat claues Eccleſiæ non ſoluere directè & proximè, niſi vinculum quo peccatorem ligauerant, iſtudque non eſſe reatum culpæ, ſed excommunicationem. Nec enim ligamen illud aliud eſſe vult niſi quandam abiectionem à ſacris officiis & exercitiis, vt ait num. 31. & potiſſimum excommunicationem ab Euchariſtia, cum impoſitione operum pœnalium, hancque ad aliquod tempus inflictam pœnitentiam appellat diuerſam ab ea, quam abſolutè dictam excommunicationem ait, quâ quis excommunicabatur ſine vlla pœnalium operum impoſitione, quæ in pœnitentiali ſemper erat, vt tandem Eccleſiæ miniſter pœnitētia illa iniuncta & ſatisfactione peracta, tanquam ex fructibus maturæ pœnitentiæ internæ ad peccatorum remiſſionem neceſſariæ notitia humano more habita verè pœnitentem legitimè abſoluendum eſſe intelligeret: Ita numero 27. & 28. Quod cùm in grauioribus quibuſdam peccatis publicis quæ crimina potius, quàm peccata appellari vult num. XIII.

66. omnino ab Eccleſia ſeruaretur, nec ab hac aliter ad communionem admitteretur *peccator ſcandaloſus notorius*, vt habet num. 25 nihilominùs tamen, vt reus peccatorum quorumlibet occultorum infallibilem per claues Eccleſiæ remiſſionem acciperet, *tutioris*, inquit num. 26. *cautelæ ergo* poterat voluntariè petere illam pœnitentiam publicam, & procurare, vt pœnitentiali illa excommunicatione ligatus, poſt ſatisfactionem exhibitam ab illo vinculo, & conſequenter à culparum, peccatorúmque vinculis abſolueretur. De hac pro omnibus peccatis pœnitentia ita loquitur numero 37. *Hæc porrò externa Eccleſiaſtica pœnitentia initio fuit ſemper publica, non modò vbi quis ad pœnitentiam redigebatur accuſatus, & conuictus pro crimine publico, & famoſo: ſed etiam vbi ſponte quis pro occultis quoque delictis vellet habere Eccleſiaſticam ſolutionem: publicè enim ſua crimina particularia fatebatur, & ſic ligabatur, & excommunicabatur excommunicatione illa pœnitentiali, & inter pœnitentes publicos reponebatur; deinde peractâ pœnitentiâ reconciliabatur. Poſtea verò ita quidem publicè pœnitentia hæc & aſſumebatur, & peragebatur, vt tamen peccatum graue, quod de ſe non eſſet publicum, & notorium, ſecreto in Eccleſia Epiſcopo, vel Sacerdoti pœnitentiario aperiretur, & pro qualitate delicti pœnitens quantitatem ſubibat pœnitentiæ, quam tamen publicè perageret, & à ſacris abſtineret, & cum publicè pœnitentibus peculiari loco ad hoc in Eccleſia deſtinato maneret, & actus humilitatis, quos iam recenſuimus, exerceret, ac tandem re-*

conciliationem,& conſequenter ſolutionem in terra & in cælo obtineret. Et num.40. *Eccleſiaſticam itaque veram pœnitentiam planè conſtat in tota antiquitate aliam non fuiſſe, niſi publicam, nullam priuatam, initio quidem cum publica etiã peccati manifeſtatione, ſi occultum eſſet, & peccator vellet clauiũ beneficio frui; poſtea verò cum ſecreta peccati manifeſtatione, ſed publica pœnitentiæ manifeſtatione.* Addit tandem factum fuiſſe, vt publica pœnitentia tota *& quoad manifeſtationẽ peccati, & quoad actionem pœnitentiæ ſecretò fieret*, ſéque deputato ad id Eccleſiæ miniſtro peccator accuſans *ſecretò de ſecretis ab eo ligaretur, & excommunicatione pœnitentiali à ſola nimirum Euchariſtiæ participatione plecteretur, & ad externam ſibi iniunctam pœnitentiam ſecretò peragendam obligaretur, ea verò ritè peracta reconciliaretur & ad ſacræ cœnæ communionem admitteretur.*

Hunc morem in Oriente ſub Nectario Theodoſij ſenioris temporibus cœpiſſe ait, in Occidẽte verò pro confeſſione ſecreta, & pœnitentiæ actione publica Leonem magnũ laudat. Tandem numero 41. ait aliquandiu in Eccleſia duraſſe publicam pro notoriis criminibus pœnitentiam, ſed paulatim factam ſecretam, & corruptam fuiſſe. Cùm enim fateatur non eſſe omnino indecens conſilio, aut etiam iuſſu Eccleſiæ de ſecretis ſecretò pœnitere, indecentiſſimum eſſe ait de publicis ſecretò quoad pœnitentiam Eccleſiaſticam (in qua ſcilicet clauium beneficio peccatorum venia à Deo petitur) pœnitere. Atque hinc vult cum maximo abuſu ortum fuiſſe vſum auricula- XIV.

[library stamp]

ris confeſſionis, vt nunc ſit, & vocatur Sacramentum. Nam pœnitentiæ Sacramentum vllum eſſe negat, reiicítque numero. 59. & ſequentibus. Quia cùm præcipua, aut certè æqua ſit virtus ligandi atque ſoluendi in pœnitentia Eccleſiaſtica, ſi ea Sacramentalis dicitur, quod abſurdiſſimum eſt, Sacramentum ad ligandum æque ac ad ſoluendum à Chriſto inſtitutum fuiſſe dicendum erit. Deinde varij in Eccleſia ligandi ſoluendíque ritus fuerunt, cùm tamen in Sacramentis ritus, vt potè à Chriſto inſtitutus, idem perpetuò & conſtans eſſe debeat: denique hæc pœnitentiæ reconciliatio, ſeu remiſſio æquè nutu, literiſue, ac verbo fieri poteſt per Diaconos etiã, atque Laicos, cùm ea reconciliatio alia non ſit, quàm traditio Euchariſtiæ, aut admiſſio in Communionem, non tam poſitiuo actu, quàm negatiuo, ſeu quo pœnitens non excludatur. Ita numero 60. vſque ad 66. & num. 81. *In hac*, inquit, *pœnitentia Eccleſia plus vtitur clauibus ad ligandum, quàm ad ſoluendum: ad hoc enim etiam potiſſimùm datæ ſunt, & primariò, vt puram, & ſine ruga, & macula, quantùm fieri poſſet, ſe conſeruet: in ſui enim gratiam ligat, in pœnitentis verò beneficium ſoluit.* Cùm autem è Doctoribus Catholicis tam multi doctrina inſignes hac de re iam tum ſcripſiſſent, Hoſius Cardinalis, Tapperus, Stapletonius, cur iis omnibus prætermiſſis vnum Ieſuitam Bellarminum aduerſarius M. Antonius delegit? An hoc Ieſuitarum fato aut hæreticorum ingenio tribuendum ſit, alij viderint, certè Doctori Catholico ſi dum quam doctrinam cum aliis omnibus Doctoribus Catholicis

Ieſuitæ communem habent, refutandam ſuſcipit, aliorum nomine ſuppreſſo Ieſuitam aliquem refutandum aſſumit, non niſi infauſtum omen eſſe cenſendum eſt, id autem ipſi funeſtiſſimum, ſi non aliis quàm hæreticorum armis vtitur.

SECTIO TERTIA.

De re eadem Catholicorum quorumdam opinio refertur.

QVæ de antiqua pœnitentiæ diſciplina Eccleſiaſtica quidam recentiores ſcripſerunt, iis quæ ab illis hæreticis, ac maximè M. Antonio dicta ſunt, ita concinunt, vt non immeritò credi poſſit, vel vnum ex altero, vel omnes ex eodem fonte quæ dixerunt hauſiſſe, adeò animi ſenſa, loquendi rationes, argumenta, Patrum dicta eadem, & eodem modo explicata in vtriſque ſimilia habentur. Quod cùm in reliquis de contritione, ſatisfactione, abſolutione poſt ſatisfactionẽ dilata, & numquã ab Euchariſtiæ reſtitutione ſeiuncta capitibus demonſtrare facillimum foret, in ea quam modò in manibus habeo, diſputóque materia & confeſſione breuiter oſtendo, vel potius indico lectori, qui pro ſuo otio, quæ recentiores iſti in tota parte ſecunda lbri ſui de antiqua Eccleſiæ pœnitentia habenti, cum capite ſeptimo libri quinti M. Antonij conferre poterit. XV.

XVI. Atque vt taceam, quod aliquis recentior cum Caluino, & Luthero pœnitentiæ illius incorruptæ ſpatium duodecim ſæculis circumſcribit

parte 2.cap. 8. pag.285. editionis tertiæ, qua perpetuò vſurus ſum, & ſæpiùs alibi. quodque cum iiſdem tribus illis hæreſiarchis abuſum, vt vocāt, hodiernum ignorantiæ, negligentiæ, atque adeò nonnullorum, qui vt commodis ſuis ſeruiant, erga peccatores indulgentiores ſunt, auaritiæ, & cupiditati tribuit partis 2. cap. 22. pag. 476. & cap.47.pag.628.hæc quæ ſequuntur breuiter attingo.

XVII. Imprimis de criminibus potiùs quàm peccatis appellandis ſecundùm Patres idem cum illis docet parte 2. cap.3. pag. 289. contenditque cùm de materia pœnitentiæ agitur, nomen criminum enormium à Caſuiſtis vſurpatum, non niſi ſimplicibus illudendis idoneum eſſe, & cap. 4. venialia quidem peccata ſimpliciter à Patribus, mortalia verò ſeu de quibus pœnitentia fiebat crimina appellata fuiſſe. Quamobrem ſi quæ peccata criminum numero à Patribus comprehenſa non ſunt, ea tunc clauibus Eccleſiæ neceſſariò ſubdenda non fuiſſe iſti Doctori omnino fatendum eſt.

XVIII. Secundò de præcipua clauium vi, & munere in ligando peccatore, eóque excōmunicando ſeu ab altari remouendo eadem prorſus cum M. Antonio docet præfat. pag. 49. & ex profeſſo parte 2. cap. 5. duplicem illam excommunicationem eodem modo explicat; ac demum cap.7. totam pœnitentiæ benedictionem & fructum ponit in eo quod pœnitens ſe Sacerdotis poteſtati ſubdens nihil niſi de eius iudicio & præſcripto facit.

XIX. Tertiò eundem in reconciliando peccatore modum cum M. Antonio & abſolutionem, reconciliationémque aliam non fuiſſe, quàm peccato-

ris ad Euchariſtiam & ad ſacra admiſſionem do-
cet ibidem cap.7. Vnde non niſi per Euchariſtiæ
ſumptionem peccatorum remiſſionem integram
& perfectam fuiſſe exiſtimat.

Quartò non ſolùm pro publicis & grauioribus XX.
criminibus, ſed etiã pro quibuſlibet clauium mi-
niſterio expiandis peccatis publicam pœniten-
tiam tunc actam fuiſſe cum M. Antonio ita certò
pronuntiat, vt qui ea de re dubitent, prodigioſæ
ignorantiæ inſimulet toto illo libro ac nomina-
tim parte 2. cap. 3. idque vnum tanquam totius
doctrinæ ſuæ fundamentum ſtatuit, & multis ca-
pitibus confirmare conatur.

Tria dumtaxat capita reperio, in quibus iſte à XXI.
M. Antonio diſſentire videtur. Vnum eſt quòd
cùm M. Antonius neminem pro peccatis occul-
tis expiandis ad illam pœnitentiam obligatum
fuiſſe dicat, ſed tantùm quando clauium benifi-
cio vti pro libito volebat; iſte potiùs cum Catho-
licis docere videtur, neminem peccati mortalis
reum, & ob id indignum Euchariſtia, ſine illa re-
conciliatione ad Euchariſtiam dignè accedere
tunc potuiſſe. Secundum eſt, quod confeſſionem
occultorum peccatorum publicam à pœnitentia
publica diſtinguat, nec illam vnquam imper-
atam eſſe dicat in illo cap. 3. quanquam id non
alio quàm S. Leonis, quo ad idipſum vſus fuerat
M. Antonius, teſtimonio probet. Tertium eſt
quòd pœnitentiam illam Eccleſiaſticam contra
M. Antonium Sacramentalem fuiſſe fatetur.

Etſi non defuerint qui de recentioris iſtius XXII.
mente dubitarint, non mediocriter offenſi, quòd
in tota præfatione ſua quæ volumen iuſtum

Digitized by Google

adæquat & in qua eum magis ſe prodere aiunt, cùm vix vlla pagina ſit, in qua pœnitentiæ non meminerit, nec quidem ſemel eam Sacramentalem, aut Sacramentum appellarit. Nam quòd in totius libri titulo pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta legunt, non idcirco ſibi ſatisfieri putant, quia animaduertunt eum ita Sacramentum pœnitentiæ, aut abſolutionem Sacramentalem admittere, vt non niſi Euchariſtiæ partem eſſe velit, nec pœnitentiam ab Euchariſtia ſeiunctam, ſeorſímque ſumptam per ſeipſam Sacramentum eſſe exiſtimet, quia diſertè docet ſæpiùs, abſolutionem illam ab Euchariſtica communione nunquam olim ſeparatam fuiſſe, hacque peccatorum remiſſionem perfici, ita parte 2. cap. 8. pag. 287. *Eodem*, inquit, *tempore per impoſitionem manuum abſolutionem accipiebat, & Euchariſtiam tanquam pignus, & complementum ſuæ cum Deo reconciliationis*. & pag. 291. *eandem Euchariſtiam accipi tanquam ſigillum reconciliationis ſuæ, & peccatorum remiſſionis complementum*, & in præf. pag. 52. *à Sacerdote gratiam conferri pœnitenti per abſolutionem & per ſacrificium quod pro eo offert, & cuius eum participem facit*. In eadem tamen pag. 52. dicit peccatorem per abſolutionem gratia reconciliationis & remiſſionis peccatorum accepta mox ad altare & ad communionem duci, vt ibi gratiam pleniorem accipiat, quique iam per Sacerdotem ſanatus eſt, Euchariſtiam tanquam cibum ſolidiorem accipiat. Quæ verba inſinuant peccatori per Euchariſtiam non primam gratiam ſed huius iam acceptæ incrementum tribui.

SECTIO QVARTA.

Doctorum Catholicorum communis doctrina proponitur.

VIx potui credere oculis meis, cùm apud recentiorem illum legi, ita certum, & euidens eſſe, antiquis illis Eccleſiæ temporibus non aliam, quàm publicam pro quibuſlibet peccatis mortalibus pœnitentiam fuiſſe, vt ea de re dubitare nemo alius, quàm ſtupendum in modum ignarus queat. Quæ enim ſententia publicam pœnitentiam à Sacramentali diſcernit, quæque primis illis ſæculis Canonicam, ſeu publicam pro quibuſdam publicis, & grauioribus duntaxat criminibus ab Epiſcopis iniunctam fuiſſe docet, adeò inter Doctores Catholicos communis eſt, vt niſi ſint clariſſima, certiſſimáque argumenta quæ aliud ſuadeant, ab ea ſententia diſcedere ſummæ temeritatis, ac dementiæ eſſe videatur. XXIII.

Doctorum qui hac de re diſputant, Theologorum tres ſunt claſſes, Prima eorum, qui ſcholaſtici Theologi dicuntur. Secunda Canoniſtarum: Tertia eorum qui poſitiuam Theologiam profeſſi, toti ſunt in Patrum monimentis Conciliorúmque decretis, ſeu antiquitatis doctrina illuſtranda, & in controuerſiis contra hæreticos ſcribendis verſantur; ad hos hiſtoricos reuoco, quique in exponenda ſcriptura ſtudium ſuum XXV.

Digitized by Google

collocant. Ac licet nemo illorum omnium hac in parte ſpernendus ſit, mihi tamen inter cæteros poſtremi audiendi videntur; hi enim in ea de qua agitur quæſtione, de vſu videlicet priſcorum Eccleſiæ temporum, & diſciplina ferme toti ſunt, & in illud vnum ſtudium toti incumbunt. Nolo hîc ſingularum claſſium authores referre, & longam eorum ſeriem texere.

XXV. Pro Scholaſticis ſatis erit vnus eorum princeps & Magiſter ſententiarum, qui in iv. diſt. xiv. à Sacramentali pœnitentia diſtinguit ſolennem, *Quæ fit extra Eccleſiam in manifeſto, in cinere, & cilicio, quæ pro grauioribus, horrendíſque ac manifeſtis delictis tantùm imponitur*, allatóque Origenis teſtimonio de ea non iteranda, cum de communibus peccatis ſæpiùs fiat pœnitentia, ait ab Origene *Communia dici venialia peccata, & fortè mortalia quædam aliis minùs grauia. Quæ ſicut ſæpe committuntur, ita frequenter per pœnitentiam redimuntur. Sed de grauioribus criminibus ſemel tantùm agitur pœnitentia ſcilicet ſolennis. Nam & de illis ſi iterentur, iteratur pœnitentia ſed non ſolennis.* Ita Magiſter, quem omnes Theologi Scholaſtici à quadringentis annis ſequuti ſunt, nemine quem ſciam excepto. S. Thomam omittere non poſſum, qui ibidem quæſt. 1. art 5. ait pœnitentiam publicam & ſolennem eſſe debere ob quatuor rationes, prima, *vt peccatum publicum publicam habeat medicinam, Secunda, quia maxima confuſione in hoc mundo etiam eſt dignus, qui grauiſſimum ſcelus commiſit. Tertia, vt ſit aliis ad terrorem. Quarta, vt ſit ad exemplum pœnitendi, ne deſperent qui in grauibus*

peccatis detinentur. Et ad 3. *quia magna peccata indigent maiori cautela ad ſui curationem: ideò iniunctio pœnitentiæ ſolennis, quæ non niſi pro grauiſsimis peccatis fit, ſoli Epiſcopo reſeruatur.* Ibidem quoque peccatum enorme nominat, quod ſi animaduertiſſent illi, quorum opinio ſuperiùs relata eſt, nunquam, vt opinor, criminum enormium, & grauiſſimorum ab aliis diſcrimen non niſi pro ſimplicibus illudendis inuentum eſſe dixiſſent, nec prodigioſæ ignorantiæ notam inuſſiſſent ei ſententiæ, quæ non quibuſlibet peccatis mortalibus, ſed grauioribus dumtaxat pœnitentiam illam ſolennem iniunctam olim fuiſſe dicit.

Canoniſtarum verò anteſignanus, vel potiùs promus condus Gratianus diſt. 50. can. ſi quis XXVI. poſt. §. poteſt & aliter, quandam pœnitentiam ponit, quæ ſolennis appellatur, quæ ſemel tantùm in Eccleſia conceditur; & de Pœnitentia cap. quis aliquando §. hæc ergo, crimina alia leuia, alia grauia, aliáque publica, alia occulta eſſe dicit, & cum ſatisfactione publica confeſſionem quoque publicam coniungit. *Hæc*, inquit, *ſecreta ſatisfactio leuium, ſiue occultorum criminum Deo offerenda eſt, nec ſine pœna relaxari probantur, quæ ſic expiari creduntur. Ea verò quæ de publica ſatisfactione, vel oris confeſsione dicuntur, in publicis & manifeſtis criminibus intelligenda ſunt.* Quæ cum ſibi obiiciat, nec poſtea eiuſmodi diſtinctionem refutet probat, & tanquam tunc temporis communem, & legitimam admittit & §. è contra, ſuam ſententiam exponens ſic ait. *Occulta peccata ſecreta ſatiſ-*

factione, publica quoque manifeſta pœnitentiâ expiari debere firmiſſima conſtat ratione ſubnixum. Quia audis ſecretam ſatisfactionem & non ſolùm confeſſionem ſecretam, idque omninò à Gratiano tanquam certiſſimum aſſeri, an idcirco, eum prodigioſæ in monimentis Patrum ignorantiæ accuſabis? at quotquot poſtea Canoniſtæ ſcripſerunt, iis eandem ignominiæ notam inurendam eſſe meminetis?

XXVII. Denique quotquot hiſtoriarum, controuerſiarum, antiquiorisque diſciplinæ ſcriptores legi, ſi vnum, aut alterum dubitantem excepero, neminem reperi, qui non diſtinxerit pœnitentiam publicam à ſecreta, quique peccatorum leuiorum, & occultorum dumtaxat reos ab illius humillimæ, luctuoſiorisque pœnitentiæ legibus olim exemptos fuiſſe non crediderit. Quatuor non minùs doctrinâ, quàm dignitate Eminentiſſimi Cardinales Hoſius, Baronius, Bellarminus, Perronius id diſertiſſimè docuerunt. Hoſius confeſſionis cap. 3. 4. 44. & ſequentibus; Baronius ad annum 57. num. 21 Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 21. Perronius in replica obſeruat. 2. cap. 3. triplicem pœnitentiam olim vſurpatam ponit, publicam pro publicis, ſecretam pro ſecretis, & publicam pro ſecretis ſpontaneam, & pro indulgentia conſequenda vltrò ſuſceptam, de qua Nectarij factum explicat, & pro ſecunda laudat S. Leonem, quia nunquam ſine exomologeſi publica pœnitentiam publicam actam fuiſſe contendit, quæ ſunt capita præcipua prodigioſæ illius ignorantiæ. Lindanus in Panopl. lib. 4. cap. 62. vult quidem olim aliquando pro peccatis ſecre-

tis pœnitentiam publicam à Sacerdote fuiſſe impoſitam, ſed docet eam pro pœna redimenda, non pro culpæ reatu tollendo valuiſſe, priuatam enim ad delictorum veniam conſequendam, & quæ ægris peccato animabus adhibenda medela eſt, id eſt, pro culpa expianda docet olim, vti hodie, fuiſſe admotam: ac licet publicæ veſtigia pauca nunc in Eccleſia ſuperſint, contendit nihilominùs priuatam illam etiamnum, vti apud priſcos, habere atque obtinere ritus legitimos, ac neceſſarios.

Quodque nemo non mirabitur, tres illi, quos recentiores iſti pœnitentiæ antiquæ ſcientiſſimos ſtudioſiſſimóſque reſtauratores laudant, Marianus Victorius, Gropperus & S. Carolus Borrhomæus idem omnino cum illis ſentiunt. Mariani libr. de antiq. pœnit. initio hæc verba ſunt. *Eſt autem duplex pœnitentiæ genus, publica quæ interdum ſolennis erat, & priuata. Publica dicitur illa, quæ publicè coràm fidelium cœtu peccatori, cuius peccatum vulgatum eſt, imponitur, hæc autem ſi adhibitis ſolemnitatibus imponatur, ſolennis etiam appellatur. Priuata verò dicitur, quæ pro ſecretis & non propalatis criminibus indicitur*: & paulò poſt. *Imponebatur D. Auguſtino teſte, publica pœnitentia Epiſcopi arbitrio, iis qui publico ſcelere Eccleſiam offendiſſent, vt ſi quis publicè gentium diis, quòd Marcillinus egit, ſacrificaſſet.* Gropperus verò ab aduerſario productus parte 2. lib. de freq. comm. cap. 45. hæc habet, *pœnitentiam publicam publicorum criminum expiatio requirit, ... In ſumma hoc conſtat non relaxari rite per Sacerdotes in* XXVIII

Eccleſia grauia à baptiſmo commiſſa crimina, niſi facta exomologeſi & peracta publica, ſi publica ſint crimina: vel priuata, ſi ſecreta ſint, ſatisfactione. & pag 606. *Quare diſcretione magna opus eſt, & hæc imprimis ſeruanda venit inter pœnitentes publicè, & abſconsè. Enimuerò oportet, vt ſupra dictum eſt, vt qui publicè peccat, publica multetur pœnitentia, & ſecundùm ordinem Canonum pro merito excommunicetur, & reconcilietur. His verò qui clàm grauiora ſcelera admiſerunt, eáque confeſſi ſunt, etſi non iniungere inuitis, indicare tamen ſaltem debent Sacerdotes remedium Canonicum, quod ſubire debuiſſent, ſi eorum facinora publicata fuiſſent.* Exomologeſim, & pœnitentiam publicam non ſeparat, & antiquorum Canonum diſciplinam tradere ſe profeſſus, disertè diſtinguit peccata grauia, publicáque, ita vt niſi quæ grauiora facinora ſunt, eadem quoque publica ſint, illis conſuli quidem poſſe & indicari, at non imperari pœnitentiam ſatisfactionemque publicam velit, ac demum excommunicationis non niſi in publica pœnitentia meminit, nec tamen is ſimpliciores circumuenire voluit, aut ſtupendum in modum antiquæ diſciplinæ ignarus fuit.

XXIX. Demùm S. Carolus actor. parte 1. Concil. prou. 3. titulo de iis quæ ad pœnit. Sacram. pertinent. *Studeat* Epiſcopus *ad ſacrorum Canonum & Tridentini Concilij præſcriptum, pro publicorum delictorum grauitatis ratione, & publicam & ſolennem pœnitentiam in vſum reuocare.* Exiſtimat igitur idem Canonum antiquorum, & Tridentini Concilij præſcriptum eſſe, quo agnoſcitur aliqua publica

publica & ſolennis pœnitentia, quæ non niſi pro publicis delictis grauitatis ratione habita ſit imponenda. Et in litera paſtorali Italica de Septuageſima, quæ in actorum parte 7. habetur hunc Eccleſiæ morem antiquum fuiſſe ait, vt initio Quadrageſimæ Chriſtiani omnes peccata confeſſi, ſalutarem & peccatis ſuis congruam pœnitentiam acciperent, hocque pacto ad ieiunium quadrageſimale cum fructu ſeruandum diſponerētur. Qui verò pro peccatis ſuis publicis grauiore pœnitētia plectendi erant, initio Quadrageſimæ ſacco veſtiti nudis pedibus, vultu humi defixo, publicè, & in conſpectu totius cleri ſiſtebant ſe Epiſcopo, qui criminibus eorum cognitis, & diligenter examinatis, publicam illis pœnitentiam iniungebat, cineréque aſperſo cilicium imponebat, quo in ſtatu vſque ad diem Cœnæ Domini perſeuerabant. Ex his igitur conſtat S. Carolum arbitratum fuiſſe, pœnitentiam publicam olim nonniſi pro quibuſdam publicis criminibus, ab Eccleſiæ Antiſtitibus imperatam fuiſſe. Atque de Catholicorum ſententia hactenus.

CAP. II.

Quotuplex in Eccleſia pœnitentia publica à ſanctis Patribus agnoſcatur.

SECTIO PRIMA.

Qua de pœnitentia quæſtio inſtituatur?

I. QVia pœnitentia ſeu metanœa mentis animíque mutatio in genere dicitur, eúmque alicuius pœnitet, quid quod priùs volebat, poſtea non vult, ſéque id voluiſſe dolet; non mirum, ſi malam aliquam, *terrenam mortalemque* Tertullianus in libri de pœnitent. initio agnoſcit, *quam in bonis factis habent improbi, quos pœnitet fidei, amoris, ſimplicitatis, patientiæ, miſericordiæ, prout quid in gratiam cecidit, & quâ ſemetipſos exſecrantur, quia beneſecerint.* Verùm de ea nobis hîc ſermo non eſt, nec de quauis bona, ſiquá prophana, naturalis, & nullo fidei ſupernaturalis affectu, aut Spiritus ſancti impulſu excitata eiuſmodi eſſe poteſt; ſed de piorum pœnitentia loquimur, quam Eccleſia religióque Chriſtiana profitetur, cuius author Spiritus ſanctus eſt, eámque inſpirat, vt loquitur S. Leo epiſt. XCI. cuius materia eſt malè factum, ſeu peccatum, circa quod abolendum & ab anima

tollendum illa verſatur, *vt quidquid error vetus inquinaſſet, quidquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens & radens, & foràs abijciens mundam pectoris domum ſuperuenturo Spiritui ſancto paret, quò ſe ille cum cœleſtibus bonis libens inferat*, inquit Tertull. citatus cap. 2. atque ita cauſam pœnitentiæ materialem finalémque attingit, purgationem videlicet animæ, vt eam Spiritui ſancto, eiuſque donis gratuitis quæ peccando perdiderat, recuperandis aptam efficiat, *negotium diuinæ miſericordiæ curans*. Vnde eius ratio formalis hæc eſt, *vt ſit proſternendi, humilificandique hominis diſciplina, conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem*, vt idem Tertullianus eam appellat. Nec enim miſericordiam diuinam quam peccator offendit, meliùs ſibi iterum conciliare poteſt, quàm ſi, vt diuinæ iuſtitiæ faciat ſatis, pœnas volens libénſque à ſe repetit, Deúmque offenſum ipſe vlciſcitur, vt quia quicumque peccat peruerſo ſui amore ductus ſibi nimis placet, ſuàmque libidinem diuinæ volũtati ſuperbè anteponit, dolore & humilitate pœnitentiæ comitibus, vt Auguſtinus homilia 50. cap. 1. ait, ſe caſtiget, meritáque pœna afficiat.

Sed cùm ea pœnitentia vel ſolo in animo concepta habeatur vel etiam ſeſe foràs externo aliquo ſigno, & effectu prodat; de hac duntaxat hîc agitur, nec de qualibet externa, ſed de publica, quæque multis manifeſta fit. Nec enim quæuis extrinſecùs apparens publica dici ſolet, quia ſi clàm, aut etiam vno tantùm aliquo teſte & conſcio agitur, quantumuis externa ſit, ſecreta tamen II.

eſt, cuiuſmodi nunc Sacramentalis pœnitentia in vſu eſt. Quamobrem quæritur à nobis quotuplex olim atque primis decem, aut duodecim Eccleſiæ ſæculis pœnitentia publica, & cum cæremoniis, ritibuſque publicis obſeruata in vſu fuit, ac nominatim quarto quintóque ſæculo, quibus ij contra quos hæc diſſertatio inſtituitur, Eccleſiæ diſciplinam maximè viguiſse volunt.

Sectio Secvnda,

Duplex in genere pœnitentia publica, altera ante baptiſmum, altera poſt eum acta fuit.

III. Atque imprimis in Eccleſia fieri ſolita pœnitentia publica duplex fuit; altera quæ catechumenos competentes ad baptiſmum ritè ſuſcipiendum præparabat; altera pro peccatis poſt baptiſmum commiſſis expiandis ſuſcepta. Quòd enim nemo adultus ſine aliqua publica pœnitentia ad baptiſmum admitteretur, teſtes ſunt Patres, atque inter cæteros Tertullianus in libro de Pœnit. vſque ad caput ſeptim. & S. Auguſtinus paſſim, ac nominatim homilia 27. & 50. lib. II. de Symbolo ad catechum cap. 1. & lib. IV. cap. quoque 1. Ibi ritus quibus nocte ante baptiſmum proxima catechumenus initiabatur, &, vt ait, ſuſceptus in vtero ab Eccleſia matre parturiebatur, enarrans, meminit ſigni crucis, exorciſmorum, orationum, canticorum ſpiritualium, in-

ſufflationum, cilicij, inclinationis ceruicum, humilitatis pedum, pauoríſque, cum quo is ex loco ſecreto producebatur in conſpectum totius Eccleſiæ, ibique ceruice humiliata, quæ malè fuerat anteà exaltata, in humilitate pedum, ſeu nuditate, cilicio ſubſtrato examinatus petebat, *proba me Deus, & ſcito cor meum*, ſicque purgatus cantato ſalutis cantico accipiebat ſymbolum, & profitebatur renuntiare ſe diabolo, pompis, & angelis eius Hanc autem pœnitentiam non agebat catechumenus, vt pro peccatis Deo ſatisfaceret; eorum enim remiſſionem gratuitam pleniſſimã in baptiſmo accepturus erat, ſed vt ſe ad gratiam ſuſcipiendam, & vitam nouam profitendam veteris odio, & deteſtatione pararet: quare hæc pœnitentia non *ſolùm ceſſationem à peccato, ac vitæ nouæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continebat*, vt loquitur Synodus Tridentina ſeſſ. XIV. cap. IV. refellens hæreticos dicentes *optimam pœnitentiam eſſe tantùm nouam vitam*, quos anathemate percellit can. XIII.

Hanc iſtius pœnitentiæ rationem idem S. Auguſtinus homilia XXVII. cap. I. ſic deſcribit. *Neque ad baptiſmum Chriſti, in quo omnia peccata delentur, quiſquam benè accedit, niſi agendo pœnitentiam de vita priſtina. Nemo enim eligit vitam nouam, niſi quem veteris pœnitet*, quaſi dicat, quamuis baptiſmus omnia peccata deleat, nihilominùs tamen eum qui baptizatur vitæ priſtinæ pœnitere oportet, vt vitam nouam eligere ſe profiteatu r. Et homilia 50. cap. II. pœnitentiam hanc *nouum hominem parturire* ait, *donec per* IV.

baptiſmum ſalutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum: vt tanquam puero nato dolores tranſeant, quibus viſcera vrgebantur ad partum, & triſtitiam lætitia conſequatur. Omnis enim qui iam arbiter voluntatis ſuæ conſtitutus eſt, cùm accedit ad Sacramenta fidelium, niſi eum pœniteat vitæ veteris, nouam non poteſt inchoare. & poſtea. *Ab hac pœnitentia cum baptizantur ſoli paruuli ſunt immunes, nondum enim vti poſſunt libero arbitrio. Ceterorum hominum nullus tranſit ad* Chriſtum*, vt incipiat eſſe quod non erat, niſi eum pœniteat fuiſſe quod erat.* Quanquam, vt ſuperiùs retuli, ipſe paruulos etiam pœnitentes æquè ac credentes facit; eámque ob cauſam eaſdem cæremonias erga eos dum baptizantur Eccleſia obſeruat.

V. Idipſum Tertullianus cap. huius ſectione prima laudatus, docet nimirum Deum cùm *ſaluti hominis præminiſtrat pœnitentiam deſtinare purgandis mentibus præpoſitam & mundam pectori domum ſuperuenturo Spiritui ſancto parare.* & cap. vi. neceſſitatem pœnitentiæ huius indicat, quia *lauacrum obſignatio eſt fidei*, ſeu vitæ Chriſtianæ, quia iuſtus ex fide viuit, *quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur & commendatur*, quâ nimirum corda purificantur. *Non ideo abluimur, vt delinquere deſinamus, ſed quia deſiimus, quoniam iam corde loti ſumus. Hæc enim prima* Audientis *intinctio eſt, metus integer.* Quibus poſtremis verbis docet contra hæreticos ſuperiùs relatos, vtilem atque adeò ſufficientem ante baptiſmum eſſe pœnitentiam, quæ ex Dei timore concipitur, nec verò caſto illo, qui filiorum Dei

proprius eſt,ſed ſeruili, quique pœnam reſpicit. Quem enim metum integrum dicit, eumdem proximè ante *formidinem iudicij* appellauerat. Eiuſdemque timoris,meminit S. Auguſtinus lib. illo II.de ſymbolo cap.I. *Probauit Deus, examinauit corda ſeruorum ſuorum, ſuo timore tetigit, diabolum ſua virtute fugauit, atque ab eius dominio ſuam familiam liberauit.* Quod de timore caſto non loquatur, intelligi poteſt ex eo, quod hunc inter arma iam baptizato à Chriſto danda recenſet poſtea, idque obiter attigiſſe modò ſit ſatis. Nunc quod ad rem noſtram magis facit, velim obſeruatum, hanc à baptizandis pœnitentiam requiri, non pro ſatisfactione aliqua, ſed tantùm probatione,& teſtimonio, quo illi vitam meliorem, & Chriſtianam priſtina damnata deinceps agere ſe velle profitentur. *Hoc*,inquit idem Tertullianus cap. VI. *pretio Dominus veniam addicere inſtituit: hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant,priùs nummum,quo paciſcuntur,examinant,ne ſcalptus, neue raſus,ne adulter: etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem priùs inire, tantam nobis mercedem,perennis ſcilicet vitæ, conceſſurum.*

Sectio Tertia.

Multiplex Chriſtianorum iam baptizatorum pœnitentia publica olim in Eccleſia fuit.

VI. ID omnis pœnitentia Chriſtianorum ob peccata poſt baptiſmum commiſſa, ab illa catechumenorum pœnitentia diuerſum, ſibique proprium habet, vt ſit etiam pro reatu pœnæ ſatisfactoria, non quidem pœnæ æternæ, quæ cum culpa per contritionem, aut pœnitentiæ Sacramentum æquè ac per baptiſmum ſeu per Sacramentum, vel eius votum remittitur, ſed pœnæ temporalis, quæ quia non ſemper tota cum culpa condonatur, ipſius pœnitentis labore, & operibus ſatisfactoriis redimenda eſt. Idque non ſolùm in peccatis mortalibus locum habet, ſed etiam in venialibus, quorum labe abſterſa, alicuius pœnæ exoluendæ reatus adhuc reſtare poteſt. Nec Catholicus vllus dubitat, quin ob peccata venialia quoad culpam in hac vita remiſſa, purgatorij ignis pœnæ aliquando ſubeundæ ſint. Scio id negari ab hæreticis, ſed cum res nobis ſit cum Catholicis, qui nec purgatorium, nec indulgentias, nec reatum iſtum pœnæ poſt culpam abolitam ſuperantem negant, id tanquam conceſſum pono, Ita quælibet Chriſtianorum pœnitentia eſt veluti baptiſmus laborioſus, & vt ait Tertullianus cap. IX. huius ſecundæ in vniuerſum pœnitentiæ,

Quanto in arcto negotium eſt, tantò operoſior probatio eſt, vt non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus.... exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem vt ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Quaſi dicat huius ſecundæ pœnitentiæ vt Deo probata ſit, præter conſcientiæ teſtimonium, quo pœnitens ſe vitæ priſtinæ pœnitere ſignificat, actum aliquem externum eſſe debere, nec quemlibet, ſed exomologeſim, quæ proſternendi, humilificandique hominis diſciplina eſt, quia confeſſio eſt, quæ ſatisfactionem habet, datque initium pœnitentiæ, qua Deus mitigatur, & vt clariùs ex eodem Tertulliano S. Eligius homil. XI. *Confeſſio pœnitentiam monſtrat, pœnitentia ſatisfactionem oſtentat, ſatisfactio veniam ſibi diuina pietate conciliat.*

Hæc autem ſecunda ſeu baptizatorum pœnitentia pro peccatorum diuerſitate duplex diſtingui poteſt; Prior de quotidianis leuioribuſque delictis; poſterior de grauioribus. Vtraque à S. Auguſtino hom. 50. cap. III. agnoſcitur, hæc grauior, & luctuoſior dicitur, illa quotidiana, longèque lenior & mitior, *eiuſque actio per totam iſtã vitã qua in carne mortali degimus, perpetuæ ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt*, duplici de cauſa; priore quidem, vt vitæ huius pertæſi cæleſtem deſideremus. *Nemo enim vitam æternam incorruptibilem immortalemque deſiderat, niſi eum vitæ huius temporalis, corruptibilis, mortaliſque pœniteat, & quis feſtinat, atque optat ad pa-* VII.

triam remeare, & illam ſpeciem, quæ eſt facie ad faciem contemplari, niſi quem peregrinationis ſuæ pœnituerit? Poſterior verò perpetuæ, quotidianæque illius actionis cauſa eſt remiſſio peccatorum, à quibus immunis non eſt Chriſtianus, *quantumuis ſic corpus habeat edomitum, vt mundo crucifixus, ab omni opere malo in ſeruitutem redacta membra caſtiget, ne iam regnet peccatum in eius mortali corpore ad obediendum deſideriis eius.* Vnde planum fit, ea de quibus Auguſtinus loquitur, peccata eſſe leuiora, quæque venialia appellamus. Eius autem pœnitentiæ in Eccleſia quotidianus eſt vſus, adeóque frequens, vt vix ſine aliqua eius actione vllum ſanctius religionis noſtræ munus obeamus. Ita ſanctum Miſſæ ſacrificium auſpicantur omnes ab huius pœnitentiæ actione, humili confeſſione, inclinatione ceruicum, genuflexione, aut etiam totius corporis proſtratione ac tunſione pectoris, & vt verbis Tertulliani vtar, *exomologeſi totius hominis proſternendi humilificandique diſciplina.*

VIII. Altera pœnitentia grauior luctuoſiorque ea eſt, quæ catechumenorum illi, & Chriſtianorum quotidianæ annumerata ab Auguſtino homilia illa 50. cap. IV. tertia dicitur, *Cuius actio pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus continet... & de quibus Apoſtolus dicit: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.... & quorum ſibi conſcius talem in ſe ſententiam proferre debet, vt ſe indignum iudicet participatione corporis & ſanguinis Domini*, quæ peccati mortalis notæ veræ & proprii characteres ſunt. Nec enim venialia peccata reum communione Eu-

charistiæ indignum faciunt, nec ſi ſola ſunt morientem à regno Dei excludunt, nec tam contra legem Dei, quàm præter eam fiunt, vt poſt S. Thomam Theologi docent; quia charitatem Dei, quæ omnis præcepti finis, legiſque plenitudo eſt, in animo non extinguunt. Quia hîc de pœnitentia Eccleſiæ publica ſermonem habeo, nondum diſputo, an pro omnibus peccatis mortalibus ſubeunda neceſſario ſit cuilibet peccatori, cuiuſmodi Sacramentalis pœnitentia eſt, necdum definio, an non etiam pro venialibus vtiliter agi poſſit. Id vnum in præſentia dico pœnitentiam hanc grauiorem non imperatam fuiſſe, nec vnquam neceſſario ſubeundam eius actionem, niſi pro peccatis mortalibus, ſiue omnia, ſiue aliqua tantùm eiuſmodi complexa fuerit.

Digitized by Google

Cap. III.

Quotuplex olim in Eccleſia pœnitentia grauior publica fuit?

Sectio Prima.

De pœnitentia publica nonnullis imperata differitur.

I. LVctuoſiorem poenitentiam hîc appello, quam qui agebat olim proprio nomine pœnitens in Eccleſia vocabatur, quem Concilium Bracarenſe II. Can. XXIII. & Toletanum I. Can. II. ſic deſcribit. *Ex pœnitentem eum dicimus, qui poſt baptiſmum pro homicidio aut pro diuerſis criminibus, grauiſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam ſub cilicio gerens diuino fuerit reconciliatus altario.* Cuius luctuoſioris grauioriſque poenitentiæ tria genera primis illis ſex ſæculis ac poſterioribus in Eccleſia vſurpata reperio. Primum à me dicitur genus poenitentiæ imperatæ ſeu præceptæ; Secundum conceſſæ vltrò petentibus: Tertium eius, quæ ſolennis vocata eſt. Primi generis poenitentia à ſecundo genere hoc maximè vno diſcrepabat, quòd Eccleſia primam impera-

bat quibuſdam peccatoribus, itáque ab his exigebat, vt niſi ea perfunctos ad communionem legitimam, ſeu ſacrorum omnium munerum participationem integram perfectámque non admitteret; vnde ea conuictis quorumdam peccatorum non libera, ſed eius leges alioqui graues, & auſteræ neceſſariò ſubeundæ erant: ſecundi generis pœnitentia vltro, & ex pietatis affectu liberè petebatur à nonnullis, etiam nullum graue peccatum confeſſis, illiſque concedebatur ab Eccleſia, vt iiſdem ferè durioris diſciplinæ officiis, quibus priores illi fungerentur. Si qua alia inter vtramq; diuerſitas erat, eam, dum ſingulas exponam, referam; ſicut & quod tertia, quam ſolennem appello, commune cum illis, aut ſibi proprium habuerit. At cùm hæc tertia ſolennis vniuſmodi fuiſſe videatur; prima illa, ſecundáque duplicis adhuc rationis fuit: vel enim in conſpectu totius populi, & Eccleſiæ fiebat, vel tantùm coràm nonnullis teſtibus, nec cum toto illius apparatu, cuiuſmodi fortè clericorum, diaconorum, ſacerdotúmque pro grauioribus delictis temporibus illis pœnitentia fuit. Tria in his fortè alicui non ſatis explorata, mihi probanda intelligo. Primum aliam imperatam, aliam conceſſam pœnitentiam, ſeu ad eandem luctuoſiorem nonnullos ab Eccleſia coactos, alios petentes admiſſos fuiſſe. Secundum vtramque non ſemper æquè publicam fuiſſe. Tertium denique ſolemnem aliquam ab ea diuerſam, ſi non prioribus, altem poſterioribus illis antiquæ Eccleſiæ ſæcuſis in vſu fuiſſe: quæ ſingula breuiter ex antiquis monimentis probo.

II. Ac primùm quidem quod nonnullis pœnitentia publica per Eccleſiæ Antiſtites excõmunieatis fuerit imperata, in antiquorum Patrum ſcriptis, & Conciliorum canonibus adeò planè exprimitur, vt qui de eo vel tantillùm dubitet, totius antiquitatis ignariſſimum ſe prodat: nonullos diuerſorum ſæculorum authores Tertullianum SS. Ambroſium, Auguſtinum, Eligium, & aliquot Concilia profero. Ac Tertullianus quidem in ſuo de pudicitia libro, quamuis iam hæreticus, quis tamen Eccleſiæ tunc temporis hac in re mos fuerit apertiſſimè docet cap. 7. *Iuxta drachmæ exemplum etiam intra domum Dei Eccleſiam licet eſſe aliqua delicta pro ipſius drachmæ modulo, ac pondere mediocria, quæ ibidem deliteſcentia, mox ibidem & reperta ſtatim ibidem cum gaudio emendationis transfigãtur. Mæchiæ verò & fornicationis non drachma, ſed talentum, quibus exquirendis non lucernæ ſpiculo lumine, ſed totius ſolis lancea opus eſt. Simul apparuit, ſtatim homo de Eccleſia expellitur, nec illic manet, nec gaudium confert repertrici Eccleſiæ, ſed luctum, nec congratulationẽ aduocat vicinarum, ſed contriſtationem proximarum fraternitatum.* Vel enim de catholica, vel de ſua Montaniſtarum Eccleſia loquitur; ſi de catholica, idipſum eſt, quod contendo; ſi de ſua, cùm nemo illis in admittendis peccatoribus durior fuerit, & ob ſuam nimiam hac in parte auſteritatem Montaniſtæ à Catholicis damnati fuerint, quę peccatoribus indulgentia apud illos conceſſa eſt, à Catholicis denegatam ſuſpicemur? Cùm igitur quædam delicta, alia videlicet quàm quæ ibidem notat idolo-

latriam, homicidium, & adulterium, ab Eccleſia reperta ſtatim cum gaudio emendationis tranſacta fuerint, ea luctuoſæ, diurnæque pœnitentiæ legibus obnoxia minimè fuiſſe clarum eſt. At mæchus ſtatim ac apparet expellitur, ſeu excommunicatur, nec niſi poſt luctum reſtituitur, & Eccleſiæ reconciliatur, quod pœnitentiæ illius ratio ferebat.

III. S. verò Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 14. *Sequeſtrari*, inquit, *oportet grauiter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. Expurgandum eſt vetus fermẽtum, vel in ſingulis vetus homo, hoc eſt, homo exterior cum actibus ſuis, vel in populo inueteratus peccatis, vitiiſq; cõcretus.* Si eiuſmodi peccatorem ſequeſtrari oportet, id eius arbitrio & voluntati liberum ab Eccleſia non permittitur. Et S. Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium, *quoſdam quorum crimina manifeſta ſunt à veſtra ſeueritate liberatos, à ſocietate tamen remouemus altaris, vt pœnitendo placare poßint, quem peccando contempſerant, ſeque ipſos puniendo. Nam nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, niſi vt id quod malè fecerit, impunitum eſſe non ſinat.* S. quoque Eligius pœnitentes ad pœnitentiam compulſos Homilia 8. ſic alloquitur. *Nunc ad vos ſermo noſter dirigitur, quos mater Eccleſia quaſi non ſuos recognoſcens ob fœditatem ſcelerum veſtrorum, dudum à ſe repulit.* Concilia denique quæ idipſum tradunt innumera ſunt; legantur eorum canones apud Burchardum, & Iuonem Carnotenſem, hunc parte decreti 13. & 15. illum toto lib. 11.

Cabillonenſe cap. 25. in ſecundo tomo concil. Galliæ; Arelatenſe 6. cap. 26. decernunt, vt qui publico crimine conuicti ſunt, rei publicè iudicentur, & publicam pœnitentiam agant ſecundum canones. Atque de pœnitentia publica nonnullis peccatoribus imperata, ſatis.

Sectio Secvnda.

Pœnitentia publica petentibus quibuſdam conceſſa olim fuit.

IV. Remiſsâ peccati culpâ, niſi baptiſmo remiſſio illa fiat, pœnæ alicuius temporalis reus adhuc peccator ſeu pœnitens eſſe, eáque pœna non tantùm per pœnitentis ipſius labores, & opera ſatisfactoria, ſed etiam per indulgentias, ſeu Eccleſiæ ſuffragia redimi poteſt, applicatis illi pœnitenti tam Chriſti, quàm chriſtianorum, ac potiſſimùm defunctorum operibus, ſeu ſatisfactionibus, quarum illi ob ſua peccata coràm Deo non indigeant, vt de indulgentijs diſputantes Theologi docent, & ex illa antiquæ Eccleſiæ praxi de martyrum lapſis ſuffragantium libellis datis intelligitur. Verùm quia Eccleſia tunc temporis non niſi aliqua pœnitentia etiam publica perfunctis in ſacco, & cinere per reconciliatoriam manuum impoſitionem has indulgentias dare ſolebat, cumque adhuc morem tenet, nec niſi iejunijs, eleemoſynis, ſtationibuſque indictis

indictis iubilæum, ſeu ſolennem indulgentiam concedit; vt hoc beneficio fruerentur Christiani, aut etiã vt pro ſuis peccatis Deo pleniùs ſatisfacerent, & ſalutem in tutiori loco ponerent, ſua aliquando ſponte luctuoſam illam pœnitentiam ſubibant, & quandiu in ea verſabantur, in luctu, & ſqualore iacebant cum pœnitentibus publicis, ſeu ad illam compulſis, nec niſi accepta reconciliatione, ſi diaconi, preſbyteri, aut Epiſcopi erãt, ad ſua munera obeunda admittebantur. Nam & nonnullos eiuſmodi ab illius pœnitentiæ legibus alioqui immunes, maximè in mortis periculo pœnitentiam petitã accepiſſe, ex Conciliis antiquis habemus. Inter cœteros canonicæ pœnitẽtiæ ritus huiuſmodi pœnitentes voluntarij peccatorũ exomologeſim, & publicam nonnullorũ confeſſionem faciebant, aut etiam tantùm in vniuerſum ſe peccatores profitebantur, nullis nominatim expreſſis, pro arbitrio, conſilioque ſacerdotis ad id munus ab Epiſcopo deſtinati, quẽ prudentia ſingulari præditum eſſe, nec niſi talẽ cognitum deligi oportere non rarò ſancti Patres monent.

Inſigne eſt Origenis hac de re dictum homilia 11. in Pſal. xxxvi. Ibi enim poſtquam peccatum etiam occultum confeſſione euomendum eſſe docuit, ſignificat id non niſi alicui vni ſacerdoti fieri, & pro eo palàm confitendo maximam cautionem adhiberi oportere, ſicque pœnitentem monet. *Tantummodò circumſpice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba priùs medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum* IV.

flente, qui condolendi & compatiendi nouerit diſciplinam, vt ita demùm ſi quid ille dixerit, & qui ſe priùs eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilij dederit, facias & ſequaris; ſi intellexerit, & prauiderit talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multâ hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt. Tu Lector obſerua Origenem loqui de cõſilio dato, non præcepto, *ſi quid conſilij dederit, facias & ſequaris*, quod qui accipit liberè, & ex electione, non ex neceſſitate ſequitur, de conceſſa igitur non de præcepta neceſſarioque ſubeunda pœnitentia publica loquitur.

V. Nec dicas liberum illi quidem fuiſſe palàm confiteri peccatum, non autem ſi mortale erat, pœnitentia illud publica expiare. Oſtendam enim poſtea non niſi de publicis, & quorum ab eccleſia in iudicio cõuincebantur peccatores ad pœnitentiam publicam conſtrictos fuiſſe, & de quibus hæc mandabatur criminibus, eorum exomologeſim factam fuiſſe. Deníque de pœnitẽtia agenda loquitur, in cuius diſciplina multa deliberatione viríque prudentiſſimi conſilio opus eſt, quod de pœnitentia imperata per canones intelligi non poteſt, eam enim canones ita præſcribebant, vt nihil aut certè vix quidquam dubij reliquum eſſe poſſet. Quod enim Origenes loquitur de peccato, *quod in conuentu eccleſiæ exponi debeat*, non idcirco cum de confeſſione publica pro crimine peccati expiando im-

perata & neceſſaria loqui neceſſe eſt. Quæ enim verba ſubijcit quam ob rem illa palàm exponi debeant, manifeſtè ſignificant, vt videlicet cæteri Chriſtiani ædificentur, & peccator ipſe facilè ſanetur. Quis autem catholicus Sacramentũ pœnitentiæ pro peccatis facilè tantùm curandis, aut pro eccleſiæ ædificatione, cuius rationẽ maximè haberi à vult Origenes, Chriſto inſtitutũ, aut præceptũ eſſe dixerit. Deinde, quod obiter animaduerſum velim, Origenes publicã illam peccati confeſſionem ab auriculari ſecreta, vnique alicui ſacerdoti facta, & conſequenter Sacramentali diſtinguit, negat quæcumque peccata vni alicui ſacerdoti pœnitens confeſſus eſt, ea publicè exponenda eſſe, ſed tantum aliqua pro quibus diſcernendis magna cautio ſit adhibenda. Denique cùm non de ſola pœnitentia, & ſatisfactione, ſed etiam de confeſſione & expoſitione peccati publica Origenes loquatur, aduerſarios qui non confeſſionem, ſed pœnitentiã publicam pro quibuſlibet peccatis mortalibus olim imperatam eſſe dicunt, non iuuat, ſed potiùs refellit. *Vult. Origenes.*

VI. De hac quoque voluntariè ſuſcepta pœnitentia intelligendus eſt S. Ambroſius, cùm lib. 1. de Pœnit. cap. XVI. ſic loquitur. *Si quis occulta crimina habens propter Chriſtum tamen ſtudiosè egerit, quomodo iſtic recipit, ſi ei communio non refunditur?* Qui enim *ſtudiosè* pro crimine occulto pœnitentiam agit, non ex neceſſitate, ſed pietate, & ſtudio eam ſuſcipit, quia ob crimen occultum publicam pœnitentiam nunquam imperatam eſſe poſtea euincam, de publica autem

loqui S. Ambroſium clarum eſt ex his quæ ſubijcit. *Volo veniam reus ſperet, petat cum lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, vt ignoſcatur, & obſecret, cum ſecundo, & tertiò fuerit dilata eius communio, credat remiſſius ſe ſupplicaſſe, fletus augeat miſerabilior, poſtea reuertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lauet fletibus, &c.* Nec obſcurè id ipſum colligitur ex his S. Auguſtini verbis Homilia 50. capite 4. *Nemo arbitretur, fratres, propterea ſe conſilium ſalutiferæ huius debere pœnitentiæ contemnere, quia multos fortè aduertit & nouit ad ſacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, vt Petrus, multi tolerantur vt Iudas, multi neſciũtur*; Quia nimirum non deferuntur ad Eccleſiæ antiſtites. *Nos verò à communione prohibere quemquam non poſſumus, quamuis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſpontè confeſſum, aut in aliquo ſiue ſæculari ſiue eccleſiaſtico iudicio nominatum atque conuictũ,*

VII. Vides nonnullos non conuictos, vltrò, ac ſpõtè confiteri peccatum, prohiberi à communione. & ſalutiferæ illius pœnitentiæ conſilium amplecti. Quodque non de Sacramentali, nec cuiuis peccati mortalis reo neceſſariò ſubeunda pœnitentia loquatur S. Auguſtinus ſatis clarè ſignificat, cùm ait multos criminum, ob quæ illa agebatur, reos, atque adeò aliis notos abſque ea corrigi, *Multi*, inquit, *corriguntur vt Petrus*, quem licet grauiter lapſum ſine eiuſmodi pœnitentia cum Deo, & Eccleſia reconciliatum eſſe ipſe ſupponit. Vnde ſic diſputo.

Quæ pœnitentia ſalutifera quidem eſt, ſed ſine qua peccator corrigi poteſt, ea conſilij eſt, non præcepti, & non ex obligatione, aut iuris alicuius conſtrictione, ſed ex libero arbitrio aſſumitur, & ab eccleſia tantùm conceditur, non imperatur. Atqui pœnitentiam publicam à nonnullis tunc ita actam eſſe S. Auguſtinus docet. Conceſſam igitur, & non imperatam aliquando eam fuiſſe fatendum eſt. Præterea S. Auguſtino æqualis S. Innocentius primus in Epiſtola ad Decentium cap. 7. ait ex Romanæ Eccleſiæ cõſuetudine, ſi nulla interueniat ægritudo, *quinta feria ante Paſcha remittendũ eſſe pœnitentibus, qui ſiue ex grauioribus commiſsis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam egerunt.* Docet igitur nõnullos pœnitentes & publicè reconciliandos egiſſe pœnitentiam ob leuiora quædam peccata, cùm tamen non niſi ob delicta grauiſſima ad illam compulſos & coactos fuiſſe certum ſit, vt poſtea probabitur. Fuerunt igitur illi pœnitentes ſpontanei, conceſſamque, non imperatam pœnitentiam egerunt. Huc denique ſpectat quod S. Leo epiſtola 80. de confeſſione publica ſecretorum peccatorum, quam imperiti ſacerdotes nonnulli ab huiuſmodi pœnitentibus ſpontaneis exigebant, quia in aliis vſurpatam videbant, differens, laudat *quidem nonnullorum plenitudinem fidei, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur*, eam tamen conſuetudinem aut potiùs abuſum vetat, *ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſsint legum conſtitutione per-*

celli. Quorum fidei plenitudinem laudat, non id tantùm ad quod vi legis tenebantur, ſed aliquid amplius ſponte feciſſe, quoſque multos indiſcreto illo rigore confeſſionis publicę à pœnitentiæ remediis arceri ait Leo, eam non coactos ſed ſpontanea pietate amplexos eſſe valde probabile eſt.

Sectio Tertia.

Spontaneæ pœnitentiæ publicæ exempla afferuntur.

VIII. ILluſtre atque omnino certum eſt illud quod ſuppeditat Toletanum Concilium 13. anno Domini 683. celebratum Can. 10. Ibi enim Gaudentio Valerienſi Epiſcopo, an poſt pœnitentiam cuius legibus per manus impoſitionem incommodæ valetudinis nimietate præuentus ſubditus fuerat, ordinis ſui miniſteria exequi poſſet, quærenti ſynodus reſpondet, eum ſoliti ordinis officia retinere poſſe, præmiſſa Metropolitani reconciliatione, per quam accepta indulgentia à pœnitentiæ legibus abſolutus dimitteretur. *ſi enim*, inquit ſynodus, *regula præcedentium Patrum eos, qui pœnitentiam in diſcrimine mortis accipiunt, & nulla de ſe manifeſta ſcelera* (ea videlicet quæ reum infamem, & irregularem reddebant) *confitentur, ſi adſit tamen in his & talibus probitas morum, ad eccleſiaſticos gradus peruenire permittunt;*

quanto magis, vt hi qui in ipſo ſacerdotio conſtituti pœnitentiam accipiunt, à ſui ordinis officio non retrahantur (quod enim cum hac negatione textus legendus ſit, ex ipſius ſermonis ſerie cuiuis clarum eſt) *tantum ſi ſeipſi mortalium criminum profeſſione propria non notarunt*. Quę pœnitentia ob nullum mortale crimen acta eſt, an alia quàm ſpontanea eſſe potuit? Regulas autem illas præcedentium Patrum accepit ex Toletano quarto, quod anno Domini 633. habitum eſt, huius enim Canon 53. ſic habet. *Qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm peccatores ſe prædicantes, huiuſmodi ſi reualuerint, poſſunt etiam pro morum probitate ad gradus eccleſiaſticos peruenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod mortale peccatum publicè fateantur, ad clerum, vel ad honores eccleſiaſticos peruenire nullatenus poterunt, quia ſe confeſſione propria notauerunt*. Crediderim hîc per peccatum mortale aliud non intelligi, quàm quod ſecundùm canones irregularem faciebat. Sed quodcumque tandem iſtud intelligatur, habeo ex Concilio pœnitentia publica aliquando perfunctum irregularem non fuiſſe, nec in ea vllum peccatum expreſſiſſe, ſed tantùm in vniuerſum ſe *peccatorem, prædicaſſe*, & pœnitentiam illam fuiſſe eiuſmodi, vt niſi ſuperioris prælati manu ſibi impoſita abſolueretur presbyter, aut Epiſcopus, ordinis ſui officia exercere non poſſet, quæ pœnitentiæ quidem publicæ, ſed ſpontaneæ argumenta certiſſima ſunt.

Nec aliam Fabiolæ illius Romanæ matronæ pœnitentiam fuiſſe reor. Quòd enim eam ſpõtè ſuſceperit, ſatis indicant conditiones, quas S. Hieronymus epiſt. 30. quæ Fabiolæ epitaphiũ eſt, refert. Ob illicitas nuptias, vt potè ſuperſtite marito contractas, ſed quas ſibi licitas fuiſſe bona fide crediderat pœnitentiam illam egit. *Fabiola*, inquit, *quia perſuaſerat ſibi, & putabat à ſe virum iure dimiſſum, nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuerſa cauſatio viuentibus viris fœminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit.* Et poſtea ait, *illam ſic doluiſſe quaſi adulterium commiſiſſet*, ſeu quaſi eius rea fuiſſet, nec ob ignorantiam veniam meruiſſet. Quare quandiu bona fide illi ſecundo viro iuncta eſt, haud dubiè, vt tunc moris erat, Euchariſtiam percepit, nec ab ea per Epiſcopi imperium prohibita eſt; *at poſt mortem ſecundi viri in ſemetipſam reuerſa*, pœnitentiam popoſcit, & induta ſacco errorem publicè confeſſa eſt, cùm ſcilicet *Euangelij vigore cognito* peccatum ſuum agnouit, ſaccum induit, *& ſtetit in ordine pœnitentium ante diem paſchæ, aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa eccleſiam Domini, ſed extra cum Maria ſorore Moyſi ſeparata conſedit, vt quam ſacerdos ejecerát, ipſe reuocaret.* Quamobrem Fabiola pœnitentiam hanc non coacta ſubiit, ſed volens popoſcit ob crimen toti Romæ notum, non occultum. Vnde valde impru-

denter quidam hoc exemplo vtuntur, vt probent etiam pro occultis peccatis olim pœnitentiam publicam neceſſariò agendam fuiſſe, aut etiam vt ſemeſtre ſuum pœnitentiæ publicæ ſpatium definiant. Nec enim niſi tempore quadrageſimæ, & vt loquitur S. Hieronymus, ante diem Paſchæ in ordine pœnitentium ſtetit, & in ipſo paſchate reconciliatam fuiſſe ſatis indicant quæ verba addit Hieronymus. *Recepta*, inquit, *ſub oculis omnis eccleſiæ communione*: Quod fecit die Paſchæ ante quem pœnitentiã egerat.

SECTIO QVARTA.

De pœnitentia ſpontanea factum Nectarij explicatur.

EX hac duplicis pœnitentiæ publicæ, vnius ex imperio eccleſiæ, ſeu imperatæ, alterius ſpontaneæ, ſeu ab eccleſia petentibus conceſſę obſeruatione, mirum quàm multæ in antiquis de pœnitentia canonibus, & Patrum ſcriptis alioqui difficillimæ quæſtiones facilè ſolui queant, vt inter cæteras, cur non raró etiam diaconis, & preſbyteris conceſſa fuerit pœnitentia abſque vlla irregularitatis infamia, cùm tamen certiſſimum ſit, qui ex mandato Eccleſiæ, & canonum præſcripto pœnitentiam egerant, iis omnis gradus eccleſiaſtici & ordinis ſacri aditu fuiſſe interdictum. Quibus & pleriſque aliis prætermiſſis id vnum modò animad- X.

uertere placet, non eſſe improbabile quod de abrogata Conſtantinopoli à Nectario pœnitentia hiſtorici Socrates lib. 5. c. 19. & Sozomenus lib. 6. cap. 16. referunt, ad hanc pœnitentiam voluntariam pertinere, vt arbitratur Card. Peronius in replicæ obſer. 21. cap. 111. Quòd enim ea Sacramentalis non fuerit, communiter doctores catholici exiſtimant, eamque publicam fuiſſe diſertè aiunt ſcriptores illi, vt fusè deſcribit Sozomenus. Quòd autem imperatæ nonnullis ob grauiora crimina peccatoribus pœnitentiæ vſus à Nectario abrogatus non fuerit, conſtat, vt opinor, manifeſtè ex eo, quod factum Nectarij omnium fermè Orientalium Eccleſiarum Epiſcopi ſequuti ſunt, inquit Sozomenus, & probauit ſeruauitque S. Ioannes Chryſoſtomus proximus Nectarij ſucceſſor: cum tamen iſte nonnullos peccatores excommunicarit vt idem Socrates lib. 6. cap. 4. docet, adeo vt quod complures ab eccleſia eieciſſet, cleri odium, & offenſam incurrerit, quos verò hoc anathemate percuſſos à communione prohibuerat, haud dubiè non niſi publicè pœnitentes, & ſatisfactione toti Eccleſiæ data reſtituebat, alioqui brutum illud, & irritum fulmen, & ludicra potiùs, aut ridicula interminatio, quàm pœnæ inflictio fuiſſet.

XI. Deinde in toto poſtea Oriente quotquot Cōcilia celebrata ſunt, canonicam pœnitentiam quibuſdam peccatoribus imperarunt. In Calchedodenſis canone 7. & 9. patrum de pœnitentia publica canones, & decreta renouantur; Idpſum videre eſt in canonibus ſextæ ſynodi nun-

cupatis. Quæ igitur à Nectario abrogatâ, & ab Orientalibus deinceps minimè vſurpata eſt publica pœnitentia, ea non alia, quàm ſpontanea hæc eſſe potuit, cui præerat Pœnitentiarius vitæ integritate ſpectabilis, ſecretorum tenax, & ea, quam Origenes poſtulat, prudentia præditus. Quod præterea non obſcurè colligitur ex facto mulieris illius, quæ huic Nectarij decreto occaſionem dedit. Quod enim ſpontè pœnitentiam illam ſubierit, conijcio ex eo, quod, vt habet Socrates, peccata poſt baptiſmum commiſſa presbytero illi pœnitentiario particulatim cōfeſſa dicitur, nec quiſquam opinor credet eam, aut nunquam antea peccata confeſſam fuiſſe, aut quæ iam confeſſa fuerat iterum confiteri vllo præcepto obſtrictam debuiſſe. Vt igitur ſuffragiis Eccleſiæ plenam peccatorum indulgentiam certiùs promereretur, ſicut & non rarò apud nos fit, peccatorum antea Sacramentali pœnitentia quoad culpam expiatorum confeſſionem ex pietate ſponte repetiit, vt de iis congruam pro indulgentia obtinenda pœnitentiam à ſacerdote illo præſcriptam faceret, qua publicè peracta, cùm ex more pro reconciliatoria manuum impoſitione, & abſolutione etiam à reatu pœnæ pleniſſima accipienda, exomologeſim coràm populo faceret, ſtuprum, dum pro pœnitentiæ diſciplina diutius in templo commorabatur, & vilia in eo pœnitentium officia faciebat, cum Diacono commiſſum palàm prodidit, etiam, vt opinor, de Pœnitentiarij conſilio. Nec enim populus tam ſtupri commiſſi indignitate offenſus eſt, quàm quòd ex illa con-

fuſione publica grauis infamiæ nota toti eccleſiæ inuſta eſt, & in ſacerdotes ipſos huius ſcilicet infamiæ authores acerbiſſimè inuectus eſt; qui niſi in illam ſtupri confeſſionem publicam conſenſiſſent, in mulierem imprudentem rejecta culpa, ab ea ſe calumnia facilè vindicaſſent. Eſt igitur abrogatus pœnitentiæ illius publicæ vſus, cuius occaſione, mulier nobilis famæ jacturam fecit, & grauiſſimum eccleſiæ ſcandalum creatum eſt; quæ ſanè pœnitentia non potuit eſſe illa, quæ, vt oſtendam poſtea, non niſi publicis criminibus conuictos, non tam noua infamiæ nota inquinabat, quàm apud populum contractam abſtergebat. Atque ex his præterea colligitur pœnitentiam à Nectario ſublatam Sacramentalem non fuiſſe. Nec enim in hac peccatorum occultorum confeſſio publica fuit vnquam præcepta, nec ex ſecreta & auriculari vllum infamiæ aut ſcandali periculũ timeri poteſt.

Digitized by Google

CAP. IV.

De multiplici tam Laicorum quàm Clericorum pœnitentia canonica.

SECTIO PRIMA.

Laicorum pœnitentia canonica aliquando ſecretior erat.

NON vnius modi, ſed multiplicem pœnitentiam publicam ſiue imperatam ſiue etiam conceſſam olim fuiſſe fateri nos neceſſe eſt, niſi Patres & Concilia res omnino pugnantes ſtatuiſſe velimus. Nā qui clerici in delicta grauia publicáque labebantur, à pœnitentiæ alicuius publicæ legibus liberi, alicui alteri ſubijciebātur, ita vt depoſiti & exauthorati in perpetuum manerent, vel etiam poſt illam pœnitentiam actam gradui ſuo reſtituerentur. Præterea aliquam pœnitentiam ſæpius datam iteratamque ſcimus, aliquam verò ſemel tantùm conceſſam, quæ in eandem & vnius eiuſdemque rationis pœnitentiam cadere non poſſunt, eas autem varias refero, & ſingulas quàm breuiſſimè poſſum explico. I.

Atque imprimis obſeruo, me hîc pœnitentiam publicam appellare, quæ Sacramentalis non II.

eſt, vt poſtea probabo, quæque aliis quàm pœnitenti & Sacerdoti nota eſt. Hæc autem duplex olim fuit, altera in conſpectu notitiáque totius populi chriſtiani, & Eccleſiæ, altera coràm nonnullis chriſtianis, aut toto clero, aut etiam ſolis ſacerdotibus fiebat. Hæc cùm non eſſet adeò ſecreta, & occulta, vt neminem alterum quàm confeſſarium conſcium haberet, cum alia tamen comparata publica minimè dicebatur.

III. Quòd autem hæc pœnitentia in Eccleſia ſemper fuerit vſurpata pro varia criminum, aut etiam rerum conditione, id ni fallor conſtat, quia vt in peccatoribus corripiendis caſtigandiſque ita ſe gereret Eccleſia, à Chriſto præceptum accepit. Matthæi enim capite 18. v. 15. Chriſtus cum Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus excommunicandi peccatores, & abſoluendi poteſtatem tradit, quomodo quiuis iuridica hac ſua poteſtate vti debeat, ſic præſcribit, vt ſi peccatum occultum fuerit, clàm reum caſtiget, ſi verò admonitus non reſipuerit, adhibeat vnum, aut alterum teſtem, quos ſi non audierit, tandem eum ad Eccleſiam deferat. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe teſtem vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic eccleſiæ.* Ex quo præcepto Chriſti S. Auguſtinus in capite vltimo libri de correp. & gratia infert, quod Paulus vult *peccantes coram omnibus corripi, vt cœteri timorem habeant, de his peccatis accipiendum eſſe quæ*

non latent. Et in ſermone decimo ſexto de verbis capite Domini ſexto, & ſequentibus duo hæc Chriſti & Apoſtoli præcepta cōcilians, ait in ſecreto corripiendū eſſe fratrem, cùm in te peccauerit, id eſt, *cùm tu ſcis quia peccauit. Quia enim ſecretum fuit, quando in te peccauit, ſecretum quære, cùm corripis quod peccauit. Nam ſi ſolus noſti, quia peccauit in te, & eum vis coràm omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor.* Et allato exemplo S. Ioſeph B. Virginis coniugis ſic pergit. *Peccauit ergo in te frater tuus, ſi tu ſolus noſti, tunc verè in te ſolum peccauit. Nam ſi multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit*, hancque rationem reddit. *Quādo me audiente fratri meo quiſque iniuriam facit, abſit vt à me iniuriam illam alienam putem. Prorſus & mihi fecit: imò & mihi plus fecit, cui putauit placere quod fecit. Ergo ipſa corripienda ſunt ſecretiùs quæ peccantur ſecretiùs. Nouit neſcio quem homicidam Epiſcopus, & nemo alius eum nouit*, nec prodit, inquit Auguſtinus, nec negligit, corripit in ſecreto, & perſuadet pœnitentiam. *Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant: aliquando nobis produntur ab vxoribus ſuis plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus; nos non prodimus in palam, ſed in ſecreto arguimus. Vbi contigit malum, ibi moriatur malum.* Vides Lector S. Auguſtinum loqui de criminibus, ob quæ pœnitentia publica tunc iniungebatur, vt poſtea diſputabitur, cúmque adulterium, & homici-

dictum ſecreta dicit, non intelligit ita occulta fuiſſe, vt nemo niſi reus eorum eſſet conſcius; nam adulterij illius vxor accuſatrix erat conſcia, & vt poſſet probare, alios domeſticos teſtes habebat; at nihilominus non niſi in ſecreto arguendus tunc erat adulter, nimirum non in conuentu totius eccleſiæ, ſed in paucorum, ac vel vxoris, vel certè Sacerdotum ſecreti tenacium, prudentiúmque conſpectu.

IV. Quamobrem cum peccatorum illorum grauiũ non eadem ſemper eſſet ratio, non par eorum apud alios offenſio, nec reorum infamia; idcirco non fuit eadem omnium correptio, & per pœnitentiam publicam imperata emendatio, & ſiqua paucis nota erãt, licet ad Eccleſiæ Antiſtites delata probarentur, ea tamen in vulgus per publicam, & ſolemnem pœnitentiam non prodebantur, ſed in cleri, aut etiam ſacerdotum dumtaxat conſeſſu corripiebantur, reiſque imperabatur pœnitentia, quæ eos apud populum infames non efficeret. Vtriuſque pœnitentiæ meminit idem S. Auguſtinus Hom. 50. cap. 4. *Si expedire*, inquit, *vtilitati eccleſiæ videbitur antiſtiti, pœnitens in notitia multorum, vel etiã totius plebis agere pœnitentiam non recuſet.*

Huius diſciplinæ decretum habetur in Concilio Toletano vndecimo circa annum ſexcenteſimum ſeptuageſimum quintum celebrato: In canone enim 7. redarguit Epiſcopos qui prætextu correctionis ſpiritualis ſubditos occultis, ſeu illegitimis iudiciis ſub pœnitentia puniunt, decernítque *vt quoties quilibet ex ſubditis corrigendus eſt, aut publica debeat à ſacerdote diſ-*

ciplina

plina curari: aut ſi aliter rectoribus placet: duorum vel trium fratrum ſpiritualium teſtimonio peculiariter adhibito, & modus criminis agnoſcatur, & modus pœnitentiæ irrogetur. Obſerua pro modo criminis modum pœnitentię irrogari, & qui publica diſciplina curandus peccator eſt, eum aliquando duobus, aut tribus tantùm teſtibus adhibitis corrigi, & pœnitentiam accipere oportere. Doctrinam hanc confirmat Carthagin. Concilij tertij canon trigeſimus ſecundus, quo ſtatuitur, *vt cuiuſcumque pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod vniuerſa eccleſia nouerit, ante apſidem manus imponatur.* Nec enim hanc pro manus impoſitione circunſtantiam criminis vulgatiſſimi, & ante apſidem, ac coràm toto Eccleſiæ cōuentu poneret, niſi eſſet alia criminū non ita publicorum ſecretior pœnitentia. Ac demùm huc ſpectat quod S. Baſilius in epiſtolæ canonicæ ad Amphiloch. can. trigeſimo quarto ait adulteras mulieres, & adulterium ob pietatem confeſſas, vel quomodocumque conuictas publicare à Patribus prohibitum eſſe, ne conuictis mortis cauſa præberetur, eas autem ſtare ſine communione iuſſas fuiſſe, donec impleretur tempus pœnitentiæ; ſi conuictæ ſunt. Ex quibus pœnitentiam, quam Sacramentalem non fuiſſe, vt pote publicam, poſtea probabo, diuerſam ab ea quæ in eccleſiæ totius cōſpectu fiebat, Sacramentalem pro ipſis quoque Laicis peccatoribus tunc in vſu fuiſſe neceſſariò intelligitur.

E

Sectio Secunda.

De pœnitentia canonica clericorum.

VI. Clericorum pœnitentia alia quàm hæc ſecretior olim non fuit, vt compertum eſſe videtur: huius aliqua teſtimonia quæ ad rem noſtram illuſtrandam faciunt profero. Illuſtre eſt illud S. Leonis in epiſtola nonageſima ſecunda. *Alienum eſt a conſuetudine eccleſiaſtica, vt qui in presbyterali honore, aut Diaconij gradu fuerint conſecrati, ij pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitentiæ: quod ſine dubio ex apoſtolica traditione deſcendit, ſecundùm quod ſcriptũ eſt: Sacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro eo? vnde huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei, priuata eſt expetenda ſeceſſio, vti illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit fructuoſa.* Quibus in verbis obſeruo nec de Sacramentali pœnitentia, nec de culpæ reatu tollendo eſſe ſermonem. Quoad vtrumque enim omnium Chriſtianorum ratio, & conditio par eſt, vt poſtea oſtendam, hícque agitur de conſuetudine eccleſiaſtica, aut apoſtolica traditione, quæ quoad culpæ mortalis per Sacramentum pœnitentiæ remiſſionem à Chriſto inſtitutam nihil ſibi vendicare poteſt.

VII. Iterùm obſeruo idcirco eos per manus impoſitionem remedium pœnitentiæ non accipere; quia nullus pro ſacerdote peccante ora-

re debet; quod quid innuat, poſt modum cùm pœnitentiæ huius à Sacramentali diuerſæ finem, & ſcopum conſiderabo, exquiram. At nihilominus iidem in priuata ſeceſſione miſericordiam Dei pœnitentes promereri, & fructuoſam ſatisfactionem agere poſſe dicuntur; Idem diſcimus ex concilio Agathenſi can. quinquageſimo: Decernit enim vt ſi Epiſcopus, presbyter, aut diaconus capitale crimen commiſerit, ab honore officij depoſitus in Monaſterium detrudatur, nihilque apud S. Gregorium frequentiùs, quàm clericos in crimen lapſos in Monaſterio pœnitentiã agere. Hócque de genere pœnitentiæ intelligendum eſt, quod in Arauſicano primo canone quarto dicitur, pœnitentia deſiderantibus etiam clericis non neganda: & in Ilerdenſi ſæpiùs clericis criminum capitalium reis pœnitentia indicitur, vt in canone primo, ſecundo, quinto, & octauo, & apud Bruchardum libro decimo nono cap. ſeptuageſimo primo, ſecundo, tertio, quarto, octauo, & ſequentibus.

Fuit autem inter vtramque pœnitentiam hoc diſcrimen, quòd ſola publica, quæque coràm tota Eccleſia fiebat, ſolennis fuiſſe, & irregularitatem, ſeu infamiam, & ad ordines ſacros ineptitudinem adiunctam habuiſſe videatur. Id de pœnitentia clericorum eſt manifeſtum, non enim rarò poſt peractam pœnitentiam in gradum priſtinum reſtituti dicuntur. Ita in Narbonẽſi anno Chriſti quingenteſimo octuageſimo nono can. octauo, clericus, ſubdiaconus, diaconus, aut presbyter qui in bonis Ec- VIII.

cleſiæ fraudem fecerit, poſt biennium pœnitentiæ ad officium reuertitur. Et in codice canonum Affricanorum qui habentur poſt Carthag. tertium can. vigeſimo ſeptimo, confirmatur quod antea decretum fuerat, *vt ſi quando presbyteri, vel diaconi, in aliqua grauiore culpa conuicti fuerint, ob quam eos à miniſterio neceſſe ſit remoueri: non eis manus tanquā pœnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponatur.* Quæ vltima verba ſignificant fidelibus laicis manum impoſitam in pœnitentiam, ſic tamen, vt pœnitentes, & infames non haberentur. Quod enim de manus impoſitione in pœnitentiam canon ſermonem tantùm habeat, facile intelligitur ex eo, quod non de alia, quàm in pœnitentiam manus impoſitione poterat dubitari, an ea in clericos pœnitentes vſurpanda eſſet. Cùm verò iſtos laicos fideles quibus in pœnitentiam manus imponebatur à pœnitentibus diſcernat, non puto alios intelligi, quàm qui ad pœnitentiam illam ſecretam, ſeu non publicam, & in conſpectu totius eccleſiæ factam admittebantur. Quòd enim fortè impoſitionem manus Sacramentalem, ſeu pœnitentiæ Sacramentalis aliquis intelligi vellet, facilè reuinceretur ex eo quod alioqui ea impoſitio in ipſos ſacerdotes pœnitentia Sacramentali functos facienda fuiſſet. Præterea hoc diſcrimen fuit, quod qui clerici ob crimen deponebantur, eam ob cauſam à communione laica non arcebantur, vt diſertè tradit S. Baſilius in Epiſt. canonica ad Amphiloch, canone tertio; *Quoniam*, inquit,

antiquus eſt canon, vt qui à gradu exciderunt, hoc ſolo punitionis modo puniantur, primis legem illam, vt exiſtimo, ſequutis, non vindicabis in idipſum. Et in Epaonenſi anno Chriſti 517. can. 22. presbyter, aut diaconus depoſitus ab officij honore ob crimen capitale, in Monaſterium retruditur, ibi tantummodo quandiu vixerit, laica communione ſumenda. Id tamen non ita perpetuum fuit, vt non aliquando ob ſua aliqua crimina clerici excommunicati fuerint, hoc enim in conciliis repe-rire eſt, quodque de impoſitione manuum dictum eſt, crediderim intelligendum de pœnitentia imperata conuictis de aliquo crimine: nam vt ſuperiùs retuli ex Toletano decimo tertio, Gaudentius Epiſcopus æger per manus impoſitionem legibus pœnitentiæ ſubditus, & poſtea per Metropolitanum reconciliatus dicitur.

IX. Hocque & ea, quæ de Presbyterorum pœnitentia dixi, confirmat Concilium Cabillonenſe ſecundum anno Domini octingenteſimo decimo tertio habitum, in canone quadrageſimo. *Dictum*, inquit, *nobis eſt Presbyteros propter ſuam negligentiam canonicè degradatos ſaculariter gradu amiſſo viuere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Vnde ſtatuimus, vt gradu amiſſo agendæ pœnitentiæ gratia in monaſterio aut canonico aut regulari mittantur. Si verò hoc fieri cauſa qualibet prohibuerit, vbicumque ſint, pœnitentiam agere non deſinant. Si autem amiſſo gradu ſæculariter viuere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint,*

Digitized by Google

ab eccleſia communione ſeparentur. Ex hoc enim canone colligo primò presbyteros quantumuis exauthoratos ad agendam pœnitentiam obligatos fuiſſe. Secundò, eam non more aliorum pœnitentium in Eccleſia coràm omnibus, ſed in ſeceſſu, ſeu in monaſterio, vel Canonicorum, vel Monachorum (ſic enim canonicum & regulare interpretor) degentes egiſſe. Tertiò, tunc excommunicatos non fuiſſe, quandoquidem niſi eam pœnitentiam agant, excommunicandi dicuntur. Nec verò ſi quando excommunicabantur publicam pœnitentiam ſubibant, alioqui enim irregulares & ad repetenda miniſteria inepti facti fuiſſent. At in libro vndecimo epiſtola quinquageſima S. Gregorius ſtatuit, vt quidam Epiſcopi per ſex menſes Dominici Corporis & Sanguinis communione priuati agant pœnitentiam in monaſterio, eis tamen ſi mortis periculum contigerit viatico non negato, & poſtea loco, & ordini ſuo modis omnibus reformentur, ſeu reſtituantur.

XI. Hîc non diſputo quænam communio laica fuerit, ſatis modò habeo presbyteros pœnitentes in monaſterio non ſemper caruiſſe communione Euchariſtica, vt ex S. Baſilio colligitur. Si enim hac caruiſſent non ſola depoſitionis pœna, vt ipſe ait, multati fuiſſent, & in Cabillonenſi Patres preſbytero pœnitentiam recuſanti excommunicationem comminantur. Quod verò D. Albaſpineus libro primo obſeruat. quarta objicit pœnitentes Euchariſtiæ perceptione ſemper punitos fuiſ-

ſe, id vt ſummum verum eſt de pœnitentibus illis publicis, quíque pœnitentes dicebantur, cuiuſmodi non erant in monaſterio pœnitentes. Dixi, vt ſummum, nam vtrum aliquando in pœnitentia illi Euchariſtiam acceperint poſtea diſceptabo.

Denique laicorum pœnitentiam non ſolemnem, ſeu cum irregularitatis nota minimè coniunctam ſatis clarè probat Canon nonus concilij Gerundenſis. In eo enim decernitur, *vt qui ægritudinis languore depreſſus pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, & poſtmodum reconualeſcens caput pœnitentiæ in eccleſia publicè non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.* Illum laicum, & quam pœnitentiæ benedictionem accepiſſe dicitur, Sacramentalem minimè fuiſſe conſtat, alioqui vtrum ea ad ſacros ordines ineptum reddidiſſet dubitatum non fuiſſe. Erat igitur quædam alia pœnitentia, quæ quia in eccleſia publicè facta non fuit, idcirco pœnitentem irregularem non reddidit. Quamobrem ſi aliquando Laicus in monaſterio, vt factum legimus, pœnitentiam iuſſus ob crimen feciſſet, irregularem non fuiſſe crediderim; quia id tunc fiebat, vt famæ eius, cuius ſolius iactura infamem, & irregularem efficiebat, conſuleretur. Laicus autem, & clericus in monaſterio pœnitens Abbatis diſciplinæ ita ſubditus erat, vt tamen quod Epiſcopus de- XII.

creuerat , id ab Abbate ſeruari oporteret. Quod & alia quę de Laico dixi, docet canon ſextus Concilij Narbonenſis. *Secundùm Concilia priſcorum orthodoxorum decreuit faternitas, vt quicumque fuerit culpabilis inuentus clericus, aut honoratus de ciuitate, & ad monaſterium fuerit deputatus, ſic Abbas qui eſt præfectus, cum illo qui dirigitur, agat, ſicut ab Epiſcopo manifeſta correctione fuerit ordinatum. Aliter ſi Abbas facere elegerit, pro correctione aliquod tempus ſuſpendatur; quia ob hanc cauſam dirigitur vt emendetur, non paſſim diuerſis ferculis ſaturetur.*

Digitized by Google

CAP. V.

De ſtatu perpetuo ſolennis pœnitentiæ.

SECTIO PRIMA.

De Monaſteriorum conuerſis & pœnitentibus.

PRÆTER vtramque pœnitentiam publicam imperatam, vel conceſſam hactenus explicatam, fuit in Eccleſia ſaltem poſt quintum culum alia pœnitentia, fuerunt & alij enitentes, qui perpetuum vitæ cuiuſm auſterioris inſtitutum profitebantur, tique vel in monaſteriis, vel certè ſub cumonachorum, & obedientia, quibuſm votis obſtricti, à monachis tamen ıerſi viuebant, vocatíque ſunt conuerſi, ſeu enitentes, ſic enim pœnitentes vocatos fuiſſe tiquitus nemo niſi antiquitatis ignariſſimus ſcit. Vnde errauit grauiter quidam Petrus urelius, cùm vtriſque confuſis, vitam moſticam, & diſciplinam nulli hominum quàm gitioſorũ generi magis propriam olim fuiſſe. Eiuſmodi quoque erant in monaſteriis, & I.

ordinibus regularibus antiquis ij, qui conuerſi, quíque in ordine ſancti Franciſci Tertiarij, ſeu pœnitentes dicuntur, quique ante Leonem decimum vota regularia non faciebant. Nec tamen exiſtimandum eſt, eos omnes qui hoc pœnitentiæ genus, & inſtitutum ſuſcipiebant, flagitioſos, & grauiorum illorum criminum reos fuiſſe. Plerique enim ex pietate ſpōtè illud aſſumebant: ac demum licet modò in monaſteriis fratres vulgò dicti laici regularia vota nuncupent, veréque religioſi ſint, Conuerſi tamen adhuc dicuntur, qui ob ſcientiæ defectum ad Ordines ſacros ſunt inhabiles.

II. Cùm enim irregularitas duplex eſſe poſſit, prior ob defectum ſcientiæ, poſterior ob infamiam, quæ ob natales, vel mores, vel etiam anteactæ vitæ genus contrahitur, quicumque aliquo eiuſmodi impedimento ab ordinibus ſacris arcendi monaſterium ingrediebantur inter Conuerſos numerabantur, qui potiſſimùm hoc priuilegio gaudebant, vt ob ſuffragiorum totius monaſterij communionem peccatis ſuis præteritis debitarum pœnarum coram Deo indulgentiam conſequerentur, & in ipſa eccleſia remiſſionem Canonicarum pœnarum acciperent, ac nominatim ad communionem eucharisticam ſtatim admitterentur, qui alioqui per multum temporis ſpatium ea priuandi forent. Atque ita quicumque ob crimina ſua pœnitentiæ canonicæ obnoxius erat, quantumuis hæc luctuoſa & diuturna foret, eam tamen vnica ſtatus illius pœnitentium profeſſione redimebat. Ac demùm vt eo pacto ple-

am peccatorum indulgentiam adſcitis ſibi-
ue communicatis monachorum, ac regula-
um ſuffragiis in morte conſequerentur, ple-
que eum pœnitentiæ habitum, & profeſſio-
em in mortis diſcrimine ſumebant, ſi ſuper-
tites forent, ad eam retinendam obligati.
Hinc, ni fallor, ortum habet conſuetudo illa
uæ potiſſimùm in Italia adhuc viget, vt ple-
ique & viri & mulieres cum habitu ſeu veſte
eligioſi alicuius Ordinis ſepeliantur, aliique
tiam dum viuunt quoddam religioſum indu-
nentum ab illius Ordinis ſuperioribus cum
uffragiorum eiuſdem Ordinis communione
cceptum geſtent.

SECTIO SECVNDA.

In Eccleſia ſtatum pœnitentiæ ſolennis fuiſſe probatur.

STatus hominis in communi ex D. Thoma III.
in 2.2. quæſt. 183. art. primo duo in ſua
atione includit, prius eſt conditio libera, vel
eruilis; poſterius eſt in ea conditione immo-
ilitas, & aliqua conſtantia ex ſe immutabilis.
Nec enim res quandiu mouetur ſtare, aut in
tatu eſſe dicitur. Hæc autem immutabilitas,
i ſeruitutis eſt, ex aliqua obligatione oritur,
nquit S. Thomas quæſt. 184. art. 4. quâ fit,
t homo ab illa conditione niſi illegitimè, &
nalè diſcedere, eámque deſerere non poſſit,
uia quod non niſi malè facere, vel velle poſ-

Digitized by Google

ſum, moraliter non poſſe cenſendus ſum. Addit S. Thomas obligationem illam ſolennem eſſe debere, vt videlicet ſi is ab ea ſeruitute liberare ſe velit, per ſuperiores impediatur, & pœnâ aliquâ in ea vitæ conditione permanere cogatur. Quia verò ſerui non naſcimur, idcircò obligatio iſta ſeruitutis cauſam aliquam accidentariam habet, eáque vt pote moralis oritur ex voluntate vel ipſius, qui ſe illo ſeruitutis nexu induit, vel ſuperioris, qui hanc in pœnam peccati alicuius reo iuſtè infligit, cuiuſmodi ſunt mancipia, & belli iure inductæ ſeruitutes. Si ſponte ſeruum ſe Deo, vel Eccleſiæ facit homo, vt voluntate ſua immobilem obligationem, ſeu ſeruitutem ſubire cenſeatur, ad eam ſe voto, quod ex ſe immutabile eſt, nec tantum ſecreto, ſed publico & ab Eccleſia, cui ſe ille addicit, accepto obſtringere debet.

IV. Quamobrem ſtatum ſolennis pœnitentiæ appello conditionem quandam, & inſtitutum vitæ auſterioris illius, quæ pœnitentium propria eſt, ad quod perpetuò obſeruandum pœnitens iſte voto ſolenni obligatur, & ab eccleſia pœnis cogi poteſt; vnde ſtatus iſte non tantùm habet illa pœnitentiæ publicæ iam explicatæ officia aliqua, ſed etiam in his perſeuerantiam, & quandam inmobilitatem, qua differt ab ea conditione pœnitentium, quæ erat eorumdem via & præparatio ad reconciliationem, quâ ab eiuſmodi vitæ genere liberabantur. Quod de voto ſolenni dico, caue ſumas in ea ſtricta ſignificatione, qua modò illud

ſumitur, cum nec quidem antiquitus vota monachorum eiuſmodi fuiſſe compertum ſit: ſatis mihi eſt, quòd votum illud publicum fuerit,& dederit ius Eccleſiæ Antiſtitibus præuaricatores ad illud obſeruandum obligandi. Quòd autem ſtatus huiuſmodi pœnitentium ab illis ſuperiùs relatis diuerſorum olim in Eccleſia fuerit, probatur primò ex Patribus, qui eius meminerunt: ſecundò ex pleriſque eorumdem dictis, quæ nonniſi de hoc ſolennis pœnitentiæ ſtatu intelligi poſſunt.

Atque inter veteres S. Leo epiſtola nonageſima ſecunda capite octauo *ſi pœnitens*, inquit, *habet cauſam* (iuſta nimirum debita in iudicio repoſcendi) *quam negligere fortè non debeat, melius expetit eccleſiaſticum, quàm forenſe iudicium.* Si inter laicos pœnitens, de quo loquimur, omnino cenſendus eſſet, ſicut ij qui publicam pœnitentiam agebant, vt dicam poſtea, quid cauſæ eſſet, cur clericorum & monachorum atque in vniuerſum perſonarum Dei obſequio ſpeciali quodam vitæ inſtituto mancipatarum ſacrarumque more in foro eccleſiaſtico, & non ſæculari cauſas agere deberent? Capite nono *pœnitenti vtilius eſſe*, ait, *etiam diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi; quia difficile eſt inter ementis, vendentiſque commercium non interuenire peccatum*; & cap. decimo *Contrarium eſſe omninò eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem, redire ad militiam ſæcularem, cùm Apoſtolus dicat, Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcu-* V.

laribus. Vnde non eſt liber à laqueis Diaboli, qui ſe militia mundana voluerit implicare. Cap. vndecimo qui in adoleſcentia conſtitutus vrgente metu mortis, aut captiuitatis periculo pœnitentiam geſſit, ne fornicationis crimen incurrat, poſſe cum Eccleſiæ tolerantia vxorem ducere, *Nam ſecundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeuerans mentis & corporis.* Vides pœnitentes perpetua caſtitatis lege obſtrictos, nec ſine diſpenſatione & indulgentia Eccleſiæ coniugium appetere poſſe, iis negotiatione & militia interdictum fuiſſe, quod de iis qui ob ſua crimina publicam pœnitentiam agere coacti fuerant, intelligi non poſſe, probant exempla Imperatorum Philippi, vt aiunt, Theodoſij ſenioris & Ludouici Pij, qui poſt actam pœnitentiam publicam nec cælibem vitam agere nec militiam deſerere iuſſi ſunt: quod enim Imperatores illi pœnitentiam publicam egerint nemo neſcit, cúmque excommunicati fuerint nonniſi per illam reconciliari potuerunt, quos enim Eccleſia reijciebat ob crimen publicum, non niſi ſatisfactione eorum publica & pœnitentia placata ad reconciliationem communionemque admittebat. Quodque S. Leonis decreta illa ſeu potiùs antiqua Eccleſiæ inſtituta de aliquo ſtatu ſacro pœnitentium accipienda ſint, colligitur ex variis Conciliorum decretis, quæ idem ſtatuunt. In Arelatenſi ſecundo ad annum Chriſti 452. canone 21. ſecundæ nuptiæ pœniten-

tibus prohibentur, & niſi ſeparentur, ab Eccleſiæ liminibus arceantur: Can. 25. *Hi qui poſt ſanctam religionis profeſſionem apoſtatant, & ad ſæculum redeunt, & poſtmodùm pœnitentiæ remedia non requirunt, ſine pœnitentia communionem penitùs non accipiant, quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicumque ille poſt pœnitentiam habitum ſæcularem non præſumat. Quod ſi præſumpſerit, ab eccleſia alienus habeatur.* Quod enim per ſanctam religionis profeſſionem, eam quoque quæ pœnitentium erat complectatur, colligo ex vltimis canonis verbis, quæ pœnitentiæ habitum ſæcularem opponunt. Quare ille de quo ſermo eſt in canone, pœnitens ſanctam religionis diſciplinam profitetur, idem ſæcularis ampliùs non eſt, ſed ad hunc ſæcularis ſtatum ſi reuertitur, apoſtata eſt, quod de pœnitentia publica nullo pacto intelligi poteſt; cum ea non ſemper fuerit perpetua. Aurelianenſe primum anno 511. celebratum canone 11. idem clariſſimè ſic ait. *De his qui ſuſcepta pœnitentia religionem ſuæ profeſſionis obliti ad ſæcularia relabuntur, placuit eos & à communione ſuſpendi, & ab omnium catholicorum conuiuio ſeparari.* In Epaonenſi circa eadem tempora canone 23. *Si quis accepta profeſſáque pœnitentia, boni immemor, ad ſæcularia relabatur, prorſus communicare non poterit, niſi profeſſioni quam illicitè prætermiſerat, reformetur.* Si pœnitens iſte eſt de numero illorum pœnitentium

publicorum, quomodò iterum lapſus pœnitentiæ reformatur, & ad eam iterum admittitur; & qua lege, quoue ritu non communicat niſi reſumpta pœnitentia, quæ ſi illa publica eſſet, eum à communione excluderet? Nonne aliam pœnitentiæ profeſſionem, quæ pœnitentem inter religioſos à ſæcularibus ſecretos conſtituit, fuiſſe oportet?

Sectio Tertia.

Huius ſolennis pœnitentiæ à Canonica diuerſæ perpetuum inſtitutum fuiſſe amplius probatur.

VII. Toletanum quartum canone 55. eadem in claſſe collocat pœnitentes, & monachos, deficientéſque tanquam apoſtatas anathemate percutit. *Quicumque*, inquit, *ex ſæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt ſe, & rurſus prævaricantes Laici effecti ſunt, comprehenſi ab Epiſcopo, ad pœnitentiam ex qua receſſerunt reuocentur. Quod ſi aliqui per pœnitentiam irreuocabiles ſunt, nec admoniti reuertantur, verè vt apoſtatæ coràm Eccleſia anathematis ſententia condemnentur.* Et eodem de monachis apoſtatis decreto facto ſic ſubiūgit. *Quæ forma ſeruabitur etiam in viduis, virginibuſque ſacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ ſanctimonialem habitum induerunt, & poſtea aut veſtem mutarunt*

runt, aut ad nuptias tranſierunt. Hæc ſi potes pœnitentibus publicis ob ſua crimina ab Eccleſia emendatis accommoda: Verùm cùm deſertorem pœnitentiæ ad eandem repetendam, aſſumendámque iterum ab Epiſcopo compulſum ſub pœna anathematis videris, aut te pœnitentium illorum diſciplinæ prorſus ignarum prodes, aut Concilium de aliquo alio ſacro, & Deo deuotorum hominum ſtatu, non de illis pœnitentibus loqui fateberis. Pœnitentes illi publicè in ſiniſtra parte templi tanquam peccatores, & hœdi ab ouibus, & iuſtis ſecreti iacebant proſtrati; hi inter perſonas ſacras à laicis, ſæcularibúſque diſtincti ſtabant & quia hœdi ſignificant peccatores, Deóque exoſos, idcirco pœnitentium illorum indumenta erant cilicia è pilis hœdorum, atque caprarum facta, inquit, S. Eligius Homilia 8. horum, de quibus loquitur Concilium, habitus ſanctimonialis, & religioſus dicitur, & tu vtroſque confundas?

VII. Si quod autem dubium tibi ſupereſt, lege Concilium Toletanum 8. & 12. In illius enim Canone 7. idem, quod ſuperiùs relatum eſt, decretum ita habetur. *Quamuis priora nunquam ſiluerint de tanto facinore Concilia, ratio tamen poſcit, vt ea quæ frequenti prauaricatione iterantur, frequenti ſententia condemnentur. Et ideò quoniam tanta exiſtit peruerſitas hominum, vt hi quos ſub religioſo habitu, pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum ſacerdotis dedu-*

cit, vel adduxit, iterum rediuiua malitia ad priſtina vitæ ſordes reuocet, huius rei cauſa ſynodus decernit, vt ſi qui ingenuorum vtriuſque ſexus ſub nomine pœnitentiæ in habitu religioſo ſunt conuerſati, poſt hæc autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentes, ad id quod reliquerant, redierunt, aut redierint, ab Epiſcopo ciuitatis, in cuius territorio ſunt conuerſi, comprehenſi rurſus legibus pœnitentiæ in Monaſteriis ſubdantur inuiti. Quod ſi facere propter aliquem poteſtatis vigorem difficile fuerit, tunc ſicut priſtinorum canonum ſtatuerunt decreta, quouſque ad dimiſſum ordinem reuertantur, excommunicati habeantur. Quamobrem horum pœnitentium ordo, & ſtatus perpetuus eſt, qui in eo verſantur tantùm abeſt, vt excommunicati habeantur, vt niſi in eo perſeuerent, iis eiectionem excommunicationémque Eccleſia comminetur, eorum ſub religioſo habitu profeſſio à laica, ſæcularíque vita omnino diuerſa eſt, & deſertores ad eam redire vi quoque adhibita compelluntur, quæ de pœnitentibus illis publicis nemo antiquitatis gnarus dixerit; cum ſi quis in crimen capitale lapſus eſſet, vix ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam admitti mereretur, vt *conciliciatus*, & *concineratus* cum *dedecore & horrore compoſitus, proſtratus in medium ante viduas, ante presbyteros omnium lachrymas ſuaderet, omnium veſtigia lamberet, omnium genua detineret*, vt Tertullianus loquitur, hocque tandem pacto id ab Eccle-

ia impetraret, ad quos illos ab eadem ſub
nathematis comminatione compulſos vide-
nus. Denique eadē ſynodus can. 8. Leonis il-
ud antea relatum indultum de adoleſcente,
qui in mortis periculo pœnitentiam profeſ-
us eſt, ita explicat, vt ex mera indulgentia
oniuge vti queat, quouſque poſſit adipiſci
emporis maturitate continentiæ ſtatum, &
xori, aut marito ſuperſtes pœnitens, nu-
tias ſecundas appetere non poſſit. Ille igitur
œnitentium ordo continentiæ ſtatus ex ſe
erpetuus erat.

SECTIO QVARTA.

Eadem doctrina duobus exemplis illuſtri- bus confirmatur.

PRius eſt Vuambæ Hiſpani Regis; poſte- IX.
rius Ludouici Pij Gallorum Regis, & Im-
eratoris. Ac quidem Vuambæ principis pœ-
itētiæ ſuſceptio in Toletano 12. cap. 1. narratur
uiſſe eiuſmodi, *vt ſuſcepto religionis debito
ultu, & venerabilis tonſuræ ſacræ ſignaculo*,
egni iure omni ſe abdicarit, quam pœniten-
iæ profeſſionem ſi cum Theodoſij Senioris
œnitentia contuleris, quàm eæ inter ſe diſ-
imiles, diuerſæque fuerint, facilè intelliges.
Nec enim Theodoſius quia pœnitentiam ſuſ-
epit, aut cingulum militiæ, aut potiùs ſce-
trum paludamentúmque abijcere iuſſus eſt,

ſed eodem anno Romam triumphans ingreſſus eſt.

X. Ac ne plura perſequar, vtriuſque pœnitentiæ in Ludouico Pio exemplum illuſtriſſimum habemus. Vt enim refert Baronius ad annum 822. & in ſecundo Tomo Conciliorum Galliæ habetur. Is in Concilio Attiniacenſi *Sacerdotum vſus conſilio de omnibus quæ publicè perperam geſſit, publicam pœnitentiam egit*, ita tamen vt nec vxorem dimittere, nec militiam deſerere, nec regno abdicare ſe iuſſus ſit. At poſtea anno Domini 833. apud Compendium conſpiratione in eum facta, cùm de eo exauthorando actum eſt, multáque ei crimina obiecta ſunt ab Epiſcopis, nulla de pœnitentiæ ſuſceptæ legibus violatis accuſatio eius facta eſt, quibus ipſe aſſenſus non qualem in illo conuentu Attiniacenſi pœnitentiam ſuſceperat, ſed longè aliam, noſtrámque hanc ſolennem profeſſus criminum de quibus accuſatus erat exomologeſi facta, & libello ob futuram memoriam Epiſcopis tradito, *cingulum militiæ depoſuit, & ſuper altare collocauit, & habitu ſæculi ſe exuens, habitum pœnitentis, per impoſitionem manuum Epiſcoporum ſuſcepit; vt poſt tantam talémque pœnitentiam nemo vltra ad militiam ſæcularem redeat.* Addit Baronius huius ſceleris machinatores veritos vt à tanto poſtea facinore detecto ſe liberare poſſent, callido cum aliquibus epiſcopis conſilio vſos, dixiſſe Ludouicum ob ea de quibus jam pœnitentiam egerat crimina, ac nomi-

natim ob cædem Bernardi, iterum *publica pœnitentia armis depoſitis irreuocabiliter Eccleſiæ quodammodo ſatisfacere voluiſſe.* Quibus ex verbis ego pro quæſtione mea conficio, nonnullos ita pœnitentiam publicam agere ſolitos fuiſſe, vt eos arma irreuocabiliter deponere neceſſe non eſſet. Nec omittendum eſt habitum illum pœnitentiæ quem Ludouicus induit, non cilicium, ſed pullam veſtem fuiſſe.

Horum denique pœnitentium meminit Saluianus in præfatione libri ſui ad Eccleſiam Catholicam. Accuſans enim auaritiam Chriſtianorum, conqueritur maximè, quod ea quoque captiui teneantur nonnulli, qui ſanctitatem profitentur. *Idem*, inquit, *morbus hic, non ſæcularium tantùm eſt, ſed etiam eorum qui ſibi nomen religionis vſurpant.* Quod vt probet, ſubijcit *labem hanc non ad mundiales tantùm homines, ſed etiam ad pœnitentes, atque conuerſos, ad viduas continentiam profeſſas, atque ad puellas in ſacris altaribus conſecratas, ad leuitas, atque presbyteros, atque etiam ad Epiſcopos perueniſſe.* Vides quos inter numeret pœnitentes, & conuerſos: & libro quarto circa medium, conuerſorum, ſeu pœnitentium, *venerabilem chorum* appellat, *titulum ſacræ religionis, & habitum ſancti nominis*, quem veſte, cingulo, pallióque ipſorum etiam monachorum inſignibus deſignat. XI.

Cap. VI.

An ſine peccatorum publica confeſſione pœniteutia publica olim acta fuerit.

Sectio Prima.

In pœnitentia publica ſemper fuit exomologeſis, cuius pars fuit delicti manifeſtatio.

I. Poenitentiam publicam aliis conceſſam, aliis ab Eccleſiæ antiſtibus imperatam, & qui ſponte pœnitentiam ſibi conceſſam faciebant, eos ad crimen confitendum obligatos non fuiſſe ſuperiùs oſtenſum eſt: ſiquidem nullo peccato mortali, aut crimine vel etiam leuiori expreſſo, ſatis erat ſi ſe in vniuerſum *peccatores prædicabant*; vt loquuntur Concilia, & S. Leo redarguit ſacerdotes imperitos, qui ab iſtiuſmodi pœnitentibus peccatorum ſecretorum profeſſionem extorquebant; Monentque Origenes, & S. Auguſtinus magnæ prudentiæ virum conſulendum eſſe à pœnitente, vt ſciat quænam peccata

Digitized by Google

palàm ſine ſcandalo, aut potiùs cùm ædificatione Eccleſiæ, & pœnitentis ipſius vtilitate aperiri, & publicari oporteat. His igitur omiſſis, de illis pœnitentibus qui ad agendam pœnitentiam ab Eccleſia cogebantur, ſi ad communionem admitti vellent, quęſtio noſtra eſt, an illi confeſſione peccatorum ſuorum apud ſacerdotem clàm & priuatim facta, poſtea publicam ſatisfactionem, & pœnitentiam faciebant, eáque facta ab Epiſcopo per manuum impoſitionem abſque vlla peccatorum, pro quibus acta fuerat pœnitentia, publicatione aut confeſſione publica reconciliabantur. Hoc affirmant nonnulli recentiores, eorúmque vnus in libro de freq. Comm. parte ſecunda, capite tertio redarguit quamplurimos, qui pœnitentiam, & confeſſionem publicam confundunt. Et quia non pro quibuſlibet peccatis, ſed tantùm pro nonnullis publicis confeſſio publica decreta eſt, inde effectum ait, vt plerique nonniſi pro pnblicis peccatis publicam pœnitentiam iniunctam eſſe crediderint.

II. Ego verò nunquam pœnitentes illos ob crimen aliquod cum Eccleſia reconciliatos niſi patefacto coram ſacerdotibus, aut etiam tota plebe crimine, & publica delicti, pro quo pœnitentię legibus ſubditi, & excommunicati fuerant, confeſſione, ſeu profeſſione facta per manuum impoſitionem pacem accepiſſe contendo. Quamobrem ſi pœnitentia publica non ſponte à pœnitente ſuſcepta, ſed à prælatis iniuncta erat, eam confeſſio de-

Digitized by Google

licti publica ſemper comitabatur. Caue exiſtimes hanc confeſſionem Sacramentalem fuiſſe. Cùm enim Sacramentalis confeſſio ſatisfactionis impoſitionem antecedat, hæc, de qua diſputo, non niſi iam peracta pœnitentia, & ſatisfactione proximè ante reconciliationem, apud ſacerdotem, aut diaconum, qui aliquo in caſu pœnitentem reconciliare poterat, fiebat; erátque exomologeſeos pars aliqua, & actio.

III. Non ſum neſcius exomologeſim aliquando à Patribus, aut pro tota pœnitentiæ publicæ diſciplina, aut pro ea parte quæ vltima reconciliationem proximè antecedebat, multaſque pœnitentis actiones complectebatur, ſumptam fuiſſe; at contendo vnam ex his actionibus, & verò precipuam fuiſſe eiuſdem pœnitentis confeſſionem, qua vel ipſe delictum, pro quo pœnitentiam egerat, confitebatur, vel vt eius pudori parceretur, de libello recitabatur ab altero, vt Antiſtiti, vel Clero conſtaret, an quæ pœnitenti ſatisfactio iniuncta fuerat, plenè peracta eſſet, Eccleſiæque ita ſatisfactum, vt iam meritò ab excommunicationis vinculo abſolutus ad communionem, & pacem, vel plenam, vel ſolius orationis admittendus videretur: Quæ omnia cùm iuridicè facienda eſſent, & vel ſacerdotes, vel totam etiam plebem, quando coràm ea pœnitentis reconciliatio fiebat, ſuum illi ſuffragium dare neceſſe eſſet, eos ob quæ delicta ille excommunicatus, & pœnitentiæ legibus ſubditus fuiſſet, & an ſatisfeciſſet,

ſcire omnino, ac conſequenter delictorum exomologeſim, ac confeſſionem publicam audire oportebat. Ac ne quid temerè pronuntiare videar.

Certum eſt in omni pœnitentis reconciliatione exomologeſim factam fuiſſe, quæ vt ipſa vox ſonat, confeſſionem aut profeſſionem delicti, nec tàm ſecretam, quàm publicam rei prædicationem ſignificat, deinde apud Patres Latinos ſæpe dicitur exomologeſis delicti, aut etiam confeſſio, quam alium in ſenſum interpretari velle, aliud nihil eſt quàm meridianę luci tenebras offundere. Tertullianus in libro de pœnit. capite 9. *Huius pœnitentiæ ſecundæ & vnius, quanto in arcto negotium, tanto operoſior probatio eſt; vt non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem vt ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi humilificandique hominis diſciplina eſt, conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem.* Tertullianus ibi de ſecunda, id eſt, poſt baptiſmum agenda pœnitentia loquitur, eiúſque diſciplinam exomologeſim ita appellat, vt in hac velit *conſcientiam præferri*, id eſt, aperiri, & profeſſione manifeſtari, vt *confeſſione ſatisfactio diſponatur.* Niſi enim vulnus agnoſcat medi- IV.

cus, quomodo illud curet, aut Iudex iniuriam Deo, & Eccleſiæ per peccatorem illatam niſi cognitam congruâ iuſtâque pœnâ caſtiget, indictâque causâ reum legitimè aut damnet, aut abſoluat? Si verò eam ob cauſam fit exomologeſis, nonne quia in pœnitentia publica non vnius ſacerdotis, ſed plurium, cleri, & vel ſemper, vel vt plurimùm totius populi Chriſtiani ſuffragia, iudiciúmque accedere oportebat, coràm eis cauſam dici, reum ſiſti, eiúſque tam crimina, quàm ſatisfactionem manifeſtari neceſſe erat? Et in libro de oratione capite 8. idem Tertullianùs ſic ait. *Exomologeſis eſt petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur.*

V. S. Cyprianus ſemper in diſciplina pœnitentiæ publicæ exomologeſim delicti ponit, eámque poſt pœnitentiam actam proximè ante impoſitionem manuum Epiſcopi, & Cleri nominat. Ita epiſtola 10. & 11. & monet martyres confeſſoréſque, vt in libellis commendatitiis dandis ſollicitè, & cautè petentium deſideria ponderent, & inſpiciant actum, opera, & merita ſingulorum; ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitent, ne quid abruptè, & indignè faciant; & epiſtoia 12. ait pœnitentiam agi ſolere iuſto tempore, & exomologeſim fieri *inſpecta vita eius qui agit pœnitentiam.* Igitur in exomologeſi illa habebatur inſpectio vitæ pœnitentis, & tam delictum, quàm ſatisfactio nota fiebat. Epiſtola 13. pœnitens morti vici-

ıùs apud preſbyterum de conſenſu Epiſcopi, .ut ſi ille non adfuerit, apud diaconum exomologeſim delicti ſui facit. Epiſtola 31. Clerus Rom. ad Cyprianum de lapſorum reconciliatione ſcribens monet, vt collatione onſiliorum cum Epiſcopis, preſbyteris, diaonis, confeſſoribus, pariter ac ſtantibus laiis facta, lapſorum tractetur ratio, vt eorum onſenſus habeatur; quodque eos qui in itæ periculo conſtituti pacem petunt Cyrianus pœnitentia acta, & exomologeſi dectorum facta reconciliandos dixerat, Clerus .omanus explicat *profeſſam frequenter detevationem peccatorum*; & S. Cyprianus in liro de lapſis cui pœnitentes apud ſacerdotes ›ei quod immolare cogitarunt, dolenter, & mpliciter confitentes exomologeſim conientiæ facere, animíque ſui pondus expo:re. Quamobrem cùm exomologeſis conſſionem peccati habeat, quando ea palam, publicè nimirum in publica pœnitentia; ınc quoque delictorum confeſſio publica, :c vnquam ſine publica confeſſione pœnintia & ſatisfactione publica iniuncta & im›ſita fuit.

Sectio Secvnda.

Eadem de criminis publica confeſſione doctrina confirmatur.

VI. GRegorius Nyſſenus in epiſtola ad Letoium canone 4. docet ſemper agnitum fuiſſe delictum in publica pœnitentia, de qua ibi non de Sacramentali ſermonem eſſe poſtea clariſſimè euincam. Ait enim mitiùs puniendum mœchum, qui ex ſeipſo ad ſua peccata proferenda impulſus ſua ſponte occultorum accuſator fit, duriùs autem eum caſtigari, qui in malo deprehenſus, vel propter ſuſpicionem, accuſationemue conuictus eſt. S. Innocentius in epiſtola ad Exuperium cap. 4. reſpondet adulterorum ſiue viri, ſiue mulieris cauſam in Eccleſia parem eſſe, ſed viros adulteros non ita frequenter excommunicari, nec conſequenter publicæ pœnitentię ſubijci, quia non ita faciiè mulieres viros adulteros, ac illas adulteras iſti accuſant, *& non habent latentia peccata vindictam, nec facilè quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur, ſed vtique ſubmouebitur ſi eius flagitium detegatur.* Vides igitur non niſi crimine prodito quemquam olim excommunicatum, nec pœnitentię publicæ ſubditum fuiſſe; nunquam enim à pœnitentia publica excommunicatio ſeiuncta eſt.

Iuo Carnotenſis in epiſt. 81. *De his*, inquit, *qui criminalia peccata occultè confitentur, nihil meliùs reſpondere poſſum, quàm quod B. Auguſtinus in quadam epiſtola ſcribit. Nos à communione nullum ſuſpendimus, niſi accuſatum publicè atque conuictum, vel ſponte confeſſum ſimiliter publicè: de manifeſtis autem manifeſta ſententia eſt, quia qui manifeſtè peccarunt, manifeſtè ſunt arguendi, & publica pœnitentia ſunt corrigendi.* Nota nullum à communione ſuſpendi, niſi qui publicè conuictus, vel ſponte peccatum non ſecretò, & clàm, ſed *publicè confeſſus* fuerit. Quid clarius pro mea ſententia dici potuit? Porrò Iuo ad illud Auguſtini *ſponte confeſſum* de ſuo addidit *ſimiliter publicè*, quaſi aduerſariorum reſponſioni vellet occurrere, nec verba Auguſtini in alienum ſenſum inflectit, ſiquidem Homilia 50. in qua illa verba habentur, confeſſionem publicam planiſſimè ſignificat, cùm enim ſibi obieciſſet multos quorum crimina pœnitentiæ publicæ, & excommunicationi obnoxia non ignorantur, ad ſacra altaris admitti, reſpondet multos corrigi vt Petrum, multos tolerari vt Iudam, multos neſciri, quia ab aliis non accuſantur, documentis & probationibus deficientibus, & ſubdit. *Nos verò à communione quemquam prohibere non poſſumus, quamuis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſiue ſæculari, ſiue Eccleſiaſtico iudicio nominatum atque conuictum.* Ac ne quis confeſſionem ſecretam

intelligat, ibidem id quod dixerat, probat ex Paulo vetante, ne quis Chriſtianus communionem habeat cum fornicatore, alióue huiuſmodi criminum reo, non quolibet, ſed nominato, ita vt intelligat nominationem *quæ fit in quemquam, cùm ſententia ordine iudiciario atque integritate profertur.* Vnde clarum eſt S. Auguſtinum intelligere confeſſionem quæ ſufficiat ad publicam ſententiam ordine iudiciario ab Epiſcopo, aliiſque iudicibus aut certè ſuffragatoribus proferendam.

VIII. Pacianus in ſua parænesi confeſſionem in illa publica pœnitentia factam explicans docet manifeſtè publicam fuiſſe. *Quod ſi fratrum,* inquit, *oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite.* Quibus verbis ni fallor, ſignificat aliquando pœnitentes publicos non in totius plebis conſpectu, ſed ſolummodò ſacerdotum conſeſſu exomologeſim feciſſe. Quod verò non aliquem vnum ſacerdotem, cui Sacramentalis confeſſio fit, ſed plures iudices intelligat, colligo ex his quæ ſubijcit. *Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur, pariter dolet, & ad remedium collaborat. In vno & altero Eccleſia eſt, in Eccleſia verò Chriſtus. Atque ideò qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſia lacrymis adiutus, Chriſti precibus abſoluitur.* Vt enim non vnus aliquis, ſed eccleſia ad reconciliationem pœnitentis opem confert, & ad eius remedium collaborat, ita eius vulnera exploratа habet. At Eccleſia non in vnico & ſingulari, ſed pluribus, & ſaltem in vno &

altero intelligitur. Non igitur vni alicui, ſed Eccleſiæ ipſi, & fratribus peccata ſua pœnitens tacebat, ſed confitebatur ab iiſdem adiuuandus.

S. Ambroſius libro 2. de pœnitentia cap. 3. manifeſtam confeſſionem peccati reis ad gratiam Sacramenti cœleſtis recuperandam poſtulat; & capite 8. ſignificat peccata lapſorum exponi, quod non niſi de publica manifeſtatione, non verò de ſecreta Sacramentalíque confeſſione commodè dici poteſt, & capite 10. qualem illorum pœnitentiam confeſſionem velit ſatis ſignificat, cum ait. *Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, vt Deo ſupplices, vt patrocinium tibi ad Deum obſecrandum ſanctæ plebis requiras, vbi nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri, cùm omnes ſimus peccatores, vbi ille laudabilior qui humilior, ille iuſtior, qui ſibi abiectior.* IX.

Cùm Socrates, Nicephorus, Sozomenuſque Nectarium C P. ob publicæ pœnitentiæ vſum ſublatum redarguunt, nominatim per eam diſciplinam ob verecundiam eorum qui ſua delicta enuntiabant, peccatorum licentiam cohibitam, & multitudinem imminutam fuiſſe obſeruant. Legatur Sozomenus libro 7. capite 16. ac niſi mulier ſtuprum paſſa, quæ Nectario pœnitentiam illam tollendi occaſio fuit, peccatum publicè confiteri ſe per leges & diſciplinam pœnitentiæ debere credidiſſet, idque tunc in vſu fuiſſet, nec ſtuprum eius propalatum, nec tanta totius ciuitatis offenſa X.

ſecuta fuiſſet. Quanquam autem hanc mulierem ſpontaneam pœnitentem fuiſſe exiſtimauerim, idcirco tamen ea peccatum in exomologeſi prodidit, quia, id cùm in publica aliorum pœnitentia imperata omnino fieret, ne hac in re deeſſet, & vt omnes pœnitentiæ partes expleret, ipſa quoque ſtuprum de quo indulgentiam à Deo per Eccleſiæ ſuffragia conſequi volebat confiteri ſe debere arbitrata eſt.

X I. Denique idipſum Hincmarus Remenſis non tantùm ait, ſed etiam fusè probat in tract. de diuortio Lotharij Regis & Tetbergæ, cuius in interrogat. 12. ſic loquitur. *Neque libello ſecretæ confeſsionis porrecto publicæ pœnitentiæ quiſquam debet ſubmitti, nec per ſcripturam directam, vel ab alio porrectam valet condemnari, ſed vnde publicè debet iudicari, publicè & in præſenti poſitus debet aut conuinci, aut confiteri. Ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum ſcripſit magnus Leo Papa dicens, in præſenti poſitus, aut confutatus, aut certè confeſſus iuſtæ poteſt ſubiacere ſententiæ: quia contrarium eſt rationi, eorum illos cernere pœnas, quorum non valent neſcire cauſas.* Quæ ratio in iis omnibus qui ad publicam pœnitentiam ſubeundam cogebantur eáque palàm, & publicè caſtigabantur locum habet. Ac demùm ita Hincmarus concludit. *Hinc colligant quique, ſi canones ſacri iubent excommunicare Epiſcopum, quandiu non communicauerit illi quem ſibi dicit crimen ſecretè fuiſſe confeſſum, vtrum debeat, aut*

aut audeat aliquis de ſecreta confeſſione, ſiue per libellum, ſiue per verbum credita, quemcumque pœnitentiæ publicæ legibus ſubdere, &c.

CAP. VII.

De peccatorum grauium leuiumque diſtinctione ſanctorum Patrum doctrina aſſertur.

SECTIO PRIMA.

Aliqua peccata de ſe venialia eſſe probatur.

MALO peccata grauia, leuiáque appellare, quàm mortalia, & venialia, quia inter ipſa mortalia quædam ſunt grauiora, ſicut & inter venialia; & ſancti Patres, quorum hîc mentem exquiro, licet mortalium, venialiúmque meminerint; ſæpè tamen nonnulla eorum quæ nos Theologi, quia charitatem & conſequenter Spiritum ſanctum, vt viuificantem expellunt ab anima, iure merito mortalia appellamus, ijdem patres quia leuiora ſunt, ſi cum aliis mortalibus comparentur, I.

venialia, ſeu veniabilia, & venia aliquatenùs digna nuncupant.

II. Nec verò contra Lutherum, Caluinum, & Marcum Antonium omnia peccata ex ſe, ſuáque natura mortalia facientes diſputare modò mihi eſt animus. Hanc peccatorum diuerſitatem tanquam Catholicæ fidei dogma ſuppono ex Synodo Tridentina, quæ in Seſſ. 6. cap. 11. fatetur *ſanctos & iuſtos licet in leuia, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea deſinere eſſe iuſtos*: damnátque ibidem & can. 25. eos, *qui dicunt iuſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atq; ideò pœnas æternas mereri; tantumq; ob id non dãnari, quia Deus ea opera non imputet ad dãnationem.* Niſi enim concedat nonnulla eſſe, quorum reus pœnas æternas meretur, alia verò non eſſe eiuſmodi ex ſe, non autem quia à Deo non imputantur ad damnationem, fruſtrà diſcrimen illud apponit, & iſtud intolerabilius quàm illud eſſe dicit. Et Seſſ. 14. cap. 5. agnoſcit *venialia peccata, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur; & mortalia, quæ vniuerſa homines iræ filios, & Dei inimicos reddunt.* Vnde Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. hanc Baij propoſitionem damnarunt. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

III. Atenim, inquit M. Antonius lib. 5. cap. 7. num. 66. Omnia peccata, ſi peccata ſunt,

nortalia ſunt, diſtinguendaque ſunt potiùs ɩeccata mortalia in leuiora & grauiora, & quæ euiora ſunt, venialia dicenda, quia licet ex ſe nortalia omnia ſint, nonnulla tamen venialia licuntur, *quia Deus peccatori ea non imputat, & ex ſe ipſo facilè ignoſcit, & pro illis nullam externam pœnitentiam poſtulat, vt ſunt motus ſubreptitij ſenſualitatis, & concupiſcentiæ. Item quædam ſunt mortalia de ſe, ſed quotidiana, & ex fragilitate, & hæc dicuntur venialia, quia facilè eorum à Deo obtinemus veniam, & remedium facilè habemus, & in promptu.* Ita M. Antonius in eo Lutheranus, & Caluiniſta, quod omnes concupiſcentiæ motus etiam ſubreptitios, & indeliberatos, peccata mortalia de ſe, & damnatione æternâ digna eſſe exiſtimat. At hac in re hæreticus eſt. Nam licet iuſti eos motus ſentiant, minimè tamen perdunt iuſtitiam, nec filij iræ, Deique inimici, quæ peccati mortalis nota eſt, efficiuntur.

IV. Non me latet ſæpenumerò apud Patres nonnulla de ſe mortalia peccata, dici venialia, non quia de ſe veniam merentur, ſed quia Deus pro ſua miſericordia faciliùs ea remittere ſolet, nec raro eadem quotidiana dici, quia inter Chriſtianos crebriora ſunt. At nihilominùs Patres ijdem nonnulla agnoſcunt ita leuia ex ſe, & minuta, vt ſi ſola ſunt, iram Dei, & damnationem non mereantur, quia charitatem Dei non excludunt, quâ præditum Deus pro ſua iuſtitia

non poteſt damnare, atque adeò non beare, quia niſi ſeipſum negare, ſeque, qui charitas eſt, non amare poſſit, hominem ſui dilectorem non diligere, aut quem diligit, eidem ſe in gloria non manifeſtare non poteſt, Quamobrem cùm peccata quædam ſint, quæ qui committunt, quia nec ſummè, nec toto corde, ſeu amore appretiatiuè ſummo diligunt ſe, nec creaturam Deo Chriſtoue non præferunt, ſed, vt cum S. Auguſtino loquar, Chriſtum adhuc fundamentum retinent, ſuper illud ſtipulas ignis purgatorij, non exterminantis pabulum ædificantes, nec ſe vſque ad contemptum Dei, legiſque ipſius amant, adhuc in ſe charitatem Dei habent, qua etiamſi non vtantur, nec ex ea agant, cùm peccata illa faciunt, nihilominùs tamen Dei adhuc ſunt dilectores, & ab eo dilecti. Nec enim Deus eum ſolum, à quo actu diligitur, diligit, alioqui nec infantes baptizatos, nec iuſtos dormientes diligeret, aut in amicorum numero haberet, verùm etiam quemcumque gratia ſua ſanctificante, & habituali charitate præditum videt, & facit, verè diligit, amicúmque habet, quem niſi de facto diligeret, ſuam in eo charitatem illam non conſeruaret. Hinc quoque fit, vt peccata illa de ſe venialia ſint, quia de ſe non excludunt charitatem, qua feruente ipſa deleantur, quique iis tantum tenetur obſtrictus, habet in ſe ſuæ cum Deo reconciliationis principium, nimirùm Spiritum ſanctum,

ex quo ſi, vt poteſt, operatur, culpæ venialis remiſſionem accipit, & pro pœnæ reatu Deo plenè ſatisfacit.

V. Opponit M. Antonius S. Baſilium ex regul. breuior. interrogat. 283. negantem in nouo Teſtamento leuiorum, & grauiorum peccatorum diſcrimen haberi. At ibi S. Baſilius loquitur de peccatis tantùm mortalibus, quæ contra Dei præcepta fiunt, qualia propriè non ſunt venialia, quia non ſunt contra ipſam Dei charitatem, alioqui eam excluderent; cúmque finis præcepti ſit charitas, & hanc vnam Deus in legibus ſuis ferendis præceptorum omnium finem abſolutè, & ſimpliciter velit, ſi quid fit, quod charitati contrarium non ſit, id non tam contra præcepta, & legem diuinam, & vt S. Iacobus cap. 11. v. 8. regalem vocat, quàm præter eam committitur.

VI. Nec eſt quod idem Antonius iterum obijciat S. Auguſtinum fateri minuta illa, ſi ſæpius repetuntur animam obruere. Non enim hæc minuta conſcientiam vaſtant, niſi quando contemnuntur, atque ita conſcientia ad peccata mortalia propenſior fit. Idque clariſſimè docet S. Auguſtinus Homilia 42. Nam cap. 7. peccata illa *magna crimina appellat, à quibus ſemper alieni Chriſtiani eſſe debent,* hæc ſunt de ſe mortalia: *alia quotidiana peccata, ſine quibus hîc homo viuere non poteſt,* atque hæc noſtra venialia ſunt: Niſi enim ſine mortalibus Chriſtianus viuere poſſet,

in perpetuo Dei odio , & ſine eius charitate eum miſerabiliter iacere neceſſe eſſet, quod ſi conceſſeris , quis Dei amicus , & Spiritus ſancti inhabitantis compos habebitur? Cap. autem 8. contra eundem M. Antonium diſtinguit concupiſcentiæ motum à peccato , quod generat mortem. *Surrexit*, inquit, *concupiſcentia : nega te ipſi , noli eam ſequi...... Noli dare conſenſionis amplexum , ne plangas partum : quia ſi conſenſeris , id eſt , ſi amplexatus fueris , concipit. Cùm concupiſcentia conceperit , parit peccatum.* Et cap. 9. de leuibus. *Si non potes hîc viuere ſine ipſis : vel minuta ſint, vel leuia ſint , ſed ipſa leuia vel minuta non contemnantur.* Qui enim minora contemnit , facilè labitur in grauius aliquod & mortale. Quod cap. illo 7. per iram & odium explicat , itaut iram veniale peccatum , odium mortale eſſe velit. *Iraſcimini , & nolite peccare. Iraſcimini quaſi homines , ſi vincimini , & nolite peccare , vt iram in corde teneatis. Quid eſt ira? Libido vindictæ. Quid odium? Ira inueterata..... Ira feſtuca eſt , odium trabs eſt.* Ita vides iram venialem eſſe , quæ ſi contemnitur , fitque inueterata, in odium vertitur , quod iam trabs , & peccatum graue fit , cùm anteà leue , & feſtuca eſſet. Quomodò autem ex peccato veniali contempto oriatur mortale , ſic explicat. *Vnde creuit feſtuca , vt trabem faceret ? Quia non ſtatim euulſa eſt quia paſſus es exire & intrare ſa-*

lem toties ſuper iracundiam tuam, feciſti illam veterem, attraxiſti malas ſuſpiciones, & rigaſti feſtucam, rigando nutriſti, nutriendo trabem feciſti. Atque ita ex feſtuca trabs non fit, nec ex ira odium, niſi quia dum illa inueteraſcit, ob ſuſpiciones varias quæ mentem occupant, fit, vt qui priùs tantùm iraſcebatur, odiſſe incipiat. Quemadmodum autem affectus iræ, & odij non ſunt idem, ſed iſte ex illo naſcitur, ita peccatum veniale ipſum non fit mortale, ſed ex illo, ſi non tantùm non cauetur, aut negligitur, ſed etiam contemnitur, peccatum mortale, denique contemptus oritur. Huc etiam ſpectat quod ex eodem de quotidianę pœnitentiæ, próque quotidianis peccatis agendæ neceſſitate retulimus. Eam enim neceſſariam dixit, vt reſiſtamus concupiſcentiæ, nec conſentiamus ei, cui qui conſentit mortaliter peccat.

Sectio Secvnda.

Inter peccata mortalia Patres aliqua grauiora crimina agnoſcunt.

VII. Miror quomodo vnquam doctor catholicus potuerit credere criminum enormium appellationem non niſi pro ſimplicibus circunueniendis excogitatam fuiſſe, quis enim neget aliqua peccata mortalia eſſe grauiora, & enormia, niſi cum Stoicis hæreticis deſipiat? aut cùm ea adeò inæqualia ſint, non iiſdem pœnis in Eccleſia niſi præter ius, & fas affici potuiſſe? Quod enim omnia peccata, quæ mortalia ſunt, pœnitentiæ publicæ animaduerſione caſtigata fuiſſe tam aſſeueranter dicunt, vt qui id neget, eum ſtolidum, & prodigiosè ignarum eſſe velint, quam verè & modeſtè id aſſerant, poſtea diſputabitur. Nunc tria ex Patribus oſtendere volo, primum ea quæ nos cum Eccleſia peccata mortalia à venialibus diſtinguimus, non rarò quidem crimina à Patribus appellata fuiſſe, non tamen ita conſtanter, vt non aliquando grauioribus duntaxat criminis appellationem ijdem Patres tribuerint. Secundum, peccata verè mortalia nonnulla ab iiſdem quotidiana, inter Chriſtianos frequentia, & venialia dicta fuiſſe. Tertium, cum vera & ger-

mana nota, quâ apud Patres mortalia à venialibus diſcernuntur, ſit excluſio à regno cœlorum, violatio diuinorum præceptorum, & excommunicatio, ſeu indignitas recipiendæ Euchariſtiæ, hanc tamen excommunicationem non fuiſſe illam canonicam pœnitentiæ publicæ annexam, & Eccleſiaſticam, qua peccator ab Euchariſtia publico decreto repellebatur per antiſtites, ſed priuatam quâ peccator ſeipſum ſponte ſeparabat à communione Euchariſtiæ donec peccatorum ſuorum remiſſionem confeſſione & pœnitentia Sacramentali accepiſſet.

VIII. Adquod primum aiebam peccata omnia mortalia crimina aliquandò nuncupata fuiſſe, id fatentur ij contra quos diſputamus, & apud Patres frequentius eſt, quàm vt in eorũ dictis referendis diutiùs inmorari nos oporteat. S. Hieronymus lib. II. adu. Iouin. ante finem vocat leue crimen quod ducit ad tartarum, & diſtinguit à leui & quotidiano peccato, propter quod peccator non retruditur in tenebras exteriores, S. Auguſtinus Hom. 41. hominem baptizatum, *ſi vitam abſque crimine duxerit*, etiam ſi habeat alia peccata, quę quotidiè dimittuntur in oratione dominica, quando diem finierit, tranſire ad vitam beatam, & eorum nonnulla enumerans grauia, & peſtifera vocat: quamquam inter ea numeret immoderatum riſum, & verbum otioſum; at crimina appellat quibus peccator fit deſertor, & violator baptiſmi, quo tanquam ligamento

obſtrictus eſt, & à Chriſti corpore ſeparatus.

IX. At quod addebam non raro criminis nomen non quibuſlibet peccatis mortalibus, ſed tantùm grauioribus attributum eſſe à Patribus, id non obſcurè habetur in eodem S. Auguſtino tract. 41. in Ioannem: vbi quod dixerat primam libertatem eſſe carere criminibus, ſic exponit, vt crimen à peccato diſtinguat. *Crimen enim eſt peccatum graue, accuſatione & damnatione digniſſimum.* Et ſuperiùs dixerat hominem ſine *querela eſſe, qui ſine crimine eſt, nulla enim querela iuſta eſt, de his in rebus humanis qui non habent crimen.* Quod de quolibet peccato mortali ſi potiſſimùm ſolo animo conceptum ſit, intelligi ab Auguſtino non poteſt. Quis enim in rebus humanis non iniuſtè conqueratur, aut accuſatione, damnationéque digniſſimum exiſtimet peccatum, quod niſi fallaciſſima coniectura ſuſpicari queat? Nec leue eſt, quod ibidem addit, S. Paulum quando elegit ordinandos vel preſbyteros, vel diaconos, non dicere ſi quis ſine peccato eſt: *Hoc enim ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur, ſed* dicere, ſi quis *ſine crimine eſt, ſicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium.* S. igitur Auguſtinus nomine criminis ea tantùm peccata intelligit, quorum infamia qui laborat, irregularis eſt, & ab ordinibus ſacris arcendus, qualia non eſſe omnia

peccata alioqui mortalia, ac potiſſimùm occulta, quæque accuſari, aut innoteſcere non poſſunt, nemo in antiqua Eccleſiæ diſciplina verſatus neſcit. Si cui hac in re adhuc ſcrupulus aliquis ſupereſt, & ſiquis (vt nonnullos muſſitare audio) exiſtimat antiquam diſciplinam adeò ſanctam, vel potiùs ſeueram fuiſſe, vt quicumque ſe peccato aliquo mortali fœdaſſet, pœnitentia illa publica purgandus ab ordinibus expulſus fuerit, legat eundem S. Auguſtinum in Epiſtola 148. quamobrem dicat *nihil eſſe in hac vita & maximè hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur, ſed nihil apud Deum miſerius & triſtius & damnabilius.* Et in ſermone 49. de verbis Domini paſtores in Eccleſia iam tunc fuiſſe, & mercenarios & fures, *diligendum paſtorem, tolerandum mercenarium, cauendum latronem.* Ipſum quoque S. Paulum vix *inueniſſe vnum paſtorem inter multos mercenarios, quia pauci paſtores, multi mercenarij, omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* At ſi tolerantur haud dubiè peccatores, iique noti ſunt. Quis enim quem malum eſſe ignorat tolerat, aut quis iuſtos omnes quia ſine peccato veniali non ſunt, tolerari exiſtimet?

Quodque crimen ita accipiendũ ſit ad Timoth. 1. cap. 3. v. 10. & ad Titum cap. 1. v. 6. cùm vult Apoſtolus diaconum ſine crimine X.

eſſe, docent omnes interpretes poſt S. Thomam qui ad Titum lect. 11. ſic habet. *Dicendum eſt, quod aliud eſt crimen, & aliud eſt peccatum. Peccatum dicitur quodcumque ſiue magnum, ſiue paruum, ſiue occultum. Crimen autem magnum & infame..... non quod qui mortaliter peccat poſt baptiſmum, non poſſit eligi, ſed quod eligendus non* ſit infamis. Quod ſi ad Timoth. lect. 2. crimen interpretatur *peccatum mortale*, ſubdit non dici *qui habuerunt, ſed habentes, id eſt, qui ſunt notabiles, & habent infamiæ crimen.* Quod etiam obſeruauit Paulus Oroſius, aut quiſquis autor eſt Apologiæ de libero arbitrio S. Auguſtini ſtudioſiſſimus diſcipulus, vt pote qui ex huius dictis magnam extremi libri partem concinnauit (quod tamen ſi ſatis eſt ad negandum eius libri authorem Oroſium, pari iure Eligij & Cæſarij Arelatenſis multos ipſorum homilias eſſe negandum eſt.) Is enim circa medium crimen, & peccatum ita diſtinguit, vt *peccatum cogitatio concipiat, crimen verò non niſi actus oſtendat*, idque probat illo Pauli ad Titum & Timotheum teſtimonio, nec immeritò; vtrobique enim ponitur ἀνέγκλητος, & vt Syrus apud Eſtium vertit ſine accuſationibus, quod accuſationes non niſi de grauioribus inſtitui ſoleant. Quare ſine crimine is eſt, quem nemo criminari, aut in ius vocare poſſit ob crimen graue, infame, capitale, accuſatione, damnationéque digniſſimum, vt ex eodem S. Auguſtino explicat

Eſtius & Eſpencæus. Inter diſcipulos ſancti Auguſtini numerari poteſt & Cæſarius Arelatenſis qui non tantùm crimina ſola grauiora peccata mortalia nominat, ſed etiam inter quotidiana ponit nonnulla quæ mortalia ipſe agnoſcit, & nemo catholicus negare poteſt, quod quia ad ſecundum meum dictum ſpectat, idcirco commodius poſtea referam.

Sectio Tertia.

Aliqua peccata quotidiana aut etiam venialia à Patribus dicta ſunt quæ verè de ſe mortalia eſſe oſtenditur.

Certum eſt Patres peccata de ſe mortalia à venialibus diſtinxiſſe, & iſta leuia, quotidianáque ſæpius appellaſſe, inde tamen colligendum non eſt, quotquot à Patribus quotidiana, leuia, venialia, non mortifera dicuntur, ea unmerata eſſe inter ea quæ iam Eccleſia catholica venialia appellat, eáque neceſſario confitenda, & pœnitentiæ Sacramento expianda eſſe negat. XI.

Illuſtre huius doctrinæ teſtimonium ſuppeditat S. Auguſtinus in qq. 83. quæſt. 26. vbi omnia ignorantiæ, & fragilitatis peccata venialia ſic appellat. *Alia ſunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria eſt virtuti, imperitia contra-* XII.

ria eſt ſapientiæ malitia contraria eſt bonitati. Quiſquis igitur nouit, quid ſit virtus & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare quæ ſint peccata venialia. Et quiſquis nouit, quid ſit bonitas Dei, poteſt exiſtimare quibus peccatis certa pœna debeatur. & hîc, & in futuro ſæculo (ſi certa pœna debeatur hîc, & in futuro ſæculo, non quælibet, nec quod libet peccatum mortale intelligitur) *Quibus bene tractatis probabiliter iudicari poteſt, qui non ſint cogendi ad pœnitentiam luctuoſam, & lamentabilem, quamuis peccata fateantur, & quibus nulla omnino ſperanda ſit ſalus, niſi ſacrificium obtulerint Deo ſpiritum contribulatum per pœnitentiam.* Enimuerò credis ne ex mente S. Auguſtini nullum fragilitatis, aut ignorantiæ peccatum per ſe mortale eſſe, nec Sacramento pœnitentiæ, ſeu confeſſione Sacramentali expiandum, aut quod, vt cum eodem S. Auguſtino loquar, peccatorem à regno Dei non excludat? Hoc ſi vel cogitare de tanto doctore auſus fueris, ipſe te reuincet, non ſolùm cùm ait peccatorem ea fateri, quæ innuit confitenda eſſe, ſed longè clariùs cùm negat illorum reo ſperandam penitùs ſalutem, niſi per pœnitentiam contritus fuerit, quod de veniali alibi ipſe omnino negat, & in eo ponit mortalis rationem, quod à regno Dei, & ſalute excludit: ac demum quod libro 4. de baptiſmo cap. 5. aſſentitur S. Cypriano cùm excuſat S. Paulum blaſphemum, & eius peccatum veniale vocat, quia illud ignorans fecerat. Sic loquitur S. Martyr. *Ignoſci poteſt*

ſimpliciter erranti, ſicut de ſeipſo dicit Apoſtolus Paulus. Qui prius fui blaſphemus, & perſequutor, & iniurioſus, ſed miſericordiam merui, quia ignorans feci. Poſt inſpirationem verò & reuelationem factam, qui in eo quod errauerat, perſeuerat, prudens & ſciens ſine ignorantiæ venia peccat. Vult igitur, vt ſubdit S. Auguſtinus *demonſtrare ad facilitatem veniæ ignorantiam pertinere peccati.* Quare errorem in fide, & blaſphemiam S. Pauli mereri potuiſſe veniam ob peccantis ignorantiam, & peccata ea venialia dici poſſe exiſtimant SS. Cyprianus & Auguſtinus, qui tamen nunquam arbitrati ſunt, ea peccata de ſe reum non excludere à regno cœlorum, nec eſſe mortalia eo ſenſu, & verborum intelligentia, quam modò Eccleſia habet.

Nec aliud voluit idem S. Cyprianus cùm epiſt. de lapſis ad Antonianum 52. ſeu 2. libri epiſt. 4. illos in idololatriam lapſos negat mortuos fuiſſe, quia etiam tunc in Deum credebant, *Nec*, inquit, *putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes iacere eos, quos perſequutione funeſta ſauciatos videmus, qui ſi in totum mortui eſſent, nunquam de eiſdem poſtmodum & confeſſores, & martyres fierent.* Negat videlicet illos eſſe mortuos, qui aliquid vitæ adhuc habent, nimirum fidem, & ſpem, quas iuſtificationis initium & aliquid vitale, vt pote donum Spiritus ſancti, eſſe exiſtimat cum S. Ambroſio, qui hæc de fide, reque noſtra lib. 1. de pœnit cap. 10. ſic ait. *Quam* XIII.

fidem qui habet, vitam habet, qui vitam habet, non eſt vtique excluſus à venia, quem idcircò ſemiuiuum appellat, *quem fortaſſe ideò Samaritanus non præterit, quia aliquid in eo vitale agnoſcit, vnde poſſit vitam reſumere. Nonne vobis videtur ille qui lapſus eſt, ſemiuiuus eſſe, ſi vitale aliquid fides ſpiret? Nam qui penitùs Deum ex corde ſuo abijcit, ille mortuus eſt*. Abſit autem, vt nullum niſi infidelitatis peccatum mortale eſſe, nec niſi cum fide & ſpe charitatem amitti poſſe, noſtros hæreticos, ſancti illi patres docuerint, aut etiam S. Pacianus qui quod de peccati & criminis diſtinctione, deque venialis & mortalis appellatione apud Patres illos vſurpatum diximus, ex inſtituto in ſua Paræneſi cùm de luctuoſæ pœnitentiæ materia diſputat, ſic docet. *De modo* enim, vt ipſe loquitur, *criminum edifferens, ne quis exiſtimet omnibus omninò peccatis ſummum diſcrimen impoſitum, ſedulóque requirens, quæ ſint peccata, quæ crimina, ne quis exiſtimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere*. Docet in lege Moſaica minimi quoque peccati reos grauiter punitos fuiſſe; Chriſtianos verò per Chriſti ſanguinem redemptos, à ſeruitute legis in libertatem vocatos eſſe, hancque libertatem ſic explicat. *Hæc illa libertas, quod non omnes aſtringimur, quibus veteres tenebantur, ſed donata, vt ita dixerim, ſylua delictorum,*

lictorum, & remediorum indulgentia deſtinata, in pauca concluſi ſumus & neceſſaria. Deinde ex Actorum cap. 15. vbi chriſtianis per decretum concilij Hieroſolymitani interdicitur idolothytis, ſanguine, & fornicatione, (ſic enim pro ſuffocato legit S. Pacianus cum aliis tunc temporis Patribus) ita ſubiungit. *Hæc eſt noui teſtamenti tota concluſio. deſpectus in multis Spiritus ſanctus hæc nobis capitalis periculi conditione legauit. Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur: Hæc verò tria crimina, vt baſiliſci aliciuius afflatus, vt veneni calix, vt lethalis arundo metuenda ſunt; non enim vitiare animam, ſed intercipere nouerunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, conuitium ſatisfactione penſabitur, triſtitia iucunditate, aſperitas lenitate, grauitate, honeſtate leuitas, peruerſitas, & quæcumque cõtrariis emendata proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? quid aget ſanguinarius? quod remedium capiet fornicator? Nunquid aut placare dominum deſertor ipſius poterit aut conſeruare ſanguinem ſuum, qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violauit? Iſta ſunt capitalia, fratres, iſta mortalia.* Ex quibus habeo S. Pacianum non alia crimina, nec capitalia, mortaliáque peccata, quàm tria illa idololatriæ, homicidij, & adulterij agnoſcere, non quia iis ſolis charitas Dei iuſtitiáque perditur, ſed quia ea tunc ſola pœnitentiæ publicæ pœna emendaban-

tur, reliqui peccatores ab Euchariſtia quidem abſtinebant, donec aliis remediis, Sacramentóque pœnitentiæ purgarentur, atſeipſos excõmunicabant, non ita verò de idololatriæ, homicidij, adulteriíque criminibus conuicti, qui ab Eccleſia excommunicati, non niſi per publicam ſatisfactionem & pœnitentiam reconciliati communioni reſtituebantur.

XIV. Idque ipſum ante S. Pacianum docuit Tertullianus qui in libro de pudicitia quamuis iam hæreticus, fidem tamen hac in parte meretur, quia ob ſuum nimium erga peccatores rigorem, & auſteritatem errauit, nec tam ſuum quàm Eccleſiæ ſuique temporis chriſtianorum ſenſum refert, ibi autem reprehendit Zephyrinum Papam, & Catholicos, quod erga fornicatores tunc eſſent indulgentiores, & non ſolùm ad pœnitentiam, ſed etiam ad communionem pœnitentiâ functos admitterent, iiſque reſtituerent pacem plenam, quàm idololatris & homicidis negabant. Nec enim Montaniſtas Nouatianorum anteſignanos tunc pœnitentiam Sacramentalem, aut abſolutionem hanc, ſed ſolummodò communionem, & pacem, quæ duo planè diuerſa erant, mœchis denegaſſe probabile eſt, vt Deo dante poſteà oſtendam. Sed quidquid hac de re dicatur, perſpicuum eſt Tertullianum non alia quàm quæ ad illa tria capitalia crimina pertinebant, mortalia, vt loquitur, appellaſſe. Idque planum faciunt verba iſta quibus cona-

tūr diluere, quod ſibi objectum fuerat à Catholicis, æquè mœchos recipiendos eſſe, ac ouem & drachmam, quarum illa errans, iſta latitans, ambæ requiſitæ, & repertæ cum gaudio gregi, & theſauro, ſeu, vt loquitur, armario reſtitutæ dicuntur. Ita enim cap. 7. loquitur, *Licet periſſe dicatur, erit & de perditionis genere retractare, quia & ouis non moriendo, ſed errando, & drachma non intereundo, ſed latitando perierunt, Ita licet dici periſſe, quod ſaluum eſt. Perit igitur & fidelis elapſus in ſpectaculum quadrigarij furoris, & gladiatorij cruoris, & ſcenica fœditatis, Xyſtica vanitatis, in luſus, in conuiuia ſæcularis ſolennitatis, in officium, in miniſterium alienæ idololatriæ aliquas artes adhibuit curioſitatis, in verbum ancipitis negotiationis impegit, ob tale quid extra gregem datus eſt, vel & ipſe forte ira, tumore, æmulatione, quod denique ſæpe fit dedignatione caſtigationis abrupit, debet requiri atque reuocari. Quod poteſt recuperari non perit, niſi foris perſeuerauerit. Benè interpretaberis parabolam, viuentem adhuc reuocans peccatorem. Mæchum verò & fornicatorem, quis non mortuum ſtatim admiſſo pronuntiarit?* Quot quantáque peccata quæ etiam ad illa tria attinent, & idololatriȩ, homicidij, mæchiæque reatum aliquem habent eſſe mortalia, & qui iis obſtrictus tenetur tanquam mortuum periiſſe negat, cùm

non niſi cum oue errante, non verò mortua peccatorem illum comparandum eſſe contendat? Eadem poſtea, *pro drachma modulo ac pondere mediocria exiſtimat, & cap.19. inter delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſimus obiecti*, hæc enumerat. *Cui enim non accedet, aut iraſci iniquè, & vltrà ſolis occaſum, aut & manum immittere, aut facilè maledicere, aut temerè iurare, aut fidem pacti deſtruere, aut verecundia, aut neceſſitate mentiri, in negotiis, in officiis, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu quanta tentamur, vt ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat.* Quæ cum *quotidianæ incurſionis delicta*, & *quibus omnes ſumus obiecti*, eſſe ait, ſanè non negat eſſe eiuſmodi, vt nullius illorum reus à regno cœlorum excludatur, aut itart omnes Chriſtiani iis ſint obnoxij, ſed ea inter Chriſtianos crebrò & quotidiè committi ſignificat, nec de eorum nnmero eſſe, quæ ob grauitatem ſuam Chriſtianos his alioqui obnoxios ita offendunt, vt niſi Eccleſiæ ipſi, per pœnitentiam pnblicam fiat ſatis, de iis conuicti ad commuunionem eiuſdem Eccleſiæ non admittantur.

XV. Ac ne in eiuſmodi patrum de hac quotidianorum, leuiorum, venialiumque appellatione peccatis alioqui mortalibus, vt modò Eccleſia loquitur attributa ſententiis referendis nimius ſim; vnum S. Cæſarium Are-

latenſem ab aduerſariis ſæpiùs laudatum adiungo. In Homilia 1. ſic ait. *Si lenia ſunt fortaſſe delicta, v. g. ſi homo vel in ſermone, vel in aliqua reprehenſibili voluntate; Si in oculo peccauit, aut corde verborum & cogitationum macula quotidiana oratione curandæ, & priuata compunctione terendæ ſunt. Si verò quiſque conſcientiam ſuam interrogans facinus aliquod capitale commiſit*, & reliqua, quæ poſtea commodiùs referentur, cum diſcutietur quæſtio de peccatis publicâ pœnitentiâ olim correctis. Modò enim ſatis mihi eſt, quod à facinore capitali diſtinctas omnes cogitationum maculas inter leuia delicta ponit, & ab his facinus capitale ita diſtinguit, vt nullum delictum ſermone, aut aliqua reprehenſibili voluntate admiſſum facinus arbitratur. Abſit autem vt S. Cæſarius contra Chriſti Domini doctrinam nulla cogitationis ſermoniſue peccata mortalia eſſe velit aut ſaltem aſſentiatur Luthero, exiſtimanti ſola peccata externa in Sacramentali confeſſione neceſſario aperienda, nec quod maculas quotidianas oratione curandas & priuata compunctione tenendas commemorat, idcirco ſola venialia quorum culpæ remedium hoc eſſe poteſt, intellexit. Nec enim, vt poſtea oſtendam, ibi de remiſſione culpæ, ſed de ſatisfactione quæ ab Eccleſia pro reatu pœnę imperabatur, ſermonem facit. Et Homilia 13.

adhuc clariùs ſic loquitur. *Et hoc conſiderate fratres, quia etiamſi vobis capitalia crimina non ſubreperent, ipſa minuta peccata, quæ quod peius eſt, aut non attendimus, aut certè pro nihilo computamus, ſi ſimul omnia congregentur, neſcio quæ bonorum operum abundantia illis præponderare ſufficiat. Cogitemus ex quo ſapere cœpimus, quid pro periuriis, quid pro maledictis, & detractionibus, quid pro otioſis ſermonibus, quid pro odio, quid pro ira, quid pro concupiſcentia mala, quid pro gula, quid pro ſomnolentia, quid pro ſordidis cogitationibus, quid pro concupiſcentia oculorum, quid pro voluptuoſa delectatione aurium .... quod Eccleſia ieiunante prandere voluimus ..... Hæc ergo & his ſimilia, quæ vix vel numerari poſſunt.... etiamſi capitalia non addantur, quantis & qualibus bonorum operum copiis redimi poterunt....? Cùm ergo & iſta quæ dixi, ſine quibus nullus hominum poteſt eſſe, nos nimiùm premant, & fortè etiam nobis capitalia crimina & peccata ſubrepant, neſcio quâ conſcientiâ periculoſam nobis ſecuritatem inducimus, & remedium pœnitentiæ quærere mortifera diſſimulatione neglеximus.* Hæc ſunt delicta minuta apud S. Cęſarium non tantùm ſermones otioſi, ſed etiam periuria, maledicta, gula, ſordidæ cogitationes, ieiuniorum Eccleſiaſticorum violatio, quæ ille à capitalibus diſcernit, ſine quibus cùm nullum hominum

eſſe poſſe negat, haud dubiè non ſingulos Chriſtianos omnium reos facit, ſed inter Chriſtianos quotidiana eſſe ſignificat, adeò iam tunc mores Chriſtianorum corrupti erant.

XVI.

Nec verò ſola verborum, aut cogitationum delicta inter Chriſtianos frequentia tunc fuiſſe ait, ſed etiam de concubinatu Homilia 16. ſic loquitur. *Verè dico fratres, quia hoc ſecundùm Dominum non licuit aliquando, nec licet, nec vnquam licebit, ſed quaſi peius eſt, ita peccata iſta in conſuetudinem miſſa ſunt, & tanti ſunt qui illa faciunt, vt iam quaſi ex licito fieri credantur. Si enim nullus vir eſt, qui ſponſam ſuam vellet ante nuptias adulterinum habere concubitum, ſed omnes virgines vxores habere volunt, qua fronte, qua conſcientia ante nuptias concubinas habere non erubeſcunt? .... Sed ſicut iam dixi, mala & peſſima iſta conſuetudo, ita à pluribus ſine aliquo Dei timore committitur, vt hoc nec peccatum eſſe credatur. Sed forſitan aliquis putat licere hoc viris, & fœminis non licere. Vt enim viris liceat, ſicut iam dixi, peccantium obtinuit multitudo.* Denique idem ipſe in Homil. 42. *Nemo ſe circumueniat fratres: omnis homo qui poſt baptiſmum mortalia crimina commiſerit, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, falſum teſtimonium,*

vel reliqua crimina perperrauit, vnde per legem mundanam mori poterat, ſi pœnitentiam non egerit, Eleemoſynam iuſtam non fecerit, nunquam habebit vitam æternam, ſed cum diabolo deſcendet in tormenta. Quid ad hæc aduerſarij? An idcirco Cæſarius exiſtimauit, ſola illa peccata mortalia eſſe, & reos ad infernum detrudere, niſi per pœnitentiam expiantur, quæ per legem mundanam capitis pœna plectuntur & capitalia ſunt? An cùm peccatorum mortalium aliqua grauiora & enormia appellauit prodigiosè ignarus fuit, & ſimpliciores Chriſtianos decipere voluit, qui eos *ne circumuenirent ſe*, de hac peccatorum diſtinctione monuit?

SECTIO QVARTA.

Peccatorem ob peccata illa mortalia quidem de ſe, ſed leuiora ſponte à communione abſtinere debuiſſe docuerunt iidem Patres.

NVlli Catholico dubium eſſe iam poteſt, quin pleraque peccata quæ à Tertulliano, SS. Paciano, Auguſtino, & Cæſario enormia, & grauiora non habentur ſint de ſe eiuſmodi, vt niſi præuia Sacramentali pœnitentia expientur, reos Euchariſtiæ perceptione indignos faciant, quia verè & propriè mortalia ſunt, ſicut hæc à venialibus modò cum Eccleſia diſcernimus; idque ipſum ſenſiſſe patres non obſcurè habetur in eodem Cæſario & Auguſtino, qui peccatores eiuſmodi, licet canonico Eccleſiæ decreto tunc à communione non pellerentur, ſeipſos tamen ab Euchariſtia, donec per Sacramentalem pœnitentiam mundati fuiſſent, ſponte ſeparare debuiſſe docent, quod erat tertium illud à me propoſitum caput, ſeu punctum, quódque poſtea fiet planiùs, cùm non niſi pauca crimina tunc, vt loquitur Tertullianus *abſtinenda*, ſeu publicæ pœnitentiæ ex imperio Eccleſiæ ſubiecta fuiſſe oſtendam. Nunc breuiter oſtendo eoſdem XVII.

Digitized by Google

Patres quod dico, ſenſiſſe.

XVIII. Ac imprimis planè loquitur S. Cæſarius in Homilia illa 13. *Quomodo*, inquit, *non deſunt quotidiana peccatorum vulnera, ſic nunquam deſint eleemoſynarum, vel orationum remedia. Si enim noſmetipſos propria ſeueritate diſtringimus, ſententiam futuri iudicis præuenimus. Qui enim pro peccatis ſibi ipſe non parcit, Deus citò illi indulgentiam tribuit. Et qui ſeipſum modò à communione pro ſuo reatu ſuſpendit, ab illo altari, quod eſt in cœlo remoueri non poterit, ſecundùm illud quod ſcriptum eſt, dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* Etſi S. Cæſarius de nonnullis quotidianis tantùm delictis loquitur, ea nihilominus arbitratur talia, vt ab altari cœleſti peccatorem repellant, donec ipſe ſe propria *ſeueritate diſtringat*, ſibíque non parcens, *ſeipſum modò à communione pro ſuo reatu ſuſpendat, prior*, & non accuſatus iniquitates Sacerdoti confeſſus clauium miniſterio ab iis abſoluatur. Nec enim temerè vltimum illud Cæſarius appoſuit, *Dic tu prior iniquitates tuas vt iuſtificeris*, ſed vt doceat, donec per confeſſionem peccator ille iuſtificatus fuerit, eum ſe pro ſuo reatu à communione ſuſpendere debere.

XIX. Nec obſcurè hæc ſpontanea excommunicatio ex S. Auguſtini Homilia 41. colligitur. *Qui violauit*, inquit, *Sacramentum (baptiſmi) malè & perditè viuendo, &*

ideò remotus eſt ab altari, ne iudicium ſibi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat ſe, & reconcilietur, cum viuit, & ſanus eſt. Certum enim eſt ex S. Auguſtino eum violare Sacramentum Baptiſmi, non tantùm qui grauia crimina, quæque ſola tunc publica pœnitentia corripiebantur, vt ex eodem poſtea planum fiet, committit; Sed quicumque peccat mortaliter, & vt loquitur ibidem, *committit crimen*, quo gratiam & charitatem in baptiſmo acceptam deſtruit. Is igitur remouetur ab altari, non quidem per Eccleſiaſticam remotionem, ſeu publicam excommunicationem, ſed priuatam; vt patet ex his quæ ſubijcit verbis. *Baptizatus autem deſertor, & violator tanti myſterij, ſi agat pœnitentiam ex toto corde, ſi agat pœnitentiam vbi Deus videt, qui vidit cor Dauid, &c.* Haud enim dubiè loquitur de pœnitentia coràm Deo facta, non coràm tota Eccleſia. Quódque hæc pœnitentia pro eodem cum altari reconciliando ſufficiat, ſic docet. *Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento, quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit, poſt reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit*, &c. Agnoſcit igitur reconciliationem priuatam & ſolutionem à ligamento, quo erat obſtrictus, peccati videlicet reatu,

nec enim alterius meminerat, & cuius conſcius peccator ſeipſum à Chriſti corpore ſeparauerat. Quod denique de Sacramentali pœnitentia loquitur, conſtat ex his eiuſdem verbis quibus monet peccatorem, vt agat illam pœnitentiam, dum ſanus eſt; *Quia ſi ad vltimum vita ſteterit, neſcit ſi ipſam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit.*

XX. Et Homilia 50. vtramque excommunicationem ſpontaneam, & coactam, ſeu ab Eccleſiæ antiſtitibus imperatam diſtinguit. Cap. enim 4. de tertia actione pœnitentiæ ſubeunda pro omnibus peccatis mortalibus, ſeu *quæ*, vt loquitur, *legis decalogus continet, quæque qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt*, ita ipſe ſtatuit. *In hac ergo pœnitentia, maiorem quiſque in ſe ſeueritatem debet exercere; vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Domino.* Audis eum loqui de iudicio quod peccator in ſeipſum exercet? *Aſcendat itaque homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ ...... Atque ita conſtituto in corde iudicio; adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Poſtremo ab ipſa mente talis ſententia proferatur, vt ſe indignum homo iudicet participatione corporis, & ſanguinis Domini: vt qui ſeparari à regno cœlorum timet per vltimam ſententiam ſummi iudi-*

ris, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cœleſtis panis interim ſeparetur. Vides peccatorem, ſuâ ſe ſententiâ indignum Euchariſtia iudicare. Quod enim addit *Eccleſiaſticam diſciplinam*, aliud nihil vult, quàm Eccleſiæ diſciplinam & inſtitutionem id ferre, vt qui ea peccata commiſit, ſeſe excommunicet, & aſcendens tribunal mentis ſuæ, conſtitutóque in corde iudicio, in ſeipſum ſententiam illam proferat, nec niſi per Eccleſiaſticam diſciplinam reconciliatus altari reſtituatur, quod & poſtea ſic ait. *Quomodò ergo in interiora veli, & in illa inuiſibilia ſancta ſanctorum* (id eſt regnum cœlorum) *introire audebit, aut poterit, qui medicinam cœleſtis diſciplinæ contemnens, noluit pauliſper à viſibilibus ſeparari?* ſeu qui peccati mortalis ſibi conſcius antequam per ſacerdotem Sacramentaliter ſit abſolutus, ad Euchariſtam accedere auſus fuerit? Quodque de publica pœnitentia, eique annexa excommunicatione canonica non loquatur, patet ex illa particula (*pauliſper.*) Quis enim dicat eum pauliſper ſeparari ab Euchariſtia, qui multos menſes, & annos ſeparabatur, quod in publica pœnitentia tunc temporis ſolenne erat? Ibidem in hac diſciplina peccatoris pœnitentis humilitatem, obedientiæ merita, & ſatiſfactionem pœnitentiæ nominat. At ea omnia in Sacramentali pœnitentia ſeruari quis neget? quodque S. idem Auguſtinus ſubijcit pœ-

nitentiam pro peccatis mortalibus, & excommunicationem duplicem manifeſtiſſimè indicat. *Implicatus ergo quis tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claues Eccleſiæ, quibus ſoluatur in terris, vt ſit ſolutus in cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantùm Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam polliceri? & cæt. Indicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt..... & cum ipſe in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur: & tanquam bonus iam incipiens eſſe filius maternorum membrorum ordine cuſtodito à præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.* Antequam ad Sacramentorum præpoſitos, & clauium miniſtros accedat, iam ſe reum conſtituit, & peccati conſcius ſe communione Euchariſtiæ indignum iudicat, nec ad antiſtites venit, vt hanc excommunicationis ſententiam accipiat, ſed modum quo Deo, & Eccleſiæ, ſi eam aliquo ſcandalo offendit, ſatisfacere debeat, *vt in offerendo ſacrificio cordis contribulati deuotus, & ſupplex id tamen agat, quod non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſaltem, ſed etiam cæteris ad exemplum. Vt ſi peccatum eius non ſolùm in graui eius malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum; atque hoc expedire vtilitati Eccleſiæ videtur antiſtiti, in notitia multorum, vel*

etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet.

XXI.

Peccatum hominis poteſt eſſe graue ipſius malum abſque ſcandalo aliorum, poteſt eſſe ſcandalo, at non tanto ſeu magno; ac licet tanto ſit ſcandalo, fieri tamen poteſt, vt non expediat Eccleſiæ vtilitati, vt ille publicè excommunicetur, pœnitentiámque publicam, & in notitia vel aliquorum tantùm, vel etiam totius plebis agat: ſæpiùs igitur contingere poterat, vt peccator grauis delicti conſcius ab omni publica pœnitentia, & excommunicatione immunis ſeipſum ſua ſententia à communione ſeparatum clauium Eccleſiæ miniſtris abſoluendum non excommunicatione vlla ligandum ſiſtere deberet. Ad neutram enim pœnitentiam publicam, quæ vel in aliquorum, vel in totius plebis notitia tunc fiebat S. ille Pater peccati cuiuſlibet grauis reum damnat, aut legibus Chriſti, vel Eccleſiæ obligatum eſſe dicit, ſed tantùm cùm ita ſenſerit antiſtes, idque tribus duntaxat in circunſtantiis; prima quidem, cum peccatum non ſolùm peccanti perniciosum eſt, ſed etiam alios ſcandalo offendit, cuiuſmodi ſecretum eſſe non poteſt; ſecunda cum ſcandalum non leuiſſimum eſt, ſed notabile, & tantum, vt pœnam illam mereatur; tertia denique cùm expedire vtilitati Eccleſiæ videtur antiſtiti. Quæ omnes circunſtantiæ, aut earum aliqua ſi deerat, ac nominatim ſi peccatum erat quidem mortale, ſed graue

duntaxat peccatoris malum, tunc non ſententia antiſtitis, ſed ſua ipſe à communione Euchariſtiæ ſeparabatur; Idque ipſum eſt quod probandum ſuſceperam. Taceo quod addit ibidem multos ad ſacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorantur, quæ videlicet ſunt in aliorum ſcandalo tanto, vt merito per pœnitentiam publicam expianda videantur antiſtiti, niſi fortè quid aliud ſuadeat Eccleſiæ vtilitas. Profectò quæ crimina ab aliis non ignorantur, publica ſunt, & tamen eorum conſcij ſine pœnitentia publica accedunt ad altare, quorum multi corriguntur vt Petrus nimirum abſque vlla publica pœnitentia, hanc enim à S. Petro agi potuiſſe ipſe Ep. 108. poſtea referendus negat.

Sectio Quinta.

Expenditur locus S. Auguſtini ad aduerſariis prolatus.

XXII. Ex his S. Auguſtini dictis aduerſariorum opinio facilè refutari poteſt. At hîc addo ampliùs quod illi pro ſuo de pœnitentia publica ob quodlibet peccatum mortale olim imperata dogmate probando ex cap. 64. & 65. enchiridij proferunt, mihi potiùs quàm illis fauere. Licet enim peccatum omne mortale crimen appellet, vbi tamen pro criminibus agendæ

agendæ pœnitentiæ modum præſcribit, non eandem omnium rationem eſſe ait, quod niſi illi probent nihil omnino dicunt. Deinde idem S. Auguſtinus publicam pœnitentiam, non vt cum Deo peccator reconciliaretur, ſed vt Eccleſiæ fieret ſatis, tunc impoſitam fuiſſe ſignificat. Non igitur ea tunc imperabatur; pro crimine quolibet, ſed pro eo tantùm, quod ſcandalo ſuo Eccleſiam offenderat. Nec enim ſatis Eccleſiæ fieri debet, niſi cùm ea iniuriam accepit, & ſcandalo peccati offenſa fuit. At præſtat audire S. Auguſtinum. Is igitur cap. 64 docet Eccleſiam non tantùm originale peccatum poſſe tollere per Baptiſmum, ſed etiam *actiua ipſa peccata quæcunque corde, ore, opere commiſſa inuenerit.* Hinc verò in Eccleſia Sacramentum, quo quælibet peccata & venialia, & mortalia (necdum enim ea diuiſerat) remitti poſſint, à S. Auguſtino agnoſci colligo, tum quia eodem modo *iſta actiua* quo originale ſcilicet per Sacramentum ab Eccleſia remitti ait, tum quia cùm ſolius Dei ſit peccata pro ſua authoritate remittere id homo & Eccleſiæ miniſter nonniſi vt Chriſti miniſter per rem ab ipſo inſtitutam ad remiſſionem peccatorum, atque ex conſequenti per Sacramentum præſtare poteſt. Vnde obiter velim intelligas ex mente S. Auguſtini, Eccleſiam per claues à Chriſto acceptas non tantùm peccata externa, ſed etiam corde commiſſa, nec ſola grauia, ſed etiam leuia tollere poſſe, cum ea *inuenerit*, ſcilicet per peccatoris confeſſionem; quo enim alio pacto corde commiſſa Eccleſia inuenire queat? ſicque habes vnde hæreticos refellas,

& doctrinam catholicam de confeſſione peccatorum occultorum, & venialium S. Auguſtini authoritate confirmes.

XXIII. Addit idem Sanctus, *Hac excepta magna indulgentia, vnde incipit hominis renouatio, in qua ſoluitur omnis reatus & ingeneratus, & additus, ipſa etiam vita cætera iam ratione vtentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate iuſtitiæ, ſine remiſſione peccatorum non agitur.* In Baptiſmo datam indulgentiam *magnam* vocat, quia non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ reatus, támque originalis, quàm actiuus remittitur; cuiuſmodi non eſt omnis indulgentia per Sacramentum pœnitentiæ conceſſa. Non enim ſemper reatus omnis pœnæ temporalis in eo peccatori remittitur, ideòq; ſatisfactio pro pœna temporali poſt culpæ remiſſionem, & abſolutionem ſacramentalem agenda imponitur. Quòd autem contra nonnullos hæreticos S. Auguſtinus docet iuſtum ratione vtentem ſine remiſſione peccatorum non viuere, ſeu quemuis hominem peccare, probat, quia licet iuſti ſpiritu Dei agantur, ita tamen eo excitantur, *vt etiam ſpiritu ſuo, maximè aggrauante corruptibili corpore, tanquam filij hominum quibuſdam motibus humanis deficiant ad ſeipſos, & ideò peccent*, quaſi dicat, quandiu iuſtus ita Dei ſpiritu excitatur, vt etiam abſque illius iugi influxu, ſeu motu, ſuo humano non verò diuino ſpiritu agere poſſit, ad ſeipſum deficere, ſeu ſe abſque vllo ad Deum motu, affectúque diligere poteſt, quod peccatum eſſe S. Auguſtinus docet ſæpiſſimè. *Intereſt tamen quantùm. Neque enim quia peccatum eſt omne*

crimen, ideò crimen eſt etiam omne peccatum, id eſt, quantumuis omnis homo ad ſeipſum deficiens peccet, & omnis peccans ad ſe deficiat, ſeu amorem ſui, & proprium, non Dei habeat, caue tamen exiſtimes omne peccatum eſſe mortale, omnémque ſui amorem eſſe damnabilem cupiditatem, quæque ſit vſque ad contemptum Dei, & charitatis diuinæ perniciem. Nec enim peccatum omne eſt crimen ſcilicet mortale, quia ſine crimine, non tamen ſine peccato ſanctorum hominum vita hæc inueniri poteſt. Clarum igitur eſt S. Auguſtinum hîc crimen pro quolibet peccato mortali ſumere. Pergit autem in cap. 65. *Sed neque de ipſis criminibus quamlibet magnis remittendis in ſancta Eccleſia, Dei deſperanda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam ſecundùm modum ſui cuiuſque peccati.* Crimina quædam magna agnoſcit S. Auguſtinus, nec eum, vt opinor, damnabis ſtupendæ ignorantiæ, ſicut iuniores iſti damnant eos, qui, vbi de agenda pœnitentia ſermo eſt, crimina enormia ab aliis diſcernunt. Præterea criminum reis pœnitentiam ſecundùm modum ſui cuiuſque peccati agendam dicit.

At enim inquies, quis neget non ſemper pro omnibus criminibus æqualem pœnitentiam impoſitam fuiſſe? Verùm non de quolibet modo pœnitentiæ, ſed vel publicæ, vel ſecretæ S. Auguſtinum loqui hæc eiuſdem verba ſignificant. *In actione autem pœnitentiæ, vbi tale crimen commiſſum eſt, vt is qui commiſit à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis quàm doloris.* Non hîc aliam XXIV.

excommunicationem ſeu ſeparationem, quàm ab Eccleſia imperatam S. Auguſtinus intelligere poteſt. Si enim ſpontaneam intelligeret, non diſtingueret crimen aliquod magnum, quia cuiuſlibet ſibi conſcius ab Euchariſtia ſeparare ſe debet. Quare de excommunicatione publica, & per Eccleſiæ ſententiam lata loquitur S. Auguſtinus, nec eam niſi vbi *tale*, ſeu certum aliquod *crimen* commiſſum eſt, impoſitam fuiſſe, ait, ſubiungitque ſi coràm Deo pœnitentiæ actio facienda eſt, *non tam conſiderandam menſuram temporis, quàm doloris, quia cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri.... rectè conſtituuntur ab ijs qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ.* Vides hæc tempora canonicæ pœnitentiæ ab Antiſtitibus Eccleſiæ iniuncta non conſtitui, *niſi vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ*, & non ſoli Deo. Igitur non tam pro culpæ venia à Deo impetranda, quàm pro Eccleſię vtilitate, & ſatisfactione, pœnitentia, & excommunicatio publica olim inſtituta fuit. Si tamen pœnitentiam hanc Eccleſia imperat, eſt omninò facienda, *extra eam quippe non remittuntur crimina. Ipſa namque propriè Spiritum ſanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur vlla peccata.*

XXV. Quàm igitur immeritò, ex eo quod S. Auguſtinus peccatum omne mortale crimen vocat, aduerſarij probare volunt omne peccatum mortale pœnitentia publica olim correptum fuiſſe, cùm S. Auguſtinus disertè meminerit talis criminis, vt is qui illud commiſit, à Chriſti etiam cor-

pore ſeparetur per ſententiam videlicet Antiſtitum, vt nimirum non ſoli Deo, ſed etiam Eccleſiæ fieret ſatis. Nec tantùm ibi, ſed etiam pleriſque aliis in locis idem S. Pater excommunicationem, & pœnitentiam pro ſola publica accipit, quemadmodum in epiſtola 108. ad Seleucianam, qua etiam abutuntur aduerſarij, vt probent pro ſecretis quoque criminibus, ſeu peccatis mortalibus publicis publicam pœnitentiam ex neceſſitate olim actam fuiſſe, quia, inquiunt, S. Auguſtinus non meminit niſi triplicis pœnitentiæ, primæ ante Baptiſmum fieri ſolitæ, ſecundæ *penè quotidianæ bonorum & humilium fidelium pro peccatis quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra ſubrepunt*: tertiæ denique, quam *agant homines, ſi poſt Baptiſmum ita peccauerunt, vt excommunicari & poſtea reconciliari mereantur, ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui propriè pœnitentes appellantur*. Vnde aduerſarij inferunt S. Auguſtinum hac pœnitentia complecti omnia peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa. Verùm reſpondeo S. Auguſtinum hîc quidem loqui de pœnitentia publica, ſed quam non niſi ob quædam crimina publica factam eſſe vult, quippe qui ſic ſubijcit. *De tali enim pœnitentia loquutus eſt Apoſtolus Paulus, cùm ait, Ne iterū cùm venero, humiliet me Deus apud vos, vt lugeam multos ex ijs qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & luxuria, & fornicatione quam egerunt.* Nemo neſcit B. Paulum in Corinthiis notaſſe pleraque alia crimina, ſeu peccata mortalia, nec tamen eum de pœnitentia pro illis pecca-

tis facienda loqui, ſed tantùm de ea, quæ ſuper immunditia agenda erat, idque eius contextus iſte clarè ſignificat cap. 12. epiſt. 2. ad Corinthios verſ. 20. & 21. *Timeo ne fortè cùm venero, non quales volo, inueniam vos, & ego inueniar à vobis qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos: ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione & impudicitia quam geſſerunt.* Si S. Paulus de pœnitentia ſacramentali, & pro venia omnium peccatorum mortalium à Deo impetranda neceſſario agenda loquitur, cur omiſſis tot aliis peccatis, iiſque haud dubiè de ſe mortalibus, de ſola impudicitia mentionem facit? nonne inde conſtat eum de pœnitentia aliqua, eáque pro quibuſdam criminibus ſcandaloſis loqui? Verùm ad S. Auguſtinum redeo, & dico eum triplicis illius pœnitentiæ meminiſſe, vt pote publicæ, non autem ſecretæ, qualis ſacramentalis ſemper fuit? Quod enim ea quæ ante Baptiſmum fiebat publica eſſet, nemo neſcit, quódque quotidiana illa pro venialibus eſſet etiam publica, antea demonſtraui, & ex noſtro huius temporis vſu conſtat. Quæ enim initio ſacri, & ante Euchariſtiæ perceptionem ab omnibus chriſtianis *pectora tundentibus*, vt ibidem ait S. Auguſtinus, ſéque peccatores agnoſcentibus fit, publica eſt. Sacramentalis verò ſiue pro mortalibus, ſiue pro venialibus vſurpari etiam tunc ſolitæ, vt ex eodem ſuperiùs

oſtendi, non meminit, quia de ſecreta non loquitur in ea epiſtola, vt patet ex eo quod cauendum ait, ne S. Petrus ita putetur *egiſſe pœnitentiam, quomodo agunt in Eccleſia, qui propriè pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat, vt primum Apoſtolorum inter tales pœnitentes numerandum putemus?* Quod de ſacramentali pœnitentia non poteſt intelligere, ſed de ea publica, cui nullus Epiſcopus, aut Preſbyter antiquitùs ſubijciebatur, quamque qui ob peccatum aliquod ſeu crimen egerat, irregularis fiebat.

Quæ cum ita ſint, habes, ni fallor, exploratiſſimum quod in ſeptimo capite probandum mihi propoſueram, licet ſancti Patres peccata aliqua de ſe tantùm venialia, ſeu, vt loquuntur, iuſtorum, & aliqua mortalia, quæque peccatorem æternæ morti & damnationi obnoxium reddunt, agnoſcant, ſæpenumero tamen, quæ de ſe mortalia ſunt, & venialia appellare, quotidiana, & leuia, quia hæc comparant cum alijs longè grauioribus criminibus. Nec etiam rarò factum eſt, vt eâdem in claſſe & numero repoſuerint peccata quidem mortalia, ſed leuia, & venialia ſeu iuſtorum, cùm videlicet notare voluerunt ea quorum reos Eccleſia non niſi publica pœnitentia functos ab excommunicationis, quo eos obſtrinxexerat, vinculo abſolutos communioni reſtituebat, cùm tamen ſi de peccatorum eorum cum Deo reconciliatione, & culparum mortalium remiſſione agitur, vnicum iis pœnitentiæ ſacramentalis remedium à Chriſto inſtitutum fides Catholica nos doceat, & id obiter ex iiſdem Patribus ac nominatim ex S. Auguſtino oſtende- XXVI.

rim. Quod cùm illi contra quos iſta diſceptatio potiſſimùm inſtituta eſt, vtpote Catholici concedant, diligentiùs diſputandum non fuit. Ex his autem ſic demonſtratis facilè intelligitur, quàm perperàm aduerſarij abutantur iiſdem Patribus, vt quia crimina cum peccatis mortalibus aliquando confuderunt; inde conficiant, pro quolibet peccato mortali olim vnam eiuſdémque modi pœnitentiam videlicet publicam imperatam fuiſſe, cum potiùs contrarium euincatur, quia cùm de agenda pro peccatis pœnitentia publica Patres iidem ſermonem fecerunt, crimina ipſa, ſeu peccata mortalia diſtinxerunt in grauiora, & leuiora, eóque aliquando proceſſerunt, vt niſi attentiùs legantur, peccata alioqui mortalia, quæque pœnitentia ſacramentali neceſſario expianda eſſe nemo niſi hæreticus neget, ea cum leuiſſimis iuſtorum peccatis collocaſſe, & in numero leuium, quotidianorum, & venialium poſuiſſe videantur.

CAP. VIII.

Pœnitentiam publicam non pro quibuſlibet peccatis verè ac propriè mortalibus, ſed tantùm publicis, hiſque grauioribus olim impoſitam & ab Eccleſia imperatam fuiſſe oſtenditur.

SECTIO PRIMA.

Mea hac de re ſententia proponitur.

HIc totius controuerſiæ noſtræ cardo vertitur. Niſi enim aduerſarij tanquam certum ſupponant quam nos pœnitentiam ſacramentalem, & ſecretam pro venia quorumlibet peccatorum mortalium à Deo impetranda cum Synodo Tridentina neceſſariam dicimus, eam primis illis temporibus publicam fuiſſe, & quæ in antiquis pœnitentiæ canonibus decreta inuenitur, itaut non alia pro quolibet mortali peccato quàm publica pœnitentia in vſu fuerit, nulla omninò ſunt, quæ inde conijciunt ratiocinando, vt inter cætera, quicumque mortaliter peccauerat, illum non niſi poſt diuturnam, eámque luctuoſam pœnitentiam peractam ad Euchariſtiæ communionem legitimè accedere potuiſſe. Sic enim eos ratiocinari oportet. Nemo peccati mortalis reus Euchariſtiam benè, & legi- I.

timè accipere poteſt, niſi priùs ab eo per pœnitentiam ſacramentalem ſit mundatus: Atqui tunc temporis non alia ſacramentalis pœnitentia erat, quàm publica diuturna illa, luctuoſa, & quæ canonibus deſcripta habetur. Igitur tunc temporis nemo peccator Euchariſtiæ legitimè particeps erat, niſi priùs per pœnitentiam illam publicam peccati maculam, & reatum culpæ expiaſſet. Cuius ſyllogiſmi propoſitione ab omnibus Catholicis conceſſa, vt oſtendam alibi, de ſola minore propoſitione controuerſia eſſe poteſt. Quare in ea probanda toti ſunt aduerſarij, vt ex parte 2. libri de Comm. freq. cap. 3. & ſequentibus conſtat. Eámque ob rem quæſtionem hanc principalem appellant, & poſtquàm confeſſionem publicam à pœnitentia quoque publica diſtinxerunt, iidem pro peccatis quibuſlibet mortalibus etiam ſecretis imperatam fuiſſe publicam pœnitentiam, non verò confeſſionem publicam, nec pro illis peccatis aliam pœnitentiam quàm publicam Patribus notam, aut tunc in vſu poſitam fuiſſe contendunt.

II. Ego verò tria aſſero, primum quoties pœnitentia publica imperata fuit, toties ipſam quoque confeſſionem criminum publicam factam fuiſſe; neutram verò pro quibuſlibet peccatis mortalibus; ſed aliquibus duntaxat imperatam fuiſſe. Deinde aio peccata pro quibus hæc pœnitentia iniuncta fuit, nunquam ſecreta fuiſſe, ſed tantùm publica, quæque ad Eccleſiam deferri poterant. Denique ea crimina non quælibet publica, ſed tantùm grauiora, quæque Eccleſiæ ſcandalo erant, fuiſſe contendo.

Meminerit lector me de publica pœnitentia imperata loqui, non autem de ea quam vltrò & ſponte poſtulantibus Chriſtianis Eccleſiæ Antiſtites aliquando concedebant, cuiuſmodi olim in vſu fuiſſe antea probatum eſt. Meminerit quoque me anteà, & huius diſſertat. cap. 6. oſtendiſſe, quoties pro crimine aliquo pœnitentiam publicam aliquis peccator agere coactus eſt, toties criminis eius exomologeſim, ſeu profeſſionem, & publicam confeſſionem factam fuiſſe. Quamobrem ſi ex Patribus habuerimus, non omnium peccatorum mortalium confeſſionem publicam in vſu fuiſſe; inde quoque non de omnibus illis pœnitentiam publicam neceſſariò factam fuiſſe intelligemus. Denique ea quæ ſuperiore capite de peccatis, quæ quantumuis de ſe mortalia eſſent, ea nihilominùs leuiora, quotidiana, miniméque capitalia Patres appellarunt, relata ſunt, haud dubiè probant non omnia mortalia publicæ illius pœnitentiæ materiam neceſſariam fuiſſe. Nec enim ob aliud nonnulla à Patribus leuia, quotidianáque appellata ſunt, quàm quia collata ſunt cum iis, in quæ quia grauiora erant, luctuosâ illa pœnitentiâ animaduertebatur. Sed his omiſſis, primò peccatum nullum niſi publicum: deinde non quodlibet publicum, ſed grauius, & capitalius primis duodecim ſæculis pœna illa, ſeu pœnitentia publica punitum, & expiatum eſſe probo certiſſimis argumentis, vt pote quæ non aliunde, quàm ex ipſis antiquis monimentis, quæ aduerſarij certiſſima habent, petuntur, iiſdémque prorſus vtor teſtibus, quos pro ſua opinione protulerunt. III.

Sectio Secunda.

De peccatis quantumuis mortalibus, ſi prorſus ſecreta fuerint, pœnitentiam publicam ab Eccleſia imperari non potuiſſe probabile videtur.

IV. Nemo Catholicus in dubium reuocare poteſt quin aliqua peccata ſola cogitione, ſeu animo admiſſa, mortalia ſint; alioqui enim nulla eiuſmodi in confeſſione ſacramentali neceſſariò aperienda eſſent: quod vtrumque definit Synodus Tridentina, ſeſſ. 14. cap. 5. ait *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm aduerſus duo vltima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam animum grauiùs ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur.* Si contra Decalogi præcepta ſunt, ea mortalia eſſe, & à regno Dei peccatorem excludere ex S. Auguſtino ſuperiùs cap. 7. laudato fatendum eſt; Quare ſi quæ ſola cogitatione admittuntur delicta, ea publicæ pœnitentiæ legibus comprehenſa non eſſe probauero, efficiam aliqua occulta peccata illi pœnitentiæ ſubdita non fuiſſe, ſiq; ea, quia occulta erant, idcirco ab illis legibus ſoluta fuiſſe probatum fuerit, inde quoque clarum fiet quæcunque occulta erant paris hac in parte conditionis fuiſſe.

V. Ac ne te lector diutiùs detineam, duplicia te-

ſtimonia tibi profero, alia quæ diſertè negant pro occultis criminibus illam pœnitentiam iniunctam fuiſſe: alia, quæ non niſi pro publicis criminibus illam impoſitam fuiſſe dicunt. Prioris generis teſtimonium illuſtre habetur in iſto Neocæſarienſis antiquiſſimi Concilij Canone IV. *Si quis mulierem concupiſcens propoſuerit cum ea dormire, & eius deſiderium non peruenerit ad effectum, manifeſtum eſt quod per gratiam fuerit liberatus.* non à culpa mortali, quam haud dubiè contraxit ille mœchatus corde, cùm vidit mulierem, & concupiuit, nec conſequenter à ſacramentali pœnitẽtia; hanc enim vel in re, vel in voto eſſe vnicum peccatorum eiuſmodi remedium ignorare non potuit illa Synodus. Peccator igitur ille liberatus eſt à pœnitentia publica, cuius in canonibus condendis, aut confirmandis Synodus illa tota verſabatur. Atque ita, quod aiebam, peccatum aliquod lethiferum, quódque publicum pœnitentiæ illi canonicæ ſubiectum foret, quia occultum erat, eius legibus obnoxium non fuit. Nec prætermittendum eſt, dicere Synodum quod mœchus ille liberatur *manifeſtum eſſe*. Id enim apertè ſignificat de nullo eiuſmodi peccato tunc temporis pœnitentiam publicam imperatam fuiſſe.

Quia verò crimen occultum non eſt ſolummodò illud cuius ſolus reus conſcius eſt, cuiuſmodi eſt cogitatio praua, affectio aut opus aliquod quod à nullo altero accuſari poteſt, ſed etiam illud quod quidem ab altero v. g. ſocio cognoſcitur, quale eſt adulterium; ſed cuius fama nulla eſt, nec à conſcio in iudicio ſæculari vel Ec- VI.

cleſiaſtico probari poteſt, quia vnus teſtis, nullus teſtis eſt, niſi crimen publicum hoc modo ſit, & tale, vt de eo reus in iudicio conuictus, aut certè accuſatus, & ſponte illud confeſſus infamis ſit, peccatorem publicæ pœnitentiæ ſubditum non fuiſſe quæ ſequuntur teſtimonia probant.

VII. S. Auguſtinus in libro de Corrept. & Gratia, cap. 16. illud S. Pauli ad Timotheum prioris epiſt. cap 5. de peccatore coràm omnibus corripiendo præceptum vult intelligendum eſſe *de peccatis quæ non latent, ne contra Domini ſententiam putetur loquutus Apoſtolus. Ille enim dicit, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum.* Ex quibus ſic diſputo. Quicumque pœnitentia publica caſtigatur, is & à communione expellitur, & publicè corripitur. At clàm peccans *peccatum quod latet*, publicè corripi non poteſt, niſi contra Domini ſententiam. Igitur cuius peccatum latet, is ad pœnitentiam publicam ab Eccleſia cogi non poteſt. Hîc non diſputo quid à Chriſto fieri potuerit. Cur enim peccator etiam pro occultiſſimo crimine ad famæ ſuæ iacturam damnari à Deo iuſtiſſimè non poſſit, & obligari, vt pro eo expiando crimen ſuum in animo latens palàm publicet, ſicut haud dubiè in extremo iudicio impiorum cogitationes reuelabuntur, & toti mundo patebunt? At id vnum contendo, qui ita occultè peccat, vt infamiam nullam apud homines incurrat, quique cum conſcientiæ ſuæ iactura, nullum famæ detrimentum patitur, eum ab Eccleſia non poſſe abſque graui iniuria, & iniuſtè cogi ad crimen ita confitendum, vt inde infamis fiat. Nec enim

in famam chriſtiani Eccleſia, ſeu alii Chriſtiani ius vllum habent, cùm ex illo eius crimine ipſa nullum ſcandalum patiatur, nec ex peccatoris illius diffamatione vtilitatis commodiue quidquam capere videatur. Id ſatis pro inſtituto meo probaui ſuperiùs, cùm de peccatorum occultorum confeſſione publica diſſerui, & nunquam ſine hac pœnitentiam illam publicam imperatam fuiſſe oſtendi. Nunc ſatis mihi eſt Chriſtum pro quolibet peccato mortali occulto publicam pœnitentiam, & correptionem non inſtituiſſe, ne ſibi contradicere dicatur, & quam ipſe pro omnium peccatorum mortalium remiſſione neceſſariam pœnitentiam ſacramentalem inſtituit, eam publicam non eſſe, ſed ſecretam.

Hocque de fama peccatori non tollenda, aut imminuenda præceptum naturale, & diuinum in correptione ipſius, & pœnitentia adeò ſemper ab Eccleſia religioſè ſeruatum fuit, vt non niſi vulgatiſſimum crimen in conſpectu totius populi, ea pœna multaretur, ſi quod verò publicum quidem, ſed non ita euulgatum eſſet, in pauciorum tantùm conſpectu & notitia corriperetur, vt ex S. Auguſtini Homilia 50 ſuperiùs probaui; vbi magna cum cautione Antiſtites in imponenda pœnitentia ſe ſe gerere debuiſſe ait, vt quod non *graue* ſolummodo peccatoris *malum* eſſet, ſed etiam *in ſcandalo aliorum*, de eo pœnitentia *in notitia multorum*, *vel etiam totius plebis* pro Antiſtitum iudicio ageretur. Quodque de peccato publico loquatur, clariſſimè indicant hæc eius verba cap. illo 4. Homiliæ 50. *Quid eſt infœlicius, quid peruerſius, quàm de ipſo vulne-* VIII.

re, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura eius erubeſcere? Huc reuoca quæ de confeſſione publica ſuperiùs attuli, ac nominatìm quod Tridentini Patres ſeſſ. 14 cap. 5. aiunt, Chriſtum quidem non vetuiſſe, *quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit, non eſſe tamen hoc præcepto diuino mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præcipi poſſe, vt delicta præſertim ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda.* Hinc enim intelligitur nullam nec quidem publicorum criminum confeſſionem publicam à Chriſto præceptam fuiſſe, nec proinde ſacramentalem, quæ à Chriſto inſtituta eſt, nunquã fuiſſe aliam, quàm auricularem; quæ eiuſmodi eſt, vt nec confitentem infamet, nec verò infamare poſſit, quia vnus teſtis, nullus teſtis eſt, cúmque Confeſſarius in reuelando crimine iuris diuini violati reum ſe & infamem redderet, nec quidem accuſator aut delator, nec adeò teſtis iuridicus eſſe poſſet. Enimverò ſi abſque confeſſione peccatorum publicam pœnitentiam quis ſubire cogeretur, is profectò infamis fieret, & ſaltem peccati alicuius mortalis reus meritò exiſtimaretur, cùm non niſi pro eiuſmodi peccatis illam imperari ab Eccleſia poſſe omnes certò ſciant. Si quem ex aduerſarijs nullo ſpeciatim expreſſo peccato mortaliter peccaſſe dicerem, & vt ab alijs crederetur authoritate mea efficerem, nonne me detractorem meritò de iniuria graui ſibi facta accuſaret, ſibíque contra ius & fas detractam, aut imminutam eſſe fa-

eſſe famam, & nominis exiſtimationem conquereretur? Nonne Preſbyter ob vnicã hanc, quam inde contraxiſſet infamiam, pro nullo crimine ad agendam publicè pœnitentiam vnquam olim coactus eſt? Nonne ſi quis vnquam pœnitentiam publicam agere coactus fuerat, eo ipſo irregularis fiebat, quia infamis erat, vt pote qui eccleſiaſtico iudicio de crimine aliquo grauiore conuictus fuerat? Igitur ſiue in illa pœnitentia fieret confeſſio publica criminis, vt ego exiſtimo, ſiue etiam non fieret, pœnitentia nihilominùs illa publica imperata, & excommunicatio infamiam annexam ſemper habuit, nec pro crimine occulto peccatori integræ famæ ab Eccleſia iure infligi potuit, quia ius famæ naturale eſt, nec illo ſanctius, & ſuperius eſſe poteſt ius vllum Eccleſiaſticum, ſed ſolùm diuinum quod in hac parte nihil ſtatuiſſe, déque eo naturali iure quidquam detraxiſſe antea ex Tridentino, & S. Auguſtino oſtenſum eſt. Tantùm igitur abeſt, vt vnquam Eccleſia pro crimine aliquo occulto pœnitentiam publicam infamantémque iniunxerit, vt nec quidem eam iniungere potuiſſe longè probabilius ſit.

Quæ omnia clariſſimè docet, & ex antiquioribus Canonibus probat Hincmarus Remenſis in lib. de Diuort. Lotharij & Tetbergæ interrog. 1. Ibi enim damnat quòd nonnulli Epiſcopi in ea cauſa fecerant & Tetbergam nonnullis etiam Epiſcopis ſecreta confeſſione facinus aliquod confeſſam publico iudicio damnatam publicæ pœnitentiæ ſubdiderant, & diuortium illud legitimum eſſe pronuntiauerant. *Sciant*, inquit, IX

& quicunque venerandi Epiſcopi, & Reges glorioſi, & omnes in ſinu matris Eccleſiæ collocati, quia hanc latentem cauſam ſub hac conditione potiùs ignorare, quàm ſcire volumus, pro cauſis quas oſtendemus. Videlicet quia nimis habemus de peccatis noſtris, & nobis à ſecretâ confitentium deuotione confeſſis, & à nobis ſubditis publicè & pondere graui commiſſis, ad quæ deflenda oculi noſtri nequaquàm ſufficiunt, quanto magis illa quæ latent, & per alios ſanari meliùs, quàm per nos poſſunt & ablui, curioſitate, quæ graue eſt, vt dicit Gregorius, vitium, illa diſcere, & audire quæramus. Hincmarus igitur triplicia peccata ab Epiſcopo deflenda diſtinguit, alia ſunt ab eo commiſſa, alia quæ ipſe per ſecretam confeſſionem peccatoris addiſcit, alia quæ à *ſubditis publicè & pondere graui committuntur*, quæ diſtinctio vana eſſet, ſi ſecreta, & publica per eandem pœnitentiam publicam corriperentur. Adde quædam quæ latent peccata per alios ſcilicet Sacerdotes meliùs, quàm per Epiſcopos ſanari poſſe, quòd de pœnitentia publica intelligi non poteſt, cùm eam iniungere ſolius ſemper Epiſcopi fuerit. *Altera*, inquit, *cauſa eſt, quia Spiritus ſancti oraculo cautum eſſe dignoſcitur, vt quique peccantes peccatorum ſuorum latentes cauſas ſpiritualibus ſenioribus patefaciant, qui ſciant & ſua & aliena vulnera curare, ac non detegere ac publicare: & proptereà in ſacris canonibus Africani Concilij ſcriptum habetur, vt ſi quando Epiſcopus dicit aliquem ſibi ſoli proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille neget, non putet ad injuriam ſuam*

Epiſcopus pertinere, quod illi ſoli non creditur: & ſi ſcrupulo propriæ conſcientiæ ſe dicit neganti nolle communicare, quandiu non communicauerit ſuus Epiſcopus, *eidem Epiſcopo ab aliis non communicetur Epiſcopis, vt magis caueat Epiſcopus ne dicat in quemquam, quod aliis documentis non poteſt conuincere. Quid eſt enim crimen confeſſo nolle communicare, niſi confeſſionem criminis publicare?* Taceo reliqua, idq; vnum premo. Nunquam, vt & ipſi aduerſarii fatentur, eámque ob cauſam pœnitentiam publicam à publica confeſſione diſcernunt, licitum fuit Eccleſiæ, & Epiſcopo crimen occultum publicare. Atqui alicui etiam crimen confeſſo nolle communicare, eſt confeſſionem criminis publicare. Nunquam igitur licitum fuit cum peccatore ob crimen occultum nolle communicare; nec conſequenter ei pœnitentiam publicam, cuius pars aliqua erat excommunicatio, imperare. Quodque pœnitentia publica imperata peccatum aliquod publicet, & peccatorem infamet, ibidem Hincmarus fusè diſputat, negatque vbi confeſſio peccati ſecreta facta fuit, pœnitentiâ publicâ in illud animaduerti poſſe, ſi quidem *notum de ſeipſo vnicuique conſtat, quia nemo eſt, qui Prælato ſuo peccata ſua prodere non erubeſcat, ſi ſe denudari, vel publicari putauerit. Et in Carthag. Conc. præcipitur vt Epiſcopus nullius cauſam audiat, de qua ei neceſſe erit publicè iudicare, abſque præſentia clericorum ſuorum: alioqui irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi præſentia clericorum ſuorum confirmetur.* Quemcunque publicæ pœnitentiæ ſubdebat Epiſcopus, de eo

publicè iudicabat: illius igitur crimen nec ſolus, nec ſacramentaliter, ſeu auriculari confeſſione reuelatum, ſed in præſentia clericorum audire & cognoſcere poterat, alioqui enim ſententia eius irrita fuiſſet. Atque vt verbo dicam, quia pœnitentia publica criminis alicuius erat publicatio, tam non potuit Eccleſia peccatorem ob crimen occultum ad illam accipiendam ſubeundámque imperio ſuo conſtringere & obligare, quàm non potuit ab eo publicam eiuſdem criminis occulti confeſſionem exigere, quod hac in ſectione probandum mihi erat. Hic autem à lectore notatum velim quod in hoc capite probare inſtitui, ſi qua peccata purè omnino ſecreta fuerint, ita vt nullo verbi, aut nutus, aut quouis alio exteriore ſigno ſe prodiderint, eorum confeſſionem publicam ſatis conſultè ab Eccleſia præcipi nunquam potuiſſe, id me ni fallor valde probabilibus argumentis confeciſſe. Quod adeò perpetuus Eccleſiæ vſus probat, vt nec ipſam hæreſim ſi fuerit eiuſmodi, vlla pœna Eccleſiaſtica plecti Canoniſtæ doceant. Huc quoque pertinet quod adeò ſæpè S. Auguſtinus contra Donatiſtas inculcat, ac nominatim in epiſt. 69. monet ſanctorum librorum propè *nullam paginam eſſe, quæ nos non admoneat intùs in ipſa ſocietate Sacramentorum, quibus imbuimur ad vitam æternam, cum his qui oderunt pacem eſſe debere pacificos, donec ingemiſcendo noſtra longinqua peregrinatio tranſeat, atque in virtute Hieruſalem matris æternæ ſecuriſſima pace perfruamur, & in turribus eius abũdantia verorum fratrum quorum nunc inter multos falſos gemitus pau-*

citatem. Subdit, pacem fieri ipſis etiam hominibus qui ſecum ſine illo bellum gerant, *in nullo extrinſecus oborto ſcandalo*, vt clariſſimè ſignificet falſos fratres, & peccatores Chriſti inimicos niſi extrinſecus obortum ſcandalum impediat, ad Sacramentorum communionem conſtantiſſima ſcripturæ ſacræ iubentis authoritate, admittendos eſſe.

SECTIO TERTIA.

Ob ſola crimina publica pœnitentiam publicam olim iniunctam & per canones Eccleſiæ imperatam fuiſſe probatur.

ID euinco teſtimoniis antiquorum Patrum, qui peccata occulta per ſatisfactionem ſecretam, publicáque per publicam expiari volunt. X.
Atque imprimis id ita ſemper obſeruatum eſſe colligitur ex Synodo Tridentina. Hæc enim in ſeſſ. 14. licet in ſeſſ. 6. multum de Sacramento pœnitentiæ ſermonem feciſſet, de eo tamen iterùm agit, *vt exactiorem & pleniorem definitionem eius tradat, in qua demonſtratis & conuulſis, Spiritus ſancti præſidio, vniuerſis erroribus, catholica veritas perſpicua & illuſtris fiat, quam tunc ſancta Synodus Chriſtianis omnibus perpetuò ſeruandam proponit*. Quamobrem non aliquos ſolummodò errores, aut abuſus, ſed vniuerſos conuellere, nec id tantùm ten-

tare, aut quod ſeruandum eſt ſubobſcurè, & timidè inſinuare ſe velle profitetur: ſed exactam & pleniorem, ac conſequenter in qua deſiderari nihil queat definitionem Sacramenti illius tradit, catholicam veritatem, ſeu ſibi à Chriſto per Apoſtolos traditam, & à Patribus catholicis obſeruatam perſpicuam & illuſtrem facit, eámque non aliquando iterum corrigendam, aut quaſi adhuc rudis & imperfecta eſſet, perficiendam, ſed Chriſtianis omnibus perpetuò ſeruandam proponit. Quæ verba quàm inanes aduerſariorum de alia mente Concilij, déque eius in vera & antiqua pœnitentiæ ſacramentalis diſciplina renouanda, timidiore conatu coniecturas reddant, æquus huius controuerſiæ arbiter viderit.

XI. Id vnum animaduerto in tota illa ſeſſione pro publica pœnitentia reſtituenda ne quidem verbum fieri, ſed potiùs ſtatui pro quibuſcumque mortalibus peccatis neceſſariam eſſe pœnitentiam ſacramentalem, eámque ſecretam. Quodque eam ſecretam eſſe velit, colligo ex ſeſſ. eiuſdem 24. cap. 8. vbi de pœnitentia publica tanquam ab ea penitus diuerſa ſic ſtatuit. *Apoſtolus monet, publicè peccantes palàm eſſe corripiendos. Quandò igitur ab aliquo publicè in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, vnde alios ſcandalo offenſos, commotóſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet, vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam.* Certè Synodus non nouum ius cōdere, ſed Apoſtoli præceptum, atque ita antiquam Eccleſiæ de

pœnitentia publica diſciplinam renouare ſe teſtatur. Ea autem ſacramentalis nullo modo eſt, tum quia ſolos publicè peccantes, nec quodlibet publicum, ſed in conſpectu multorum commiſſum crimen ſpectat, tum etiam quia non pro peccatoris cum Deo reconciliatione, qui pœnitentiæ ſacramentalis finis eſt, ſed pro Eccleſiæ offenſæ ſatisfactione, aliorúmque exemplo, & vtilitate iniungi iubet.

Quódque hoc Patrum antiquorum & Eccleſiæ inſtitutum fuerit, colligitur ex Concilio quòd in villa Ingilenheim ſub Ludouico Pio anno 826. habitum refertur in tomo 2. Concil. Galliæ, cuius canon apud Burchardum lib. 11. cap. 57. & Iuonem Carnot. parte decreti 13. cap. 43. Aurelianenſi Concilio attributus decernit iuxta *ſanctorum Canonum ſanctiones, vt ſi quis rapinam publicam, ſeu furtum fecerit, publicam agat pœnitentiam : ſi verò occultè, Sacerdotum conſilio pœniteat.* Vt taceam quod rapina ita occultè fieri non potuerit, vt dominum rei ablatæ latuerit, ſermo enim eſt, de rapina qua fur per vim aliquid alteri aufert, hoc teſtimonium non tãtùm Concilij, ſed etiam duorum illorum quos ipſi etiam aduerſarij ſæpiùs laudant, doctorum Burchardi & Iuonis authoritate confirmari, & in eo non nouum aliquod decretum fieri, ſed ſanctorum Canonum ſanctiones renouari animaduerto. Idem quoque Burchardus lib. 19. cap. 28. & Iuo parte decreti 15 cap. 46. aiunt, *ſecundùm antiquorum Canonum inſtitutionem, ſacrarum ſcripturarum authoritatem, & Eccleſiaſticam conſuetudinem diſcretionem ſeruandam à* XII.

Sacerdotibus inter pœnitentes publicè & abſconsè. Nam qui publicè peccat, *oportet, vt publicè multetur pœnitentia.* Qui Canon habetur in cap. 25. Concilij Cabillonenſis 2. & Arelatenſis 6. cap. 26. quo decernitur, vt *qui publico crimine conuicti ſunt, rei publicè iudicentur, & publicam pœnitentiam agant ſecundum Canones,* vt refertur in eodem 2. tomo Concil. Galliæ. Fruſtra autem fieret mentio publicorum criminum, ſi eadem publica pœnitentia pro quibuſlibet peccatis mortalibus etiam occultis per Canones iniuncta fuiſſet. Hæc igitur inter peccantes publicè, & abſconsè diſcretio ſeruanda ſemper fuit, vt illi publicâ pœnitentiâ, iſti vero non niſi ſecreta ſatisfactione, & pœnitentia corrigerentur, idque *ſecundùm antiquorum Canonum inſtitutionem, ſacrarum ſcripturarum authoritatem, & Eccleſiaſticam conſuetudinem;* quæ tres authoritates tantæ ſunt, vt vel vnica ad diſciplinam illam, & inſtitutum ſanciendum ſufficeret.

XIII. Apud eundem Iuonem paſſim occurrunt eiuſmodi teſtimonia ex antiquis Canonibus collecta, cuiuſmodi eſt in parte decreti 15. cap. 53. in quo habetur, *vt ſi quis inceſtum occultè commiſerit, & Sacerdoti occultè confeſſionem egerit, indicetur ei remedium canonicum, quod ſubire debuiſſet, ſi eius facinus publicatum fuiſſet. Verùm quia latet commiſſum, detur ei à Sacerdote conſilium, vt ſaluti animæ ſuæ pro occulta pœnitentia proficiat: hoc eſt, vt veraciter ex corde ſe grauiter deliquiſſe confiteatur, & per jeiunia & eleemoſynas, vigilias, atque ſacras ora-*

tiones cum lacrymis ſe purgare contendat, & ſic ad ſpem veniæ pro miſericordia Dei peruenire confidat. Qua ex ſententia Iuonis intelligitur, non tam quid ipſe ſenſerit, quàm quis Eccleſiæ antiquæ ſenſus fuerit, hunc enim, & Canones Patrum referre ſe profeſſus, teſtatur remedium canonicum, ſeu pœnitentiam per Canonas iniunctam pro inceſtis non niſi cum crimen publicatum eſt, obligare. Quodque à Sacerdote occulti facinoris reo indicetur, id non præcepti, ſed Concilij rationē habere, nec ad aliam quàm occultam pœnitentiam peccatorem illum conſtringi, vt nimirum contritus crimen confiteatur occultè, ſeu ſacramentali, & ſecreta confeſſione, & per opera pia ſatisfaciat, nulla excommunicationis, aut illius, quæ in luctuoſa & humillima pœnitentia ſeruabatur, diſciplinæ durioris mentione facta. Eſt & luculentum hoc eiuſdem teſtimonium cap. 160. *de viris ordinatis, quorum occulta peccata ſunt, nec manifeſtè ab aliquo argui poſſunt: ſi ſalubriter compuncti pro peccatis ſuis confeſſionem Epiſcopo, ſiue Presbytero occultè faciunt, bonum mihi videtur, vt ſecundùm id quod decretum ſibi fuerit, ab Epiſcopo, ſiue Presbytero, pœnitentiam agant, non tepidè, nec tardè, ſed feruenter, & ſollicitè: ac ſic ſe veniam peccatorum à Domino percepturos, & gradum ſe retenturos confidant.* Non igitur alia quàm publica peccata olim irregularem peccatorem reddebant, nec ex conſequenti ad pœnitentiam publicam pertinebant. Eodem denique ſpectat quod ſuperiori capite de peccatis diſputans ex S. Auguſtino retuli, ac no-

minatim quod epiſt. 54. ad Macedonium ait:. *Quoſdam quorum crimina manifeſta ſunt, à veſtra ſeueritate liberatos, à ſocietate tamen remouemus altaris, vt pœnitendo placare poſsint, quem peccando contempſerant, ſéque ipſos puniendo.* Quodque in hoc capite ex eius de correp. & gratia libri cap. 16. prolatum eſt.

Sectio Qvarta.

Non pro quibuſlibet etiam publicis, ſed grauioribus duntaxat criminibus publicam pœnitentiam olim imperatam fuiſſe probatur.

XIV. IAm probatum eſt crimen non ſolùm mortale, ſed etiam inter mortalia grauius, quale eſt inceſti, ſi prorſus occultum erat, publicâ pœnitentiâ multatum olim non fuiſſe. Nunc addo non pro quolibet peccato mortali publico imperatam fuiſſe publicam pœnitentiam, ſed tantùm, cùm illud erat grauius, *publicè & pondere graui commiſſum*, vt Hincmarus laudatus loquitur, & ſuo ſcandalo toti Eccleſiæ, aut certè aliis Chriſtianis illius commiſſi non ignaris pernicioſum erat. Hæc mea aſſertio adeò certa eſt, vt primis illis quatuor, aut quinque ſæculis non niſi ob tria, idololatriæ, mæchiæ, & homicidij crimina publica, humillimam illam, & luctuoſam pœnitentiam iniunctam fuiſſe disertè aſſerant Patres ipſi, quos aduerſarij adeò venditant laudántque,

Tertullianus, SS. Cyprianus, Ambroſius, Baſilius, Pacianus, Auguſtinus, Leo, Cæſarius, Eligius, qui etiam tunc temporis hæreſeos, ſchiſmatiſque reos abſque publica pœnitentia cum Eccleſia reconciliatos, eiuſque communioni reſtitutos eſſe clariſſimè teſtantur.

Eorum aliqua omni, vt opinor, exceptione maiora teſtimonia affero. Clariſſimum imprimis eſt Synodi Laodicenæ cap. 7. decretum, vt hæretici *conuerſi abiuratis hæreſibus vncti chriſmate ſine aliqua pœnitentia ſtatim admitterentur ad communionem*. Quod de chriſmate ait, quia ad noſtrã rem non facit, omitto, & tantùm obſeruo eos ad communionem admitti *ſtatim* ſine pœnitentia, publica videlicet, non ſacramentali, in qua non exigebatur illa diuturna à ſacris ſeparatio, cùm per eam *ſtatim* reconciliandi, & ad communionem admittendi eſſent, quæ pauciſſima verba totam de antiqua Eccleſiæ diſciplina in reconciliandis peccatoribus iuniorum iſtorum doctrinam funditùs euertunt. XV.

Præterea qui in antiquis de pœnitentia Patrum ſcriptis penitus peregrini non ſunt, eos qui pœnitentia publica vel ſemel ob crimen multati fuerant, ab ordinibus ſacris repulſos, aut ſi iam illis initiati fuerant, tanquam irregulares, & infames exauthoratos, nec ſi quis in ſimile crimen poſt actam ſemel pœnitentiam relabebatur, niſi fortè rariſſimè ad pœnitentiam illam publicam iterum admiſſum fuiſſe ſciunt. At hæreticos poſt eiuratam hæreſim ad ſacros ordines admiſſos, aut qui iam ordinati erant, in illis permanſiſſe, etiamſi ſæpiùs relapſi fuiſſent, patet ex infami XVI.

hæreſiarcha Ario, qui, vt refert Sozomenus lib. 1. hiſt. cap. 14. à S. Petro Alexandrino eiectus, poſtea venia obtenta ab Achilla, Preſbyter ordinatus eſt, cúmque de eo ſæpiùs in errorem abiuratum relapſo Eccleſiæ reſtituendo ageretur, & Patres grauiſſimè reſiſterent, eum ob pœnitentiam irregularem eſſe nunquam vel leuiſſimè inſinuarunt, quæ ſi ab ijs afferri potuiſſet, eiectionis perpetuę cauſa illis facilis, & in promptu fuiſſet; ſed tantùm teſtati ſunt timere ſe, ne qui hæreſeos venenum in animo occultum haberet, ſi in Eccleſiam admitteretur, vtiam fecerat, alios corrumperet. Marcionem & Valentinum *ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, quâ fratres quoque vitiabant, ſemel & iterum eiectos, ac nouiſſimè in perpetuum diſſidium relegatos*, ac tandem Marcionem *niſi morte præuentus eſſet, pœnitentiam confeſſum pacem recepturum fuiſſe, ſi cæteros quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret*, Tertullianus teſtatur in apologetici cap. 30. quódque ampliùs eſt, inter peccata leuia, & pœnitentiæ illi quam deſcribit minimè ſubdita hæreſim numerat lib. de pudicitia capit. 19. *Cui dubium eſt*, inquit, *hæreticum inſtitutione deceptum, cognito poſtmodum caſu, & pœnitentia expiato, & veniam conſequi, & in Eccleſiam redigi?* Quamobrem Tertullianus ab ijs capitalibus criminibus mæchiæ, homicidij, & idololatriæ hæreſim diſcernit, hancque longè aliâ quàm tria illa pœnitētiâ expiari poſſe fatetur.

XVII. Apud S. Cyprianum epiſtola 46. S. Cornelius Papa monet eundem de ſchiſmaticis, qui licet pleraque peruersè feciſſent, nihilominùs tamen

abſque vlla dilatione, aut pœnitentiæ publicæ rigore, omnium Epiſcoporum qui Romæ aderant, cleri, populíque Romani conſenſu, & gratulatione ad communionem admiſſi ſunt. Quod factum idem S. Cyprianus epiſtola 47. probat, aitque eos *errore depoſito, & ſchiſmatico, imò hæretico furore deſerto vnitatis, ac veritatis domicilium fideli ſanitate reperiſſe.* Quodque ex tractatu de lapſis teſtimonium eiuſdem proferunt aduerſarij ipſos iugulat, ſi quidem increpat eos, qui idololatriæ crimine admiſſo abſque Sacerdotum abſolutione, quam ſacramentalem interpretari commodè poſſumus, ad Euchariſtiam accedere audebant; ac de occultis quorumdam peccatis ſic ait. *Denique quantò & fide maiore, & timore meliore ſunt, qui quamuis nullo ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Quod cùm ait S. Cyprianus à grauioribus illis criminibus, quorum ſemper meminit, cùm de pœnitentia illa publica ſermonem facit, diuerſa facit peccata parua, & modica, non quod ea verè, & de ſe mortalia eſſe neget, ſed quia cum idololatria, & *profanatione ſanctitatis fidei ſub oculis circumſtantis populi* conferebantur, idcirco leuiora meritò exiſtimat, ídque ſignificat, cùm addit. *Hoc tamen eò proficit, vt ſit minor culpa, non vt innocens conſcientia, faciliùs poteſt ad veniam criminis peruenire, non eſt tamen immunis à cri-*

mine. Ita paruum modicúmque vulnus, & ſimul crimen eſſe ait, quodque licet culpa minor ſit, conſcientiam tamen innocentem eſſe non ſinit. Nec leue, vt opinor, argumentum peti poteſt ex eo quod epiſt. 61. idem S. Pater reſpondet Euchratio Epiſcopo interroganti *an excommunicandus eſſet Hiſtrio impurus perdendorum puerorum magiſter*. Cùm an excommunicandus ille ſit quærit Epiſcopus, ſatis ſignificat ſolenne tunc non fuiſſe omnes peccantes mortaliter excommunicatione, eique annexa pœnitentia publica caſtigare Nec enim eum grauiter peccaſſe ignorare potuit Epiſcopus. ſed dubitauit, an aliorum peccatorum more, is ſacramentali pœnitentia purgandus, an verò pœna mæchiæ afficiendus eſſet.

XVIII. Denique noſtram de ſolis illis tribus capitalibus criminibus publicâ pœnitentiâ olim caſtigatis, déque hæreticis abſque ea ad communionem admiſſis doctrinam diſertè docet S. Ioannes Climacus in ſcalæ paradiſi gradu 15. *Fuit*, inquit, *è ſapientibus & eruditis qui mihi hanc ancipitem & ſanè graue ac difficilem quæſtionem poſuit. Quod*, inquit, *genus peccati, excepta cæde*, ſeu homicidio, *& negatione Dei*, ſeu idololatria, *eſt reliquis omnibus grauius? méque eum qui in hæreſim prolapſus eſſet, reſpondente. Quomodo*, inquit, *Eccleſia catholica hæreticos, poſteaquàm hæreſim ſua ipſorum ſincera confeſſione damnarunt, ſtatim ad myſteriorum diuinorum participationem admittit: illum qui ſe fornicatum confitetur*, ἐξομολογούμενον *& à peccato deſiſtit, poſtquàm venia impertiuit,*

ſeu, εἰσδεχομένην ſuſcepit, *ad tempus, & annos,* ἐπὶ χρόνους *tamen ab ſacroſanctis & immaculatis Euchariſtiæ myſterijs, vti Apoſtolorum decreta præſcribunt, arcet? Hic me ad dubitationem hanc hærente & attonito, quæſtio quoque in medio hæſit, nec ſoluta eſt.* Quamobrem licet Climacus hæreſim adulterio grauiorem exiſtimet, hæreticum tamen eâ abiuratâ abſque illo longioris pœnitentiæ ſpatio ad communionem Euchariſtiæ *ſtatim* admiſſum tunc temporis, & ex Patrum, Apoſtolorúmque ipſorum diſciplina, & inſtituto fuiſſe docet. Quæ vna ſententia arguit falſitatis eos, qui olim peccatorem omnem, & cuiuſcumque peccati mortalis ſiue occulti, ſiue publici, eiúſque vel grauioris vel leuioris reum non alia quàm quæ in multum tempus protrahi ſolebat pœnitentia publica purgatum ad Euchariſtiam dignè accedere potuiſſe dicunt; idque ex ipſius Euangelij doctrina, Chriſtíque præcepto ortum ab Apoſtolis traditum, Patrum omnium antiquorum decretis confirmatum, totis octo ſaltem ſæculis in Eccleſia obſeruatum eſſe omninò aſſeuerant.

Sectio Qvinta.

Patres ab aduerſarijs prolati ipſoſmet refellunt, nec pro quolibet peccato mortali publico publicam pœnitentiam impoſitam fuiſſe docent.

XIX. Hvc pertinent ea quæ in cap. 7. de criminibus quibuſdam ac potiſſimùm tribus illis capitalibus idololatriæ, homicidij, & adulterij ex Patribus, ac potiſſimùm ex S. Paciano allata ſunt. Addo aliqua ex iiſdem Tertulliano, Baſilio, eiuſque fratre Gregorio Nyſſeno, Nazianzeno, Ambroſio, Auguſtino, Leone, Cæſario Arelatenſi, Eligio, & Iuone. Ac Tertulliani quidem clariſſimum, pleniſſimúmque teſtimonium eſt, quo in libro de Pudicitia cap. 7 præter illa tria capitalia, fatetur reliqua *alia delitescentia mox in Eccleſia reperta, ibidem ſtatim cum gaudio emendationis tranſigi*, longè aliter quàm mæchiam, *quæ ſimul apparuit, ſtatim homo de Eccleſia pellitur, nec illic manet, nec gaudium confert, repertrici Eccleſiæ, ſed luctum*, id eſt, pœnitentiæ luctuoſæ ſubiicitur; cap. 11. Apoſtolos ſola illa tria crimina *in obſeruatione de lege priſtina excerpſiſſe, ſola neceſſariò abſtinenda præſcripſiſſe.* Noſti quos abſtentos Tertullianus & S. Cyprianus intelligunt. Quod verò de pœnitentia non pro quolibet crimine, ſed tantùm pro grauiore imperata agat in libro de Pœnitentia, nullóque pacto aduerſarijs faueat, conſtat, quia lo-

quia loquitur de ea, quæ exomologeſim publicámque criminis confeſſionem complectebatur, quam tamen aduerſarii nunquam pro peccatis quibuſlibet expiandis imperatam fuiſſe fatentur. Illud autem colligere eſt ex cap. 10. Siquidem ait *peccatores pleroſque opus illud* pœnitentiæ, *vt publicationem ſui ſuffugere, pudoris magis memores, quàm ſalutis, veluti illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt*, quod nemo benè interpretetur niſi de criminum confeſſione publica, non in genere tantùm, ſed etiam in particulari facta, idq; confirmat illa eiuſdem ironica ſententia *grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur.* Quare eo loco Tertullianus non fauet aduerſariis, qui pro occultis pœnitentiam cum ſecreta tantùm confeſſione publicam olim factam dicunt, cùm in ea quam ipſe proponit pœnitentia publicam criminum confeſſionem factam fuiſſe dicat.

S. Baſilius in epiſt. Canon. ad Amphiloch. can. 14. eum qui vſuras accepit, ſi lucrum iniuſtùm in pauperes conſumere, & ab auaritiæ morbo deinceps liberari voluerit, ad Sacerdotium admitti poſſe vult, quod non ſineret, ſi ille vſurarius ob pœnitentiam publicam irregularis factus fuiſſet. Et in reg. breuior. interrogatio. 243. ſic habet. *Quomodo agi par eſt cum iis, qui cùm maiora peccata declinent, minora perinde, ac ſi nihil eſſent, committunt.* Quod autem peccata de ſe mortalia intelligantur, patet ex eo quod de illis reſpondet S. Baſilius, peccatores XX.

non viſuros vitam æternam, ſed iram Dei manere ſuper illos, vt pote qui Dei præcepta violant. Vbi autem de illis peccatoribus corrigendis agitur, quod interrogatio quærit, S. Baſilius non peccata alia maiora eſſe, alia minora, ſed hanc differentiam in nouo Teſtamẽto reperiri negat: quaſi dicat ex iure Eccleſiaſtico eſſe diuerſitatem pœnarum, cùm eadem ſacramentali pœnitentia omnes peccatores corrigi Chriſtus iuſſerit. Additque S. Baſilius aduersùs quemcumque, qui cuiuſcumque generis peccatum admittat, ſeruandum eſſe præceptum Domini, qui dixit: ſi peccauerit in te frater tuus &c. quod ſignificat peccatores priuatim corripiendos, nec excommunicandos eſſe, ſeu vt Ethnicos, & Publicanos habendos niſi cùm Eccleſiam non audierint. Addit & in illis ſeruandum quod dictum eſt ab Apoſtolo prioris ad Corinth. cap. 5 *Quare non potiùs luctum habuiſtis, vt tolleretur de medio veſtrum qui hoc opus fecerat*; e quo vtroque præcepto colligitur de ſacramentali pœnitentia ſermonem ibi non eſſe. In neutro enim aut Chriſti, aut Pauli dicto ea intelligi poteſt, ſed de canonica, & iure Eccleſiaſtico inſtituta pro peccatis publicis, quæque Eccleſiæ ſcandalo ſunt.

XXI Quæ autem tunc temporis in Oriente erga peccatores pœnitentiæ diſciplina ſeruaretur, longè adhuc clariùs docet S. Gregorius Nyſſenus S. Baſilij frater. In epiſtola enim canonica ad Letoium Canone ſexto idipſum de vſurariis quod S. Baſilius dicit, additque, quia auaritiæ peccatis nulla à Patribus pœnæ medela præſcri-

pta erat, eam ob cauſam illa tunc inter Chriſtianos frequentiſſima fuiſſe. Et can. 5. de peccatis partus iraſcentis differens, variáſque à Patribus pœnitentias illis inflictas enarrans, illa quidem peccata multiplicia eſſe, vt conuitia, maledicta, aliáque ſimilia, ſed ſoli cædi pœnas per Canones decretas eſſe docet. Quem locum Balſamon explanans, monet ſolum homicidij facinus Patres pœnis afficiendum cenſuiſſe, vt earum formidine à cædibus perpetrandis homines cauerent. Ita S. Gregorius Nyſſenus dum de Pœnitentia publica, eiuſque Canonibus, & Patrum decretis ex inſtituto diſputat.

Idipſum de auaritia & vſuris intelligitur ex S. Auguſtini epiſt. 48. ad Vincentium, ibi enim habetur S. Cyprianum tolerasse cognitam auaritiam collegarum, *qui fundos inſidioſis fraudibus rapiebant, & vſuris multiplicibus fœnus augebant*. Taceo quod cùm ſæpiùs ibidem contra Donatiſtas diſputans in eadem Eccleſiæ area grana paleáſque tunc fuiſſe ait, haud dubiè docet non omnes Chriſtianos peccatorum mortalium reos quantumuis cognitos ab Eccleſiæ & Euchariſtiæ communione pulſos fuiſſe. Huc facit quod S. Gregorius Nazianzenus orat. 39. quæ eſt in ſancta lumina, reprehendit Nouatianos, qui cùm auaros non repellerent à communione ſua, idololatras, homicidas, & mæchos ſeueriſſimo illo ſupplicio afficiebant. Vt enim id facerent cauſa erat diſciplina Eccleſiæ, quæ tunc temporis non alia, quàm illa tria crimina excommunicationis pœna caſtigabat. XXII.

S. verò Ambroſius libro primo de Pœniten- XXIII.

tia cap. 14. quia pœnitentiam Corinthij à S. Paulo excommunicati, publicam, ſeu eiuſdem cum publica illa rationis eſſe ait, neceſſe eſt vt hanc à ſacramentali diuerſam faciat. Nec enim S. Paulus abſens peccatorem illum ſacramentaliter ligare, aut abſoluere potuit. Deinde illum quia *conuictus erat* à communione ſacra remotum ait, atque ita ſignificat niſi crimen publicum fuiſſet, ea pœna multandum non fuiſſe. *Veniſſe*, ait, *Paulum in virga, quia illum à communione ſacra conuictum remouit. Et benè dicitur tradi ſatanæ, qui ſeparatur à Chriſti corpore; veniſſe etiam in charitate ſpiritúque manſuetudinis; vel quia ſic tradidit, vt ſpiritum eius ſaluum faceret, vel quia eum quem antea ſequeſtrauerat poſtea Sacramentis reddidit. Nam ſequeſtrari oportet grauiter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. Expurgandum eſt vetus fermentum, vel in ſingulis vetus homo, hoc eſt, homo exterior cum actibus ſuis, vel in populo inueteratus peccatis, vitiiſque concretus.* Sequeſtrari igitur, & pœnitentiæ publicæ, cuius præcipua pars etiam fatentibus aduerſariis excommunicatio illa, & ſequeſtratio erat, ſubdi peccatorem non oportuit, niſi grauiter lapſum, quique malo ſuo exemplo Chriſtianos alios corrumpit, cuiuſmodi eſt in populo inueteratus peccatis, vitiiſque concretus.

SECTIO SEXTA.

Sancti Auguſtini mens, & doctrina exponitur.

VEnio ad S. Auguſtinum, quem pro contro- XXIV.
uerſia dirimenda arbitrum, aut etiam iudicem aduerſarij proferunt. At niſi contra eos clariſſimè pronuntiet, & ſola grauiora crimina pœnitentiæ luctuoſæ illius, grauioris, & humillimæ acriori medicamento tunc ſanata; alia verò quantumuis grauia, & à quotidianis iuſtorum peccatis, ſeu venialibus diuerſa, benigniore alio remedio curata eſſe dicat, cauſa me cadere ingenuè profiteor. Is igitur inprimis epiſtola 50. ante finem planiſſimè fatetur, tunc hæreticos, & ſchiſmaticos abſque pœnitentia illa, & quæ ex ea ſequebatur irregularitate non ſolùm communioni, ſed etiam ſacrorum Ordinum gradibus muniiſue reſtitutos eſſe. Donatiſtæ enim ſe ita interroganti, *Quare apud te vel pœnitentiam non ago?* S. Auguſtinus niſi pœnitentiam aliquam ſcilicet ſacramentalem agat, ſaluum eum eſſe non poſſe, ſed ob bonum pacis, ab Eccleſia eum non obligari ad aliam pœnitentiam ſic reſpondet. *Imò niſi egeris, ſaluus eſſe non poteris. Quomodò enim gaudebis te eſſe correctum, niſi doleas te fuiſſe peruerſum?* At inſtat Donatiſta. *Si ergo oportet, vt nos extra Eccleſiam, & aduerſus Eccleſiam fuiſſe pœniteat, vt ſalui eſſe poſſimus, quomodo poſt iſtam pœnitentiam apud vos*

Clerici, vel etiam Epiſcopi permaneamus? Auguſtinus reſpondet, id ob pacis bonum fieri *contra integritatem ſeueritatis. Vt enim conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ: alioqui contra claues datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt; quæ ſolueris in terra, ſoluta erunt & in cœlo. Sed ne forſitan etiam de cæteris criminibus, ſpe honoris Eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbè ageret pœnitentiam, ſeueriſſimè placuit, vt poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo ſit Clericus, vt deſperatione temporalis altitudinis medicina maior & verior eſſet humilitatis.* Subdit Petrum licet Dominum negaſſe pœnituerit, Apoſtolum tamen manſiſſe. *Sed non ideò ſuperuacua putanda eſt poſteriorum diligentia, qui vbi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quò ſalus tutiùs muniretur, experti, credo, antiquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inuenire medicinas, multorum experimenta morborum*; & poſtea in vniuerſum docet ſine pœnitentia publica hæreticos, & ſchiſmaticos Eccleſiæ reconciliatos tunc fuiſſe. *Sic*, inquit, *multitudinibus per ſchiſmata, & hæreſes pereuntibus ſubuenire conſueuit. Hoc diſplicuit Lucifero, quia factũ eſt in eis ſuſcipiẽdis, atque ſanandis qui veneno perierant Ariano, & cui diſplicuit in tenebras cecidit ſchiſmatis, amiſſo lumine charitatis. Hoc erga iſtos ab initio ſer-*

nauit Africa catholica ex Epiſcoporum ſententia, qui in Eccleſia Romana inter Cæcilianum, & partem Donati iudicauerunt Ex his porrò intelligitur olim hæreticos, & ſchiſmaticos, ac proinde aliquos peccatores publicos pœnitentiam quidem peccati egiſſe, non tamen publicam illam, quam qui agebant in Eccleſia pœnitentes dicebantur, de qua vna noſtra diſputatio inſtituta eſt.

Nec dicas eos quidem pœnitentiam publicam egiſſe, ſed cum illis tunc diſpenſatum, vt ea non obſtante irregulares non fierent. Nam in primis nuſquam reperies pœnitentes illos irregulares, ſeu à ſacris Ordinibus prohibitos non fuiſſe. Deinde S. Auguſtinus loquitur de pœnitentia quam egerunt Epiſcopi Donatiſtæ. Eam autem publicam illam non fuiſſe docent Canones innumeri, ac inter cæteros Patres S. Leo Epiſt. 13. cap. 2. *Alienum*, inquit, *eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, ij pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit.* Quod conſuetudine Eccleſiaſtica ſeruatum ex Apoſtolica traditione deſcenderat, non potuit tempore Auguſtini, & anterioribus non obſeruari. Igitur non tantùm Donatiſtæ illi non fuerunt irregulares, ſed etiam pœnitentiam publicam non egerunt. Præterea S Auguſtinus fatetur hîc Petrum negationis ſuæ pœnitentiam egiſſe, at alibi negat hanc fuiſſe eam, quam agebant illi pœnitentes. Item pœnitentia quæ irregularem pœnitentem facie- XXV.

bat in Eccleſia *conſtituta eſt rigore diſciplinæ*, diuerſa ab ea in qua *per claues indulgentia* peccatorum concedebatur, & ſeueriſſimè placuit Eccleſiæ, vt illa pœnitētia ageretur *de crimine damnabili*, quod S. Auguſtinus non addidiſſet, ſi pro quolibet crimine peccatóque mortali olim agenda fuiſſet ex Chriſti inſtitutione, Apoſtolorum traditione inuariata, & conſtantiſſima Eccleſiæ conſuetudine, vt aduerſarij aſſeuerant. At non ita Auguſtinus, qui eam diſciplinam pœnitentiæ tribuit *poſteriorum diligentiæ* ob compertas nonnullorum fictas pœnitentias, & quia *multas* nouáſq; *inuenire medicinas, cogunt multorum noua experimenta morborum*, quod adeò verum eſt, vt cùm olim ſine publica pœnitentia, ſeu ſatisfactione, hæretici, & ſchiſmatici reconciliarentur, vix modò erga alios quàm illos hæc ſeuerior Eccleſiæ diſciplina ſeruetur.

XXVI. In libro de Fide & Operibus, idem S. Pater cap. 26. tres peccatorum claſſes & totidem pœnitentias poſt Baptiſmum agēdas commemorat. In prima ponit ea quæ ita *grauia ſunt, vt etiam excommunicatione plectenda ſint*, hæc eſt illa pœnitentia publica, quam Corinthij illius fuiſſe ait. In ſecunda claſſe ponit *quædam non ea humilitate pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis*: déque iſtis & eorum pœnitentia intelligit illud Math. 18. *corripe eum inter te & illum ſolum*. Tertia demùm in claſſe collocat ea, *ſine quibus hæc vita non agitur, quibus curandis quotidianam medicinam Dominus in oratione dominica adhibuit*,

Hæc poſtrema cùm venialia ſint, reliqua & primi, & ſecundi generis non venialia, ſed mortalia eſſe oportet; at inter ea pro remedio pœnitentiæ S. Auguſtinus diſcrimen ponit, & disertè docet nonnulla eſſe non ita grauia, vt humillima pœnitentia, & excommunicatione curentur. Igitur ſola grauiora huius pœnitentiæ materiam facit, & illam pro mortalibus neceſſariam pœnitentiam agnoſcit, falſumque manifeſtè eſt, quod adeò aſſeuerantet dicunt aduerſarij, apud antiquos nullam niſi duplicis pœnitentiæ poſt Baptiſmum fieri mentionem, prioris pro quotidianis, & venialibus, & poſterioris, huiuſque publicæ pro criminibus, ſeu peccatis omnibus mortalibus expiandis. Eodem in libro cap. 19. ex eo quod illi contra quos ibidem diſputat *tria mortifera eſſe excommunicatione punienda, donec humiliore pœnitentia ſanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium*, tanquam tunc certum ſupponunt, nec S. Auguſtinus refellit, haud dubiè intelligitur quod de tribus illis ſolis criminibus tunc pœnitentia publica emendatis ſuperiùs dictum eſt.

In homilia 27. cap. 3. de grauiore & luctuoſiore iſta pœnitentia differens, ſatis clarè ſignificat eam non pro quolibet, ſed grauiore tantùm crimine eóque vel idololatriæ, ſeu ſacrilegij, vel homicidij, vel adulterii nec ſola cogitatione admiſſo, ſed etiam opere perpetrato tunc actam fuiſſe. *Illa*, inquit, *luctuoſa pœnitentia eſt, graue vulnus eſt: adulterium fortè commiſſum eſt, fortè homicidium, fortè aliquod ſacrilegium. Grauis res, graue vulnus, lethale, mortiferum,* XXVII.

ſed omnipotens medicus, iam poſt ſuggeſtionem facti, & delectationem, & conſenſionem, perpetrationem quaſi quatriduanus mortuus putet. Nec minùs clarum eſt quod ex eiuſdem homilia 50. ſuperiùs attuli. Ibi enim peccator adit Eccleſiæ Antiſtites, vt per clauium opem abſoluatur, ſeipſum communione indignum iudicat, antequam ſciat, an expediat Eccleſiæ vtilitati, vel in notitia multorum, vel etiam totius plebis pœnitentiam agat, non tam ad recipiendam ſalutem, quàm ad aliorum exemplum, quod locum non habet, niſi quando peccatum non ſolùm in graui peccantis malo eſt, ſed etiam in ſcandalo aliorum, vt ibidem diligentiùs obſeruaui.

XXVIII. Huc quoque facit quod de criminum diuerſitate diſputans ex eodem qq. 83. quæſt. 26. retuli. poſtquàm enim peccata alia infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ eſſe dixit, duo priora venialia eſſe ait, his autem malitiæ *certam pœnam deberi hîc & in futuro ſæculo*, id eſt canonicam; nec enim certa alia intelligi poteſt, concluditque his *benè tractatis probabiliter iudicari poſſe, qui non ſint cogendi ad pœnitentiam luctuoſam & lamentabilem, quamuis peccata fateantur.* Quod enim nulla ignorantiæ, aut fragilitatis peccata reum æternæ damnationis peccatorem, aut indignum participatione Euchariſtiæ reddant, aut contra decalogi præcepta ſint, quæ ſunt peccati de ſe mortali, vt id appellamus, notæ apud S. Auguſtinum, nec ipſe, nec vllus Catholicus exiſtimare poteſt, vt alibi oſtendi. Præterea clarum eſt, & pro noſtra do-

ctrina confirmanda certiſſimum argumentum, quod idem S. Auguſtinus in epiſt. 48. ebrioſos etiam baptizantes atque ita ſacris Ordinibus initiatos, in cõmunione Eccleſiæ atq; adeò in muneribus ſacris toleratos fuiſſe ait, ac ne quis venia dignos, aut minus reos eiuſmodi fuiſſe exiſtimes, ebrietatem illam commemorat, quam S. Paulus recenſet inter opera carnis, qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quæ apud S. illum Patrem peccati mortalis genuina nota eſt, quod denique peccatum & mortale & publicum intelligat, notum eſt ex his eiuſdem verbis. *Meliùs hoc vitium commemoro, quod nec occultare poſſunt, in quibus regnat, & quam multi vbique ſint, quis vel cæcus ignorat? Et tamen inter opera carnis quæ qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, etiam hoc ponit Apoſtolus, vbi etiam hæreſes enumerat.* Quàm autem inter ipſos clericos Afros frequens eſſet illud ebrietatis peccatum, Vincẽtium è rigidioribus Donatiſtis Rogatiſtam alloquutus his verbis ſignificat. *Inſpice diligentiùs ipſos paucos veſtros, vtrum nullus illic baptizet ebrioſus. Tam enim latè vaſtat hæc peſtilentia animas, & tanta libertate dominatur, vt multùm mirer, ſi non etiam veſtrum gregiculum penetrauit.* De ebrioſis non excommunicatis cum mæchis lege eiuſdem epiſtolam 64. ad Aurelium Epiſc cum quo agit de cohibẽda ebrietate non tantùm flagitioſa, ſed etiam ſacrilega, vt pote quæ in locis ſanctis & martyrum ſolennibus committebatur. Denique quod non omnes de grauioribus peccatis conuicti à communione Euchariſtiæ tunc temporis pellerentur, nec

pœnitentia illa publica eſſet vnica peccatorum omnium mortalium publicorum medicina Eccleſiaſtica, idem S. Auguſtinus in epiſtola 54 ita planè & diſertè docet, vt nullus tergiuerſandi, aut cauillandi locus aduerſarijs eſſe poſſit, ita vt vehementer mirãdum videatur quomodo qui eam epiſtolam pro ea quæ in mortis diſcrimine abſque diuturniore pœnitentia prçuia accipitur abſolutione improbanda retulerunt, iſtud aut non legerint, aut non intellexeriut. De ijs qui aliena rapuerant, ita loquitur. *Nolentes reddere quos nouimus & maleàbſtuliſſe, & vnde reddant habere, arguimus, increpamus & deteſtamur, quoſdam clàm, quoſdam palàm, ſicut diuerſitas perſonarum diuerſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad maiorem inſaniam concitari. Aliquando etiam ſi res magis curanda non impedit, ſancti altaris communione priuamus.*

Sectio Septima.

Sanctus Leo Magnus de eadem re laudatur.

XXIX. Dubium non eſt quin poſterioribus ſæculis plura peccata & crimina pœnitentiæ publicæ ſubiecta fuerint, per Antiſtites Eccleſiæ, tantùm abeſt, vt ab Auguſtini tempore diſciplina pœnitentiæ laxior fuerit, & benignior. Nam ex Conciliorum canonibus conſtat longè plura quàm tria illa ſacrilegij, ſeu idololatriæ, adulte-

rij, & homicidij, ſeu vt loquitur Nyſſenus cædis perpetratæ poſtea ſatisfactione publica, & pœnitentia emendata fuiſſe, vt de vſurariis nominatim canones paſſim obuii occurrunt, & in quinto in quo S. Auguſtinus vixit, medio ſæculo S. Leo de vſurarijs Clericis epiſtola 1. cap. 3. ſic habet. *Quod vindicare acriùs in eos, qui fuerint confutati, decernimus; vt omnis peccandi opportunitas adimatur.* Quaſi dicat ſe decernere grauiorem in eos confutatos, ſeu publicè notos, pœnam, quàm antea fuiſſet inflicta, his enim nullam ſuo tempore pœnitentiam canonicam impoſitam fuiſſe Nyſſenus antea prolatus docet. At nihilominùs nunquam eò rigor Eccleſiæ, & ſeueritas progreſſa eſt, vt quoſlibet peccatores, ſed tantùm pernicioſiores, quique Eccleſiæ ſcandalo erant, pœnâ illa multarit.

Teſtis eſt inprimis S. ipſe Leo epiſt. 89. cap. 6. vbi ſic loquitur. *Nulli Chriſtianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus vltionem inuitus & dolens quodammodò debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim pro commiſſis & leuibus verbis quoſdam à gratia communionis excluſos, & animam, pro qua Chriſti ſanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſæui ſupplicij ſauciatam, & inermem quodammodò, exutámque omni munimine, diabolicis incurſibus, vt facilè caperetur obiectam. Certè ſi quando cauſa talis emerſerit, vt pro commiſſi criminis qualitate aliquem faciat iuſtè communione priuari. &c.*

Sanctum hunc Pontificem aduerſarij meritò XXXI.

vt Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindicem egregium laudant, & eius patrocinium magnoperè ambiunt. At quàm ab eius doctrina, & inſtituto alieni ſint, velim ipſi attentiùs conſiderent. Fatentur excommunicationem ſeu à communione Euchariſtiæ, atque adeò ſacrorum aliorum ſeparationem cum pœnitentia publica ſemper coniunctam fuiſſe. Quod eis concedo, dummodò pœnitentia illa non ſpontanea, nec petita nullo crimine declarato, ſed pœnitenti ab Antiſtitibus imperata fuerit. Quamobrem quos Antiſtes iuſtè ac legitimè excommunicare non potuit, nec eos ad publicam pœnitentiam agendam cogere, vtque eam publicè agerent, à ſacris arcere debuit. Enimuerò *nulli Chriſtianorum facilè communio* deneganda fuit, quia non niſi *in magni reatus* vltionem pœna illa inferenda eſt, nec tantùm quod crimen admiſſum ſit, ſed eius *qualitas* eſt attendenda, iam quæro ex aduerſarijs, an ſi pro quolibet peccato mortali, abſque vllo prorſus diſcrimine tunc pœnitentia publica, & communionis priuatio indicebatur, S. Leo potuerit prudenter dicere, nullum Chriſtianum facilè excommunicandum? Nonne quotidiana, & frequentiſſima fuiſſet illa correptio, cùm ex eodem S. Pontifice tunc inter Chriſtianos peccata nonnulla mortalia frequẽtiſſima fuiſſe conſtet. Quomodo non niſi in *magni reatus* vltionẽm excommunicari quemquam oportuit, ſi cuiuſlibet reatus pœna ordinaria fuit? Nonne cùm ait, *ſi quando talis cauſa emerſerit*, ſignificat rariùs id, & non quotidiè, nec creberrimè contingere? Adde quod priuationem communionis *ſæuum ſupplicium*

appellat, cuius irrogatione anima pœnitentis *ſauciatur*, & *inermis*, Sacramentorumque ſacrificij, & orationum munimine exuta obiicitur diabolicis incurſibus, vt facilè capiatur. Quod cum de priuatione communionis, qua pœnitens ille plectebatur, dicat, quis noſtrûm facilè credat, hoc remedii auſterioris genus, quodque retuli cauterium non quibuſlibet, ſed grauioribus vulneribus adhibetur, tam frequens & in Eccleſia vſitatum, quàm pœnitentiæ Sacramentum pro quolibet mortali peccato curando neceſſarium fuiſſe? Qui de hac communionis priuatione ita ſentiebat S. Leo, putas, piis & ſalutis ſuæ ſtudioſiſſimis Chriſtianis author eſſe poterat, vt toto vitæ tempore ad extremum vſque mortis periculum à communione ſeparati, in alicuius peccati mortalis, quod aliquando commiſiſſent, indictam pœnitentiam illam publicam agerent, ſéque tunc fortunatos crederent, vt iſti doctores noui ſuadere videntur? Viderint, & ipſi obiter, an non idem S. Pontifex exiſtimauerit Chriſti ſanguinem pro qualibet hominis Chriſtiani anima effuſum fuiſſe, & non ſolùm pro prædeſtinatis, vt iuniores iſti murmurant, & ex nonnullis S. Auguſtini dictis perperàm intellectis colligunt. Sed hoc obiter perſtrictum modò ſit.

Redeo ad noſtrum de pœnitentia publica ſermonem, atque iterùm profero S. Leonem, qui epiſtola 12. ad Ruſticum quoſdam peccati mortalis reos à pœnitentia publica tunc liberos fuiſſe docet, cum in capitulo 17. huic Ruſtici interrogationi *de his qui conuiuio gentilium, & eſcis immolatitijs vſi ſunt*, ita reſpondet, *qui con-* XXXIII.

uiuio ſolo gentilium & eſcis immolatitiis vſi ſunt, poſſunt iejuniis & manus impoſitione purgari; vt deinceps ab idolothytis abſtinentes, Sacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem aut Idola adorauere, aut homicidijs, vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti. Niſi S. Leo conuiuio & eſcis illis vſos mortaliter peccaſſe crederet, ante communionem Euchariſtiæ non iuberet eos ieiunijs, & manus impoſitione purgari: At eoſdem eximit à pœnitẽtia publica, ad quam obligat idololatras, homicidas, & mæchos, ſeu trium illorum capitalium criminum reos. S. igitur Pontifex non quoſlibet peccatores ad eam pœnitentiam conſtrictos eſſe vult, & aliam quàm publicam, quæque poſt pœnitentiam illam luctuoſam fiebat, manuum impoſitionem videlicet ſacramentalem agnoſcit, quæ omnia è diametro cum aduerſariorum placitis pugnant.

XXXIV. Nec verò prætereundum eſt peccata illa, quæ ieiuniis, & priuata manus impoſitione purgari poterant, publica fuiſſe, & aliquid ſacrilegii habuiſſe, nec proinde quodlibet ſacrilegium, aut idololatriæ affine crimen, ſed tantùm quod eo in genere grauius erat, illo pœnitentiæ publicæ remedio expiandum fuiſſe, quod & ſuperiùs ex Tertulliano annotatum eſt. Denique hanc veteris Eccleſiæ diſciplinam fuiſſe, nec nouum ſe ius ſtatuere, ſed antiquum exponere idem S Leo initio eiuſdem epiſtolæ ſic teſtatur. *Sicut quædam ſunt quæ nulla poſſunt ratione conuelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro*

aut pro neceſſitudine rerum oporteat temperari: illa ſemper conditione ſeruata, vt in his quæ vel dubia fuerint, vel obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorũ Patrum inueniatur aduerſum. Quod autem S. Leo de non facilè excõmunicando quoquam præcipit idipſum quoque S. Alcimus Auitus præclarè docet epiſt. 61. *Illud*, inquit, *quaſi amor tuus ſuggerere ac monere præſumo propter leues, & non ad Deum, ſed ſæculum pertinentes, ne Laïci quidem non dicam Clerici ſancta communione priuentur, quia neſcit cuius dignitatis ſit communio, qui non eam omni animoſitate ſepoſitâ, & cum magno dolore ſuſpendit, & cum maxima feſtinatione reſtituit.*

SECTIO OCTAVA.

Sanctus Cæſarius Arelatenſis adducitur.

AD S. Leonem adiungo S. Cæſarium Arelatenſem ætate penè ſupparem, qui homilia 1. *leuia delicta priuata compunctione terenda eſſe, facinora verò capitalia expiari penitus communi, mediocri & ſecreta ſatisfactione non poſſe* aſſerit, *quia graues cauſæ grauiores, & acriores, & publicas curas requirunt, vt qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat.* Quibus ex poſtremis verbis haud dubiè conſtat, niſi facinora illa publica, & cum Eccleſiæ ſcandalo fuerint, XXXV.

ea publicam pœnitentiam non requirere. Quæ autem leuia delicta quæque capitalia facinora intelligat, ibidem ſatis clarè docet, cùm inter leuia recenſet *verborum, & cogitationum maculas, ſi*, inquit, *homo vel in ſermone, vel in aliqua reprehenſibili voluntate, ſi oculo peccauerit, aut corde*. Ad quod ſi addideris quæ ex eodem de lenioribus, & quotidianis delictis ſuperiùs retuli, clariſſimum fiet, eum non quælibet peccata mortalia, ſed tantùm nonnulla grauiora pœnitentiæ illius diſciplina emendanda cenſuiſſe.

XXXVI. Nec aduerſariis fauet, quod homilia octaua capitalia crimina à minutis diſcernens hæc ſola venialia, illa verò mortalia eſſe ait. Vt enim taceam inter capitalia à Cæſario non cenſeri *iracundiam niſi longo tempore teneatur, nec ebrietatem niſi aſsiduam*. Vnum tantùm moneo, eum pro quouis crimine expiando requirere, *vt qui aliqua de illis in ſe dominari cognouerit, dignè, ſi habuerit ſpàtium longo tempore pœnitendi, largas eleemoſynas eroget, & à peccatis ipſis abſtineat*, quod nemo Catholicus negare poteſt. Quomodo enim ebrioſus, detractor, & peccato alicui mortali obnoxius, ſeu *ei dominanti ſeruiens* ab eo abſtineat niſi per longam pœnitentiam, & bonorum operum ſtudium ab ea ſeruitute ſe liberum faciat, aut niſi pœnitentiam agere proponat, ſerium & verum emendationis propoſitum habeat, inferni pœnas euadere poſſe cenſendus eſt. Enimverò eademne eſt pœnitentia publica, quæ longi temporis, ſeu diuturna? nonne qui ſecretò agit pœnitentiam, eam dignè, & longo tempore agere poteſt? Vbi verò in tota

illa homilia legunt aduerſarii pro quolibet peccato capitali publicam pœnitẽtiam agendam eſſe, nec niſi poſt eam multo tempore peractam peccatorem ad Euchariſtiam accedere poſſe? lego eos qui capitalia crimina commiſerunt *longo tempore* agere *debere pœnitentiam fructuoſam*, lego *pœnitentiæ lamentum & medicamentum*; at totum iſtud ſecretum eſſe poteſt, & pro integritate Sacramenti pœnitentiæ, *magnos fletus, & labores diuina id exigente iuſtitia* Tridentinum ſeſſ. 14. capit. 11. poſtulat.

Non diffiteor Cæſarium ſubiungere *pro capitalibus criminibus non ſufficere* opera, quibus peccata quotidiana redimuntur, *ſed addendas eſſe lachrymas, & rugitus, & gemitus, continuata, & longo tempore protracta ieiunia, largiores eleemoſynas, etiam pluſquàm nos valere poſſumus erogandas, vltrò nos ipſos à communione Eccleſiæ remouentes, in luctu, & triſtitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes; quia iuſtum eſt, vt qui cum multorum deſtructione ſe perdidit, cum multorum ædificatione ſe redimat*. Sed poſtrema hæc verba planum efficiunt. ſi quis abſque *multorum perditione ſe perdidit*, ſeu ſine ſcandalo aliorum peccauit, eum ad agendam pœnitentiam publicam, quę aliis ædificationi ſit, nõ obligari. Quare nonniſi de publicis criminibus ſcandaloſiſque S. Cęſarius hanc vltimam partem intelligit, aut potiùs diuerſa pœnitentiæ remedia generáq; affert, quæ pro criminibus expiandis vtilia eſſe, & ſponte aſſumi poſſunt. Nam quod de publica pœnitentia non imperata, ſed ſpontanea, ſeu volunta- XXXVII.

ria loquatur; ſatis intelligitur ex eo quòd ait, *vltrò vos ipſos à communione Eccleſiæ remouentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes.* Quid enim aliud ſignificat illa particula, *vltrò, & etiam*, niſi quia conſilium eſt non præceptum? Atque ita quem Cæſarium aduerſarii pro ſe fruſtrà iactitant, eodem ipſo illos ni fallor clariſſimè reuincimus.

Sectio Nona.

Sanctus Eligius Nouiomenſis noſter eſt.

XXXVIII Siquidem in homilia 8. triplicem pro peccatis Chriſtianorum, ſeu quæ poſt Baptiſmũ commiſſa fuerint, remittendis pœnitentiam refert. Præter eam enim quæ pro minutis peccatis, & quibus iuſti obnoxii ſunt, quotidiana vſurpatur, cuiúſque in ſecunda parte homiliæ meminit, & præter publicam, ſeu eorum qui in Eccleſia pœnitentes dicuntur, *quos*, in tertia parte inquit, *mater Eccleſia quaſi non ſuos recognoſcens ob fœditatem ſcelerum dudum à ſe remittit, nec admittit* niſi in ſiniſtra Templi parte poſitos tanquam hædos portantes cilicia è pilis hædorum, atque caprarum; in prima homiliæ parte ad pœnitentiam ab illa vtraque diuerſam hortatur alios ab illis peccatores, qui peccato ſanctitatem perdiderunt, ſeu mortaliter peccarunt. Eos verò ſic alloquitur, ac nominatim Sacerdotes Parochiis Præfectos. *Si quemlibet veſtrũm remordet alicuius perpetrati facinoris* conſcientia, *qua fron-*

te poteſt redarguere quemlibet in ſimile crimen prolapſum? & poſtea ad iniurias condonandas eiuſmodi peccatores ſic adhortatur. *Itaque qui per odium, & iracundiam radicem in ſe charitatis extinxerit, nihil in eo vnde ad vitam æternam perueniat remanebit.* Vnde conficio S. Eligium peccantes mortaliter diſtinguere ab illis, qui ob *fœditatem ſcelerum ſuorum* ab Eccleſia repelluntur, & ſubduntur pœnitentiæ publicæ, nec iſtam ob quælibet peccata, ſed tantùm ob ſcelera fœdiora tunc iniunctam fuiſſe. Idquo ipſi adeò perpetuum & ſolenne eſt, vt magnoperè mirer quomodò aduerſarii in eo ſua de pœnitentia publica pro omnibus peccatis tunc ſeruata, de abſolutione & communione poſt longum temporis ſpatium, & diuturnã ſatisfactionem dilatã dogmata penitùs profligata non animaduerterint, quodque vix ſine ſtomacho dicere queo, eius authoritate freti omnes alios communis doctrinæ, & diſciplinæ defenſores quaſi proſtratos contumelioſè proterant.

Homilia 11. peccatores ad confeſſionem peccatorum hortatur; *confeſſio enim pœnitentiam monſtrat, pœnitentia ſatisfactionem oſtentat, ſatisfactio veniam ſibi pietate diuina conciliat, nec enim poterit indulgentia tribui, niſi ira Dei poſſit confeſſione placari.* Quibus verbis haud dubiè de peccati mortalis remiſſione per Sacramentum quod ex confeſſione, pœnitentia interna, ſeu contritione, & ſatisfactione conſtat obtinenda loquitur, deinde alios ab illis diuerſos peccatores publicéq; pœnitentes ſic alloquitur. *Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo* XXXIX.

transfertur, quos ſub pænitudinis habitu conſtitutos facie ſqualida, & crine demiſſo peccamina veſtra planxiſſe & vitia carnis in vobis mortificaſſe, quantùm homini videre poſſibile eſt, conſideramus. Et homilia 13: publicè pœnitentibus admonitis, *vt grauia facinora quæ fallente diabolo commiſerant, cum gemitu, & ſuſpirijs quandiu viuerēt, lugerent*; ad peccatores alios de pœnitentia non publica, ſed eiuſdem rationis cum ea quæ modò in vſu eſt, agenda orationem hanc in die Cœnę conuertit. *Vos etiam fratres poſt exhortationem, quam habuimus ad pœnitentes mecum admoneo, vt vnuſquiſque noſtrûm recurrat ad conſcientiæ ſuæ ſecreta, interroget ſemetipſum, qualiter per totum annum (maximè his ſacris diebus) conuerſatus eſt, & ſi inuenerit in corde ſuo ſpinas & tribulos delictorum, ſtudeat auxiliante Deo, quātociùs euellere, & euellendo eradicare, hiſque eradicatis fodiat vomere ſalutari, ac ſtercora, id eſt, bona opera immittat, vt poſſit facere fructum: etſi hodie pariter confeſſus fuerit, vt valeat dignus intereſſe ſolemnitati præſentis diei, quæ, quia in ea Dominus cum Apoſtolis ſuis cœnauit, cœna vocatur. Videat ſummoperè, vt Sacramenta corporis, & ſanguinis Domini dignè recipere queat, quatenùs potiùs ſalutem quàm damnationem acquirat.* His ſubiungit. *Non ergo abhorreamus pœnitentes iſtos propter magnitudinē ſcelerum ſuorum, quia fieri poteſt, quod multi ſint inter vos qui peiora commiſerint.* Audis pœnitentes publicos non niſi ob *grauiora facinora*, ſeu *propter magnitudinem ſcelerum ſuorum* ad eum gradum de-

truſos eſſe; audis fieri poſſe, vt alii *qui peiora commiſerint*, quia Eccleſiæ noti non ſunt, nec de illis conuicti, ab ea agenda liberi ſint: Audis præter illos pœnitentes eſſe alios in Eccleſia peccatores, qui conſcientiam ſpinis & tribulis obſitam habeant, quos euellere, & eradicare eos oporteat, vt dignè fiant corporis Chriſti participes, hos ſi ipſo die cœnæ Domini *pariter confeſſi*, & conſequenter ante ſatisfactionem, quæ à Sacerdote iniungitur perfectam abſoluti fuerint, dignè poſſe recipere Sacramenta corporis & ſanguinis Domini; quæ noſtra hodierna diſciplina eſt, quam aduerſarii duodecim primis ſæculis Eccleſiæ inauditam eſſe inaniter garriunt.

Atque vt eorum in ſe laudando vel oſcitantiam, vel malam fidem S. iſte Epiſcopus euidentiſſimè prodat, idipſum quod in illa homilia 13. dixerat, poſtea fuſiſſimè in homilia 15. repetit. Alios enim à pœnitentibus publicis peccatores ad pœnitentiã more noſtro in illo die cœnæ Domini faciendam ſic hortatur. *Interim dum cogito, dumque in corde meo requiro, quibus verbis moneam vos fugere à ventura ira* (vnde conſtat eum peccatorum mortalium commiſſorum reos alloqui) *nulla præſtantiora viſa ſunt, quàm ea quibus Dominus in initio ſuæ prædicationis omnibus perſuadere contendit, dicens pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Quicũque ergo veſtrũm his quadragenũm dierum* obſeruationibus *pœnitentiam, & confeſſionis ſuæ debitam ſe exercuiſſe recolit, agat Domino gratias, & quicquid Dei Templum in ſe violando deſtruxerit, non deſperet, ſed citò malo* XL.

iniquitatis ſuæ conſurgat. Non enim quòd peccat, ſed quod in peccato perſeuerat, odibilis eſt. Vt ergo verbis Domini ſecundùm Marcum vtar, quibus dicit, quod dico, omnibus dico, vigilate: ſimiliter quod dico, omnibus vobis dico Clericis, Laicis, ac Sanctimonialibus, vt quidquid ſe recolit inuidiæ, aut detractionis, odij quoque & fornicationis, ſiue inceſtus, & periurij, cæterorúmque vitiorum contagione attactum, ſaltem hodiè per diuinæ ſalutis medicamentum, in quantum præualet ſe purificare procuret. Confiteatur aduersùm ſe iniuſtitiam ſuam Domino, vt remittat impietatem cordis ſui, & reliquiæ cogitationum eius diem feſtum agent Domino. Tunc enim reliquiæ cogitationis diem feſtum agunt Domino, quandò quilibet peccator poſt priùs datam confeſſionem ſe cohibere pollicetur ab iniquitate ſua, totúſque prorumpit in lacrymas, & in afflictionem cordis, quoniam cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit, & eiuſmodi feſtiuitas exultantibus Angelis fit, veritate atteſtante, quæ ait, quia gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore coràm Angelis Dei. Quia ergò maiora crimina admittentibus, maiora ſunt adhibenda remedia, conuertam me ad vos quos Eccleſia ex more pœnitentes vocat, &c. Quamobrem quos *Clericos, Laïcos, & Sanctimoniales,* anteà fuerat alloquutus, quantumuis *fornicationis, inceſtus, periurij*, cæterorúmque vitiorum eiuſmodi videlicet non publicorum, aut minùs grauium reos, nec inter publicè pœnitentes numerat, nec pro expiandis criminibus ad illam pœnitentiam publicam diuturnámque compellit, ſed tantùm

monet, vt ſi in Quadrageſima *cõfeſſionis ſuæ debitum* non exoluerunt, ſalté eo ipſo die cœnæ Domini de ſuis illis peccatis agant pœnitentiam, iniuſtitiã ſuam confitentes, vt eodem ipſo die purificati diem feſtũ agant, & Sacramenta percipiant.

SECTIO DECIMA.

Aduerſariorum dogmata ad Sancti Eligij doctrinam expenduntur.

IAm verò, Lector, paulò attentiùs iuniorum de pœnitentia dogmata cum ſancti huius, quem tamen ſuum adeò audacter iactant, doctrina conferat. Illi prodigioſæ ignorantiæ accuſant eum, qui pœnitentiam publicam in qua non ante ſatisfactionem à Sacerdote impoſitam omninò peractam pœnitens recõciliabatur, non niſi grauiorum & enormium reis, & de iis conuictis olim inflictam fuiſſe dixerat. S. Eligius poſt fornicatores, incæſtuoſos, periuros, inuidos, detractores, Clericos, Laïcos, Sanctimoniales admonitos, ad pœnitentes ob maiora crimina admiſſa, aut certè aliqua notiora ſermonem conuertit, duáſque peccatorũ claſſes aliam publicè, aliam ſecretò pœnitentiam agnoſcit. XLI.

Iuniores iſti præfidentiſſimè aſſerunt primis illis ſæculis, ac nominatim eo quo S. Eligius vixit, ſecundùm Patrum diſciplinam, ex traditione Apoſtolica manantem, conſtantiſſimo Eccleſiæ vſu confirmatam, ſi quis etiam clàm & priuatim peccatum quoduis mortale admiſerat, non XLII.

fuiſſe per Sacerdotes abſolutum, niſi poſtquàm confeſſus peccatum acceptam pœnitentiam longam & multorum menſium, aut etiam annorum ſpatio protractam perfeciſſet. At S. Eligius Clericos illos, Laïcóſque monet die ipſo cœnæ Domini, vt ſi, quod erat in more poſitum, in Quadrageſima peccata ſua, quæ ibidem enarrat confeſſi non fuiſſent, *ſaltem hodiè* id facerent, & *per diuinæ ſalutis medicamentum ſe purificare procurarent.*

XLIII. Longam illam ſatisfactionem ante abſolutionem aduerſarii requirunt, maximè vt per eam interna peccatoris pœnitentia matureſcat, ſeu neceſſaria contritio habeatur. Quaſi verò contritionis debitę fructus non debeat eſſe ipſa confeſſio peccatorum, aut is benè & legitimè ſacramentaliter confiteatur peccatum de quo dolorem neceſſarium, & ab eo in poſterùm àbſtinendi propoſitum non habeat. At S. Eligius ſuo illi temporario pœnitenti, quique eodem die peccatum confitetur, & ab eo vt communicet abſoluitur, pollicetur fore, vt aduerſùm ſe iniuſtitiam ſuam Domino & Vicario ipſius confeſſus, impietatis remiſſionem accipiat, *& reliquiæ cogitationum eius diem feſtum agãt Domino, quoniam cor eius contritum, & humiliatum Deus non ſpernet.* Quantumuis quis *peccatum ſuum confeſſus fuerit, & ſe cohibere pollicitus fuerit ab iniquitate ſua cum lachrymis & afflictione cordis*; recentiores tamen iſti doctores eum à ſacra communione arcent, donec conſcientiam diuturna pœnitentia expurgarit. At S. Eligius *de timore, compunctione mentis, omníque reueren-*

tia cum qua ad altare & menſam Domini accedendum eſt, orationem faciens, aliud ab illis quos retulit peccatoribus nihil poſtulat, quàm vt eo ipſo die ſeſe purificent *confeſſione, & diuinæ ſalutis medicamento*, atque ita *purificati exultantibus Angelis feſtiuitatem diei illius celebrent*, non in cilicio, & in cinere proſtrati, ſed diuinæ menſæ participes, quo enim alio modo reliquias cogitationis eorum diem feſtum Domino agere poſſe intellexerimus?

SECTIO VNDECIMA.

Poſteriorum temporum Patres proferuntur.

QVę cùm ita ſint videat Lector, quàm temerè iuniores iſti ſuum illud de pœnitentia publica pro quibuſuis peccatis mortalibus impoſita dogma per mille ducentorum, aut vt poſtea quæ dixerant, emendantes dixerunt, octingentorū annorum vſum euidentiſſimis Patrum teſtimonijs confirmatum iactitent, cùm per totidem ſæculorum Patres falſitatis manifeſtiſſimè redarguātur. Quis enim ſui ſecundi, & prioris ſæculi vſus foret, quæue capitalia crimina tunc haberentur, docuit nos Tertullianus. Tertium ex Origene, & S. Cypriano repræſentauimus; quarti teſtes locupletiſſimi fuerunt S. Baſilius, Gregorius vterque, Nazianzenus, & Nyſſenus, & Ambroſius: quinti Auguſtinus, Pacianus & Leo: ſexti Cæſarius Arelatenſis; ac demum ſeptimi Eligius Nouiomenſis, quia verò aduerſarij ſuum il- XLIV.

Digitized by Google

lum vſum & pœnitentiæ pro quibuſlibet peccatis publicæ inſtitutum in ſuis poſterioribus libris ad octo ſæcula contraxerunt, reuocantes quod eadem animi fiducia, & æquè aſſeueranter per duodecim ſæcula religioſiſſimè ſeruatum, nec niſi poſteà hanc quæ modò in vſu eſt, ſolutiorem diſciplinam irrepſiſſe dixerant, poſteriorum octo illis ſæculorum teſtimonia profero, quibus eos toto ſemper cœlo aberraſſe manifeſtiſſimè conſtet. Sanè quod poſt octo priora ſæcula Eccleſiam de priſtino rigore aliquid remiſiſſe aiunt, falſiſſimum eſſe quiuis intelliget, qui Concilia ſub Carolo Magno, & ſucceſſoribus in Gallijs celebrata legerit. Vt enim taceam, longé plura illis tribus capitalibus idololatriæ, homicidij, & mæchiæ criminibus, ſi publica forent, pœnitentiæ publicæ ſupplicio caſtigata fuiſſe; nihil in illis frequentius eſt, quàm Patrum decreta de renouandis antiquis pœnitentiæ Canonibus, déque diſciplina, vbi collapſa fuerat, reſtituenda. Aliqua ſuperiùs retuli, & hîc omnia exſcribenda eſſent, ſi ſingula referre vellem.

XLV. Duos hîc tantùm, vnum octaui, alterum vndecimi ſæculi teſtes afferre placet, ac illum quidem Alcuinum, qui in libro de Officijs, in capite ieiunii, hoc de noſtro argumento pro nobis planiſſimè ſic ait. *Secreta ſatisfactione ſolui mortalia crimina non negamus; quotidiana verò leuiaque peccata, ſine quibus vita hominis non ducitur, dominica oratione purgantur.* Iuo autem Carnotenſis qui vndecimo ſæculo vertente floruit, non tantùm in ſuo decreto, vt iam vidimus, prioris ætatis vſum ex variis Canonibus

propoſuit, ſed etiam in epiſtola 54. rogatus, an Clericus à Sacris repellendus eſſet, quia cùm erat in ſæculo, mulierem grauidam oppreſſerat, eratque occaſio dubitandi, an non fuiſſet cauſa abortus, qui aliquot poſt dies ſequutus fuerat, quia an homicida eſſet, incertum erat, negat eam ob cauſam, culpámque homicidij incertam exauthorandum Clericum illum, ſupponens eum hac pœna multandum non eſſe, ob certiſſimum fornicationis crimen, pro quo quia occultum fuerat, Clericus ille pœnitentiam publicam non egerat, alioqui enim quin deponendus eſſet, nulla dubitandi ratio fuiſſet, ſuam autem ſententiam Iuo Carnot. ſic concludit. *Sacris Patrum regulis non obuiamus, ſed ex ratione, & exemplorum commemoratione in præſidentium intelligimus poſitum eſſe diſcretione, vt quos viderint veram egiſſe pœnitentiam, eos ad Eccleſiaſticam poßint promouere militiam, ſi tamen publicam non egerint pœnitentiam.* Quare ſecundùm regulas Patrum, rationem, & exempla ille Laïcus fornicator potuit ad ſacros Ordines admitti, quia de ſuo crimine veram, licet non publicam pœnitentiam agere potuit. Nec obiter obſeruare pigeat nunc ſeueriorem eſſe, quàm tunc erat Eccleſiam, cùm ſi quis homicidium ſe feciſſe dubitat, eum irregularem ſe exiſtimare oporteat.

Cap. IX.

Argumenta aduerſariorum expenſa refelluntur.

Sectio Prima.

Argumentum ex criminis appellatione petitum examinatur.

I. Septem præcipuis argumentis aduerſarij de quolibet peccato mortali pœnitentiam publicam olim factam fuiſſe libro de freq. Comm. cap. 4. & ſequentibus probant, quæ licet ex hactenus dictis facilè refelli queant, ne tamen quidquam ex me lector deſiderare meritò poſſit, nonnullis in ſequentem diſſertationem reiectis, quia in illis de ordine pœnitentiæ, ſeu abſolutione, de diuturna pœnitentia, déque abſolutione per clauium Eccleſiæ miniſterium concedenda agitur, alia hîc examino.

II. Atque inprimis ſic diſputant. Pro quolibet crimine olim iniuncta eſt illa luctuoſa pœnitentia. Atqui peccatum omne mortale Patribus crimen fuit habitum. Igitur pro quolibet peccato mortali pœnitentia illa iniuncta fuit. Ve-

rùm iam abundè hac de re à me diſputatum eſt, & oſtenſum, non ſemper peccatum omne, quod nos iam cum Eccleſia mortale appellamus, crimen à Patribus dictum fuiſſe; pleraque verè mortalia à nonnullis Patribus leuia, quotidiana, & venialia appellata fuiſſe, nuſquam apud vllum Patrem duas illius argumenti propoſitiones vniuerſales reperiri, ac demùm quotquot omne peccatum à iuſtorum peccato, ſeu veniali, vt dicitur, diuerſum crimen appellarunt, cùm de eo per pœnitentiam emendando locuti ſunt quædam leuia, grauiáque, ſeu magna, grauiora, publica, & quæ Eccleſiæ ſcandalo erant notaſſe. Niſi ergo amphibologia in illius argumenti maiore propoſitione lateat, falſam eſſe ex dictis conſtat, atque hoc pacto illud vanum eſt. Vt enim ex eo aduerſarij quod volunt conficiant, eos probare oportet, pro crimine quolibet leuiori, & grauiori, paruo, & magno non tantùm aliquando factam, ſed ſemper ab Eccleſia iniunctam, imperatámque fuiſſe pœnitentiam, quod fruſtra hactenus tentarunt, nóſque manifeſtiſſimis teſtimonijs refutauimus.

Atenim, inquiunt, Canones adulterio cuiuis nulla publici, aut occulti ratione habita eandem pœnitentiam decernunt. Verùm attuli multos Canones, qui ſola crimina publica eiuſmodi pœnitentia caſtiganda eſſe dicunt. Deinde cùm pro indulgentia conſequenda aliquãdo adulter ſponte pœnitentiæ publicæ ſe ſubderet, qui Sacerdotes pœnitentibus regendis præfecti erant, congruas pœnitentias ab illis Canonibus deſcriptas habuerunt, vt in illis iniungendis prudenter ſe

gererent, & eas peccatores tanquam lege ipſa determinatas libentiùs acciperent. Quanquam in Iſaaco Lingonenſi, Burchardo, Iuone, aliiſque qui Canonas pœnitentiæ collegerunt, paulò attentiùs lectis, quiuis animaduertere poteſt plerumque ieiunia, eleemoſynas, orationéſque indici abſque cinere, cilicio, crebra manuum impoſitione, aliiſque publicæ illius pœnitentiæ cæremonijs, ex quibus intelligat, eam pœnitentiam more noſtro à Sacerdote impoſitam priuatim pœnitenti agendam fuiſſe.

III. Quæ ex S. Auguſtino, & S. Cæſario teſtimonia preferuntur ab aduerſariis, ea nos ſuperiùs examinauimus, oſtendimúſque S. Auguſtinum tria illa crimina capitalia idololatriæ, ſeu ſacrilegij, homicidij, & adulterij expreſſiſſe, & crimen quod non ſolùm in graui peccantis malo, ſed etiam aliorum ſcandalo eſſet; quódque S. Cæſarius homilia illa 8. non niſi publica crimina huiuſmodi pœnitentia neceſſario corrigenda eſſe dixerit, certiſſimum habetur ex his ipſius verbis: *Quia iuſtum eſt, vt qui cum multorum deſtructione ſe perdidit, cum multorum ædificatione ſe redimat*; quæ verba qua fide, quóue animo aduerſarij ſuppreſſerint cap. 4. pag. 259. & 260. lector iudicet.

IV. Præterea, ibidem opponunt Gennadium de Eccleſiaſtico dogmate cap. 53. dicentem ſi quis mortalia peccata commiſit, eum publica pœnitentia ſatisfacere debere. At eum de ſolis illis grauioribus criminibus loqui, & alia, quæ nos verè mortalia dicimus, peccata agnoſcere, patet ex orationis ipſius contextu, quem hîc tibi repræſento.

præſento. *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari. Et ideò quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis & orationibus confidens de Domini miſeratione, qui peccata piæ confeſſioni donare conſueuit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus.* Ego verò contra aduerſarios contendo à Gennadio hîc intelligi peccatum de ſe mortale, vt loquimur, & ante Euchariſtiæ perceptionem lachrymis ſeu contritione, confeſſione pia, & ſacramentali, orationéque expiandum. Nec enim ſi is veniale, ſeu quotidianum iuſti cuiuſlibet peccatum intelligeret, diceret *quamuis quis peccato mordeatur*, quod conſcientiæ remorſum ſignificat non quotidianum, non omnibus etiam iuſtis communem, ſed quo aliqui punguntur, nec dubitaret, an aliquis peccato illo morderetur, ſi veniale intelligeret, non enim cum Pelagianis Gennadius credidit aliquem abſque peccato vllo eſſe poſſe, cùm cap. 86. diſertè dixerit, *nullum ſanctum, & iuſtum carere peccato. Et ideò veraciter ſe omnes ſancti pronuntiant peccatores, qui in veritate habent, quod plangant, & ſi non reprehenſione conſcientiæ, certè mobilitate & mutabilitate præuaricatricis naturæ.* Idem, ni fallor eſt, *pec-*

cato morderi, & *reprehenſione conſcientiæ pungi*; nec qui ſolius venialis conſcientiam habet, is verè & propriè ab ea reprehenditur; alioqui Sanctus Ioannes 1. epiſtolæ cap. 3. verſ. 21 non dixiſſet, *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*; nec pro eodem *ſine reprehenſione*, & *ſine crimine* cum Sancto Paulo Patres accideperent ad illud Timoth. 1. cap. tertio verſu ſecundo. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, & ad Titum cap. 1. verſu 7. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*, nec nominatim Sanctus Auguſtinus ad illud Ioannis quod legit, *ſi cor non malè ſenſerit. non omne peccatum, ſed certum quoddam peccatum*, id eſt, *violationem charitatis, quodque omnis qui ex Deo natus eſt, non facit, neceſſariò intelligendum eſſe diceret*. Gennadius igitur peccatum conſcientiam peccatoris mordens, non aliud, quàm mortale intellexit, quodque non ſola oratione dominica, *ſed lachrymis, & orationibus, ipſaque pia confeſſione*, quam ſacramentalem vt interpreter nihil vetat, doctrináque catholica ſuadet, ante Euchariſtiæ communionem ſit mundandum, nec quodlibet peccatum mortale, ſed aliqua grauiora ſumit, cum poſtea ſic ait. *Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor priùs publica pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni ſociari, ſi non vult ad iudicium & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere.*

Quibus verbis non tam ſacramentalem, quàm canonicam reconciliationem, & abſolutionem, de qua poſtea diſſeretur, intelligit.

V.

Addunt & Fulbertum Carnotenſem dicere propter quælibet peccata mortalia peccatores ab Eccleſia ſeparari. Tu Lector, vt ex ipſo textu Fulberti de bona fide, aut diligentia aduerſariorum in referendis auctoribus, vt par eſt, ſentias, eum accipe, qui in ſermone ſecundo ad populum ab aduerſariis pag. 254. mutilato ſic habet. *Si permanſiſſemus in illa munditia, quæ nobis per Baptiſmum data eſt, verè fœlices eſſemus, ſed non permanſimus, cecidimus enim per noſtram culpam non ſolùm in peccata, ſed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Eccleſia ſeparantur, qualia ſunt homicidia, adulteria, fornicationes, ſacrilegia, rapinæ, furta, falſa teſtimonia, ſuperbia, inuidia, auaritia, diutina iracundia, ebrietas aſſidua.* Iam rogo te quiſquis hoc Fulberti teſtimonio abuteris, vt omnem peccantem mortaliter tunc excommunicatum ab Eccleſia fuiſſe probes, an non munditia Baptiſmi alio quàm peccato mortali perdatur, & vtrum peccator quiuis, quique tantùm venialiter delinquit, Baptiſmi ſui violator & deſertor ſit, vt loquitur Sanctus Auguſtinus? At Fulbertus delicta quibus munditia Baptiſmi perditur, duplicia agnoſcit; quædam enim non ſolùm ſunt peccata, quibus Baptiſmi munditia perditur, ſed etiam crimina propter quæ peccatores ab Eccleſia excommunicantur. Duas igitur peccatorum mortalium claſſes conſtituit,

nec, vt tu vanè ſomnias, omnia peccata mortalia excommunicatione Eccleſiæ punita eſſe vnquam dixit. Taceo quod alibi Iuonem exponens de diutina iracundia, & ebrietate aſſidua obſeruaui, & tantùm moneo non eſſe neceſſe, vt quæ ibi Fulbertus enumerat, omnia fuerint crimina excommunicatione illa caſtigata. Quid enim vetat illa afferri tanquam exempla peccatorum, quæ Baptiſmi ſanctitatem violant, ſiue ſint ſolùm eiuſmodi, ſiue etiam ſint illa crimina propter quæ peccatores ab Eccleſia ſeparantur? Enimuerò Fulbertus ea tantùm crimina recenſet, quæ excommunicatione meritò caſtigentur, an idcircò omnem auaritiam, inuidiam, & ſuperbiam eo in numero poſuit? Quis ſanus hoc dixerit, cum eæ non rarò veniales eſſe poſſint? Quemadmodum igitur quantumuis ebrietas omnis, vt ſumi ſolet, plenè libera & voluntaria mortalis eſt, nec tamen niſi aſſidua foret, ea tunc temporis excommunicationis pœna non plectebatur, nec iracundia quantumuis lethifera niſi diutina; ita non omnem auaritiam, aut inuidiam mortalem excommunicationi obnoxiam eſſe Fulbertus dixit, ſed tunc tantùm, cùm ob aliquas circumſtantias, ac potiſſimùm ſcandali in eiuſmodi peccata hac pœna animaduertendum eſſe Prælati cenſuerunt. Ita quia nonnulla peccata vſu quodam minora æſtimari ſolent, vt quibuſdam temporibus choreas agere, cauponas ingredi, in Quadrageſima cibos vetitos comedere, & alia eiuſmodi, in quibus ſcandali, aut prauæ conſuetudinis pericu-

lum eſt, Epiſcopi ea ſibi reſeruare, aut etiam reos excommunicare prudenter ſolent. Quidquid autem horum placuerit, id ſaltem vnum quod ad obiectionem depellendam ſatis eſt, conſtat euidenter ex S. Fulberti verbis non neceſſariò confici, quodlibet peccatum mortale eſſe crimen, ob quod peccator ab Eccleſia tunc fuerit ſeparatus.

Sectio Secvnda.

Aliæ obiectiones ex Sancto Auguſtino petitæ ſoluuntur.

Obijciunt ſecundò à Patribus triplicem tantùm pœnitentiam agnitam eſſe, primam ante Baptiſmum, ſecundam venialium, tertiam reliquorum, quam luctuoſam, & publicam fuiſſe dicunt, ita cap. 6. Sed ſuperiùs eos refutaui, & iiſdem quæ pro ſe proferunt, Patrum Tertulliani, & Sancti Auguſtini teſtimonijs reuici. VI.

Tertiò, ſic diſputant cap. 7. clauium Eccleſiæ miniſterium olim adhibitum non eſt, niſi pro ligandis primùm excommunicatione, ac poſtea ſoluendis peccatoribus. Igitur non niſi in ea pœnitentia cui annexa eſt pœnitentis excommunicatio. Errorem hunc, & eius proba- VII.

tiones ex M. Antonio de Dominis acceptas ſuperiùs refutaui. Error enim eſt non ſolui à Sacerdote niſi vinculum, quo ipſe peccatorem ligauit. Sacerdos enim ſoluit pœnitentem à culpæ vinculo, quod iſte peccando induerat. At licet Sacerdos non abſoluat à peccato, niſi quem ad ſatisfactionem poſtea agendam obligauit, hocque vinculum ſit, ad quod apponendum, cóque ligandum pœnitentem, non autem ad excommunicandum claues Eccleſię datas Tridentinum ſeſſ 14. & cap. 8. definit, re tamen vera Sacerdos non ſoluit pœnitentem hoc vinculo, quo ipſum ligauit, ſed potiùs ipſe pœnitens, dum pœnam ſibi impoſitam exſoluit, ſed de hoc poſtea fuſiùs, vbi & ſoluetur quod

VIII. Quartò aiunt aduerſarii cap. 6. cuiuſlibet peccati mortalis reum in foro, ſeu tribunali pœnitentiæ ſemper excommunicatum fuiſſe. Quamquam ex iam dictis intelligitur ſatis, peccatorem omnem mortalis peccati conſcium, licet ab Euchariſtia ſeparari debeat, non ſemper tamen iudicio Eccleſiaſtico, ſed ſua ipſius ſententia ſeparari, ſiquidem vt ex Sancto Auguſtino Homilia 50, relatum eſt, antequàm ille peccator Eccleſiæ Antiſtites, & qui clauium vſum habent, adeat, ſeipſum ſeueriſſimè iudicare, & à communione illa ſeparare debet. Eſt ergo aliqua peccatoris excommunicatio, quam Eccleſia non facit, ſed ipſe pœnitens. Eſt & altera, qua pœnitens publicè ob crimen per Eccleſiæ Prælatos excommunicatur. Vtramque excommunicationem notat Sanctus Auguſtinus lib.

10. de Ciuit. Dei cap. 9. cùm ait, *Chriſtianum ad reconciliationem currere, ſi fortè per pœnitentiam, malamve conſcientiam à corpore Chriſti ſeparatus eſt.* Niſi enim crederet aliquem à corpore Chriſti ſeparari, qui per illam pœnitentiam, iudicio Eccleſiaſtico, & ſententia Sacerdotis excommunicatus non eſt, vtramque illam, alteram pœnitentiæ, alteram malæ conſcientiæ ſeparationem non diſcerneret.

Quod autem pro hac cuiuſlibet mortaliter peccantis excommunicatione Eccleſiaſtica probanda, Sanctum Auguſtinum cap. 5. pag. 269. & 270. laudant, ex libro de Fide & Operibus cap. 19. & 26. id adeò temerè & immeritò faciunt, vt illo priore loco probabiliter, poſteriore euidenter refellantur. Nam cap. 26. tria peccatorum genera, vt ſuperiùs retuli, Sanctus Auguſtinus diſtinguit, alia venialia, ſeu *ſine quibus hæc vita non agitur*, & quorum medela quotidiana eſt in oratione Dominica; alia *ita grauia*, vt etiam excommunicatione plectenda ſint; alia denique *non ea pœnitentiæ humilitate ſananda, qualis in Eccleſia datur eis qui pœnitentes vocantur*; quæ perperàm ab aduerſariis venialia dicuntur, nam diuerſa ſunt ab illis, *ſine quibus vita hæc non agitur*, quæ eſt venialium apud Sanctum Auguſtinum nota propria, & character, nec de venialibus correptionis fraternæ, quod aliquos tantùm peccatores ſpectat, præceptum diuinum eſt, alioqui omnes omnino corripiendi eſſent, IX.

nec quiſquam poſſet alterum corripere, quia ab eo quod homo in alio reprehendit, peccato, ipſum immunem eſſe oportet. In cap. verò 19. Sanctus idem Pater iis contra quos diſputat, vltrò concedit tria mortifera eſſe excommunicatione punienda, *donec pœnitentia humiliore ſanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium*, quod ſuperiùs tractaui, probauíque ex eodem Sancto Auguſtino, Paciano, Nyſſeno, Baſilio, Nazianzeno, & iis antiquiore Tertulliano. Falſum quoque eſt, quos Sanctus Auguſtinus refellit, arbitratos fuiſſe tria illa duntaxat eſſe mortalia, aut reliqua ſine clauibus redimi poſſe eleemoſynis. Nec enim toto in illo libro clauium Eccleſiæ, vel ſacramentalis pœnitentiæ vlla mentio fit, & cap. illo 19. diſertè, & planè ait ſe diſputare, an adulter ſine voluntate emendationis, ad Baptiſmum admitti poſſit, *quia tunc in Catechiſmis competentium vitium hoc, nec quærebatur, nec repercutiebatur.*

X. Nec ſanè prudentiùs aduerſarii eundem Sanctum Auguſtinum ex epiſtola 118. ad Ianuarium capite 3. proferunt, 1. parte cap. 14. pag. 56. cùm enim duos, an quotidiè accipienda ſit Euchariſtia, diſceptantes inducat, aduerſarii quæ ab illis dicuntur, tanquam Sancti Auguſtini ſententiam referunt, & quæ ab vtroque dicuntur, pro ipſis aduerſariis ne hilum quidem faciunt. Alter enim negat quotidie ſumendam eſſe Euchariſtiam, *quoniam eligendi*

Digitized by Google

ſunt dies, quibus puriùs homo continentiúſque viuat, quo ad tantum Sacramentum digniùs accedat ... Alius contrà, imò, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati ... vt medicamenta talia differenda ſint, authoritate Antiſtitis debet quiſque ab altari remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non vt arbitrio ſuo cùm libet, vel auferat ſe communioni, vel reddat. Cæterùm ſi peccata tanta non ſunt, vt excommunicandus quiſquam homo iudicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare. Ita duo illi diſceptatores, ſed qui de quæſtione noſtra nihil ſtatuunt, iſte enim alter vult tantùm eum qui iudicio Epiſcopi non arcetur à communione Euchariſtiæ, pro ſuo arbitrio non debere abſtinere, ſed ad illam accedere, adhibita tamen, vt ſupponere debet, ea quæ requiritur præparatione, ac nominatim confeſſione ſacramentali, ſi quod peccatum mortale illa expiandum commiſit. An verò peccatum omne mortale publica pœnitentia egeat, nec leuiter quidem inſinuat.

Denique aduerſarii vt probent eum qui peccauit mortaliter, non niſi poſt luctuoſam illam publicam pœnitentiam Euchariſtiam dignè ſumere poſſe, ſolita ſua animi confidentia 1. parte cap. 15. pag. 67. proferunt eundem Sanctum Auguſtinum ex ſermone de tempore 252. eius integram orationem refero, vt quod iam ſæ- XI.

piùs obſeruatum eſt, quam illi in referendis authoribus fidem mereantur, lector ſine ſtomacho, ſi poteſt, iudicet. *Vnuſquiſque conſideret conſcientiam ſuam; & quando ſe aliquo crimine vulneratum eſſe cognouerit, priùs orationibus, ieiuniis, vel eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Euchariſtiam præſumat accipere. Si enim agnoſcens reatum ſuum, ipſe ſe à diuino altari ſubtraxerit, citò ad indulgentiam diuinæ miſericordiæ perueniet, quia ſicut qui ſe exaltat humiliabitur, ita è contrariò, qui ſe humiliat exaltabitur. Qui enim, ſicut dixi, agnoſcens reatum ſuum, ipſe ſe humiliter ab altari Eccleſiæ pro emendatione vitæ remouere voluerit, ab æterno illo & cæleſti conuiuio excommunicari non timebit.* Iterum atque iterum Sanctus Auguſtinus monet illum peccatorem, *vt agnoſcens reatum ſuum ipſe ſe humiliter ab altari ſeparet*, nuſquam autem meminit excommunicationis ab Epiſcopo inflictæ, nec poteſt hęc excommunicatio eſſe eadem, qua pœnitens non à ſe, ſed à iudice per claues plectebatur, alioqui ipſe peccator eſſet clauium miniſter, ſéque earum virtute ligaret, & abſolueret.

XII. Deinde lego orationes, ieiunia vel eleemoſynas, non cinerem, non cilicium, aliúmque lugubrem pœnitentiæ publicæ apparatum. Nec ſi annos multos; aut, vt indulgentiſſimi iſti pœnitentiarii volunt, ſex menſes pœnitens ille abſolutionem, & communionem expectaret, *ci-*

tò, quod ait Sanctus Auguſtinus, *ad indulgentiam diuinæ miſericordiæ perueniet.* Quodque eam quam à peccatore ante Euchariſtiæ participationem exigit pœnitentiam, nullo modo publicam eſſe velit, ex iis quæ ſubiicit euidentiſſimè colligitur. Vt enim quàm horribilis ſit illa æterna peccatoris à regno Chriſti ſeparatio, & à cæleſti Hieruſalem perpetua excommunicatio ſignificet, ſic ait. *Conſiderate, fratres, rogo vos, ſi hodie aliquis à conuentu Eccleſiæ huius pro aliquo crimine proijciatur foràs, in quanto dolore vel tribulatione erit anima ſua. Etſi intolerabilis dolor eſt, de illa Eccleſia foràs proijci, vbi ille qui proijcitur, & manducare, & bibere, & cum hominibus loqui poteſt, & habet ſpem, vt iterum mereatur ad Eccleſiam reuocari, &c.* Loquitur de excommunicatione pœnitentiæ publicæ comite perpetua, non de maiore illa, quæ cum anathemate coniuncta erat; hac enim qui feriebatur, cum Chriſtianis aliis *nec cibum ſumere* poterat ex mandato Apoſtoli 1. Corinth. cap. 5. verſ. 12. nec ad tempus aliquod eiiciebatur; quemadmodum pœnitentes illi publici, de quibus Sanctus Auguſtinus loquitur. Ac ne quid dubii ſuperſit, Sanctus Auguſtinus *intolerabilem* proiectionis illius *dolorem* arbitratus hanc nihilominus pœnitentiam mundationémque conſcientiæ, quam à quolibet peccatore pro Euchariſtia dignè ſumenda poſtulat, grauem & laborioſam eſſe negat. *Ad extremum*, inquit, *fratres chariſſimi,*

non eſt graue, nec laborioſum quod ſuggero, hoc quod dico, quod vos fratres frequenter facere aſpiro... Non eſt graue quod dico fratres, quomodò viri lauant aquâ manus ſuas, quibus nimirum nudis Euchariſtiam ori admouendam tunc ſumebant, *ſic eleemoſynis lauent conſcientias ſuas.* Hæc ſi aduerſarii attentè legiſſent, eum qui aliter ſentit, tanquam ſtupidum, & bardum adeò inſolenter vexaturos fuiſſe credis?

Sectio Tertia.

Sancti Ambroſius, Baſilius, & Fulbertus explicantur.

XIII. Peccatores pro occultis criminibus aliquando ſponte pœnitentiam publicam à Paſtoribus Eccleſiæ ſibi conceſſam egiſſe fateor; at vtrum ea imperata fuerit in quæſtione poſitum, & à me negatum nullo vel probabili argumento aduerſarii probant. Quam inſulsè enim Fabiolam illam pœnitentem ad id probandum proferant, ſuperiùs oſtendi, tum quia illa ſponte pœnitentiam fecit, tum quia adulterium eius Romanæ ciuitati, & Eccleſiæ vulgatiſſimum erat. De ſpontanea quoque pœ-

Digitized by Google

nitentia quam ex libro primo de Pœnitentia capite 16. producunt S. Ambroſium loqui ſuperiùs probaui, & conuincunt hęc eius verba. *Si quis igitur occulta crimina habens propter Chriſtum tamen ſtudiosè pœnitentiam egerit, quomodò iſtic recipit, ſi communio non refunditur?* Cur enim occulta crimina commemorat, niſi quia de illis non coacta, *ſed ſtudiosè* ſuſcepta pœnitentia agebatur? Si omnium occultorum, & publicorum criminum par erat ratio, cur occulta exprimit, vt Nouatianum cogat fateri non tantùm negandam, ſed etiam differendam communionem ſemper non eſſe? De hac enim etiam non differenda ibidem Sanctus Ambroſius loquitur.

Probabilius videtur eſſe quod ex Sancto Baſilio parte II. cap. 10. pag. 313. referunt, volunt enim ab eo decerni, vt mulier adultera non agat publicè pœnitentiam, ne ſi crimen eius notum fieret, ei mortis periculum crearet, ſed priuatim tamdiu ab Euchariſtia abſtineat, quandiu ob idem crimen publici pœnitentes. Sed longè aliam Sancti Baſilij mentem eſſe colligo ex eius textu qui in epiſt. ad Amphiloch. Canonica can. 34. ſic habet. *Adulterio pollutas mulieres, & ob pietatem confitentes* ἐξαγορευούσας δι' εὐλάβειαν, *vel quomodocunque conuictas publicare* δημοσιεύειν *quidam Patres noſtri prohibuerant, ne conuictis mortis cauſam* XIV.

præbeamus, eas autem ſtare ſine communione iuſſerant, donec impleretur tempus pœnitentiæ. Sanctus igitur Baſilius loquitur de publico crimine, de quo nimirum adultera conuinci poterat, aut etiam de quo licet accuſari, in iudicio tamen Eccleſiaſtico non conuinci niſi confeſſa poterat, aut denique de eo quod occultum ipſa coràm Sacerdotibus pro indulgentia per pœnitentiam conſequenda, ex pietate vltrò confitebatur. At quid inde pro pœnitentia adulteræ occultæ imperata conficitur? Iubet autem Sanctus Baſilius eam non coràm populo, ſed tantùm aliquibus argui, & pœnitentiam accipere (duplicem enim pœnitentiam illam fuiſſe in vſu ſuperiùs oſtenſum eſt). Id vt ita dicam, ſuadent verba quibus Sanctus ille Pater vtitur; ἐξαγορεύειν enim non ſecretam & auricularem confeſſionem, ſed quæ in iudicio, & foro fit indicationem, profeſſionemque ſignificat. Non igitur ob occultum adulterium, ſed Sacerdotibus pro eorum ſuffragiis impetrandis manifeſtatum mulier illa agebat pœnitentiam, non tamen illam omninò publicam, in quo toti populo per exomologeſim crimen pœnitentis notum fiebat, quod ſignificat verbum illud δημοσιεύειν. Præterea Sanctus Baſilius non iubet eam tamdiu à communione repelli, quandiu repellenda fuiſſet, ſi conuicta pœnitentiam coa-

ʃta, & ex imperio Eccleſiæ, non ſponte, nec vltrò feciſſet, quod aduerſarii de ſuo addunt, & perperam exponunt illud, *donec impleatur tempus pœnitentiæ*, quo nihil aliud ſignificatur, quàm ex eo pœnitentiæ ſibi iniunctæ tempore non fieri participem Euchariſtiæ, quod tempus pœnitentiæ voluntariæ breuius, quàm imperatæ fuiſſe, ſuperiùs valde probabiliter ex Fabiolæ pœnitentia oſtendi.

Vt iidem aduerſarij eum qui mortaliter peccauerat, licet publicam pœnitentiam facere non cogeretur, ab Euchariſtia tamen longo tempore abſtinuiſſe oportere probent pagina 315. aiunt Diaconum aut ſacris Ordinibus initiatum, ſi mortaliter peccauerat, non quidem egiſſe publicam pœnitentiam, ſed tamen aliquandiu ab Euchariſtia repulſum fuiſſe. At hoc eſt falſiſſimum, & ſi reliqua omnia deficerent hoc vnico argumento manifeſtiſſimè probatur, illam peccatoris ab Euchariſtia ſeparationem, nec tanquam remedium peccatorum neceſſariam, nec pro tollendis eorum reliquiis, & pœnæ temporalis reatu remittendo, nec denique pro illa, quæ tanquam diſpoſitio ad Euchariſtiam præparatio adhibenda eſt, conſcientiæ puritate procuranda, olim in vſu Eccleſiæ fuiſſe. His enim Clerici, æquè ac Laïci remediis egent, cùm tamen, illos in priuata ſua pro XV.

criminibus pœnitentia, & ſeceſſione in Monaſterio, vel ad Laïcorum ordinem detruſos ab Euchariſtia repulſos fuiſſe diſertiſſimè neget Sanctus idem Baſilius in can. hoc illius epiſtolæ 3. *Diaconus poſt Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem eiicietur, in Laïcorum locum extruſus, à communione non arcebitur, quoniam antiquus eſt Canon, vt qui à gradu exciderunt, hoc ſolo punitionis modo puniantur, primis, vt exiſtimo, legem illam ſequutis: Non vindicabis bis in idipſum, & etiam propter aliam cauſam, quod qui ſunt quidem in ordine Laïco, à loco fidelium eiecti, rurſus in eum ex quo ciciderant locum recipiuntur: Diaconus verò ſemel habet ſufficiens iudicium depoſitionis. Tanquam ergo ei non reddito Diaconatu, in ea ſola punitione ſteterunt.* Et Canone 32. de Clericis in vniuerſum ſic ſtatuitur. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem deiiciuntur, à Laïcorum autem communione non arcentur. Non enim vindicabis bis in idipſum.* Quod ſi in nonnullis Concilijs ob aliqua grauiora crimina ad depoſitionem additur excommunicatio, ideſt pœnæ auctuarium, non verò commune Clericorum, qui in crimen per pœnitentiam publicam in Laïcis expiandum lapſi fuerint, ſupplicium.

Nam

Nam quod illud Fulberti dicentis *quemdam preſbyterum ab officio remouendum, & tandiu abſtinentia caſtigandum, quouſque relicto vitio, & per Dei gratiam ſuperato reuocari videatur idoneus*, Iſti recentiores parte II. cap. 10. pag. 318. ſic interpretantur, vt per abſtinentiam intelligant communionis priuationem, aut fallere volunt, aut ipſi grauiter falluntur. Licet enim abſtenti antiquitus à Cypriano, & Tertulliano dicerentur excommunicati, hîc tamen à Fulberto abſtinentia ſumitur pro virtute, qua ebrioſitas, de qua, non de ebrietate ibi agit, caſtigatur emendaturque, idque ſignificat nomen *vitij* quo laudatus Fulbertus vtitur; & idipſum cōfirmat quod ex eodem ſuperiùs retuli, tunc ebrietatem publicè correptam non fuiſſe, niſi cùm erat aſſidua; ac demum omnem dubitandi occaſionem tollit integra eius ſententia quæ ſic habet. *Si autem appetitus ebrioſitatis aut libidinis, quandoquidem & ipſa mortifera ſunt, ab officio remouendus eſt, & tandiu abſtinentia caſtigandus eſt, quouſquè relicto vitio, & per Dei gratiam ſuperato reuocari videatur idoneus.* Quis autem inficietur ab officio remouendum eſſe preſbyterum libidinoſum, & ebrioſum, donec emendatus reſipiſcat? XVI.

Interim aduertat lector, qua fide Patres ab aduerſariis proferantur, quamque diligenter & accuratè verba, & ſententiæ eorum expendantur, nullum enim, quantum ego animaduertere potui, ab illis teſtimonium Patrum pro- XVII.

latum eſt, ſicut in authoribus integrum habetur, ſed vel mutilatum & fœdè deformatum: aut certe ad rem de qua agitur, nihil facit, ſæpiúſque ex eo doctrina placitis ipſorum contraria colligenda eſt: quod quia in aliis eorum libris ſcriptiſque diligentiores lectores animaduertunt, inde forte non temerè credunt eos, non ipſos auctores legiſſe, ſed ſchedis quibuſdam & commentariis vſos, quia commentatoribus fidem nimiam adhibuerant, deluſos & deceptos potius fuiſſe, quàm de induſtria lectorem fallere voluiſſe. Quidquid ſit, eligant quod maluerint vel fallaces, vel falſi, & decepti haberi, quod alterutrum quàm prudenter de illis quiuis exiſtimare poſſit, hactenus oſtenſum eſt: in hac enim quam tracto quæſtione vtrum olim pro quolibet peccato mortali pœnitentia publica ex Eccleſiæ, aut etiam Christi præcepto, per Apoſtolos tradito, & continua duodecim, aut vt poſtea correxerunt, octo ſæculorum conſuetudine cuſtodito agenda fuerit, nullum pro parte affirmante teſtem aut antiquum aut nouum produxerunt, cuius authoritate, verbiſque clariſſimis me non fuerint reuicti, ac poſtea reuincentur.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Ex S. Proſpero, quem proferunt aduerſarij refelluntur.

QVàm eorum dubia & in referendis authoribus fallax fides ſit, placet demùm euidentiſſimè oſtendere in eo ipſo S. Proſperi teſtimonio, quo parte II. cap. 10. pag. 319. longam illam teſtium feriem & agmen concludunt, vt probent *quotquot peccata mortalia etiam ſecreta ſacerdotibus confitebantur, illos ab his excommunicatos fuiſſe, nec hanc peccatorum ab Euchariſtia ſeparationem alicuius diſciplinæ politicæ, & exterioris inſtitutum, quo Eccleſiæ offenſæ fieret ſatis, ſed vt eo pacto illi per ſolidæ veræque pœnitentiæ fructus cum Deo reconciliarentur, ciuitatis cœleſtis & diuinæ ciues fierent & ad æternæ fœlicitatis gaudia admitterentur*, Idque ex eo ſe conficere exiſtimant, quia S. Proſper Sacerdotem criminum quorumdam reum ab altari remouere ſe ſponte debere ait. Teſtimonium illud deſumptum eſt ex libro II. de vita contemplatiua cap. 7. cuius titulus eſt, *Quantum remedij habeat confeſſio peccatorum, & quale mereatur occultatio doloſa ſupplicium.* Vt abſque alio examine gratis demus aduerſariis S. Proſperum loqui de confeſſione peccatorum Sacramentali, quærendum eſt, an vel XVIII.

tenuiſſimum ordinis illius & diſciplinæ, quam in differenda poſt longam, & luctuoſam pœnitentiam, excommunicationémque eius qui peccata confeſſus eſt, abſolutione ſeruatam volunt aduerſarij, veſtigium notari queat? *Cum*, inquit S. Proſper, *nobis, fratres; quilibet peccata ſua tanquã medicis vulnera quibus vrgentur aperiunt, operam dare debemus, vt quantocyus ad ſanitatem Deo authore perueniant, ne in peius diſſimulata curatione proficiant.* Si de peccatorum curatione per Sacramentum pœnitentiæ ſermo eſt, ad eam Deo authore peccator non peruenit, niſi cum Sacramentaliter abſoluitur. Nec enim abſolutio Sacramentalis, eſt peccati antea remiſſi declaratio, ſed ipſa remiſſio, nec eſt vulneris iam per pharmaca ſanati ſolutio, ſed ipſa ſanatio, ſeu curatio. Qui igitur ſacerdos ex Proſperi præcepto operam dare debet, vt peccata confeſſus peccator *quantocyus ad ſanitatem Deo authore* per ſuum miniſterium, & opem clauium ſibi commiſſarum perueniat, is, vt opinor, multos annos, aut etiam ſex menſes pœnitentis & peccata confeſſi abſolutionem differre non debet, ***Ea autem crimina quorumlibet ſi ipſis criminoſis confiteri nolentibus vndecumque claruerint, quacumque non fuerint patientiæ leni medicamento ſanata, veſut igni quodam increpationis vrenda ſunt & luranda. Quod ſi nec ſic quidem æquanimiter cuſtinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis, qui diu portati, & ſalubriter objurgati corrigi noluerint, tanquam putres cor-***

poris partes debent ferro excommunicationis abſcindi, ne ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquæ carnis putredinis ſuæ contagione corrumpit; ita iſti qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus deprauatis in ſanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſuæ perditionis inficiant. Vides quiſquis es pœnitentium non tam benignus pater, & medicus, quàm iudex ſeuerus, quos S. Proſper peccatores excommunicari velit? Si de tua illa pœnitentiæ publicæ excommunicatione loquitur, teipſum omninò damnat, qui nonniſi peruicacem criminoſum, confiteri nolentem, iam antea grauiùs increpitum, quem nec leuia remedia, nec cauterium curare potuerint, excommunicari velit, non tam vt ipſe ſanetur, quàm ne ipſe iam deſperatus alios putredinis ſuę cõtagione *& exemplo ſuæ perditionis inficiat.* Quod ſi, vt ex iſtis poſtremis verbis ita ſe habere patet, non de medicinali, vt eam S. Auguſtinus, excommunicatione, ſed de ea, quæ anathema dicebatur, Proſper loquitur, quàm nihil ad rem noſtram & quæſtionem dicas, intelligis. Atenim addit S. Proſper.

Porro illi, quorum peccata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & vltorem. Et quid eis prodeſt humanum vitare iudicium, cum ſi in malo ſuo permanſerint, ituri ſint in æternum Deo tribuente ſupplicium. Quod ſi ipſi iudices fiant, & veluti iniquitatis ſuæ vltores, hîc in ſe voluntariam pœnam ſeueriſſimæ animaduer- XIX.

ſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtingnent æterna ignis incendia. Sed quid inde pro aduerſariis colligas? Lego ſeueriſſimam animaduerſionem, lego iudicium, quod peccatores ipſi in ſe exerceant, lego confeſſionem, emendationem, pœnas temporales, lacrymas ex vera cordis compunctione fluentes, at de excommunicatione, aut ab Euchariſtia pœnitentis ſeparatione iuridica, & per antiſtites imperata ne quidem verbulum, aut vocula vlla in toto hoc ſermone legitur. *At hi qui in aliquo gradu Eccleſiaſtico conſtituti aliquod occultè crimen admittunt, ipſi ſe vana perſuaſione decipiunt, ſi eis videtur propterea communicare, & officium ſuum implere debere, quod hominis occultatione ſui criminis fallunt.* Enimuerò quis hoc etiamnum obſeruandum neget, aut non damnet presbyterum, qui aliquo mortali peccato obſtrictus, antequam ab eo per pœnitentiam Sacramentalem mundatus ſit, Euchariſtiam ſumere, aut vllam muneris ſui partem obire, & Sacramenta miniſtrare audeat? *Exceptis enim peccatis, quæ tam parua ſunt, vt caueri non poſſint, illa crimina caueantur quæ publicata ſuos authores humano faciunt damnari iudicio.* Non immeritò, dicet aliquis, Proſperum non intelligere quoduis peccatum veniale, ſed tantum illa crimina quæ publicata *ſuos authores humano faciunt damnari iudicio. Qui autem ea commiſerint, & ideo prodere metuunt, ne ſententiam iuſtæ excommunicationis accipiant, ſine cauſa*

communicant, imò verò dupliciter contra ſe iram diuinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei iudicio abſtinere ſe ab altari propter homines erubeſcunt. quapropter Deum ſibi faciliùs placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, ſed vltrò crimen cognoſcunt, qui aut propriis illud confeſſionibus produnt, aut neſcientibus aliis quales occulti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari, cui miniſtrabant, non animo ſed officio ſeparati vitam tanquam mortuam plangunt, certi quod reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non ſolùm amiſſa recipiant, ſed etiam ciues ſupernæ ciuitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perueniant.

Hæc quidem S. Proſper, at quæ aduerſariis nullo prorſus modo fauent, nec probant tunc temporis cuiuſlibet peccati mortalis etiã ſecreti, & occulti reum antequam ad Euchariſtiam accedere poſſet, per ſacerdotem miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ excommunicatum, eiuſque ſententia prohibitum à communione, deinde poſt ſatisfactionem publicam pœnitentiámque ſaltem ſemeſtrem, & vt quàm breuiſſimam peractam Sacramentaliter abſolutum fuiſſe; ita vt nulla tunc pro peccatis mortalibus pœnitẽtia Sacramentalis alia quàm publica in vſu fuerit. Hæc enim eſt quæſtio, & controuerſia ad quam dirimendam ſpectare oportet, quæcumque ab aduerſariis argumenta teſtimoniáque afferuntur. Quod autem ad XX.

eam nihil eorum quæ ex S. Proſpero relata ſunt pertineat, oſtenditur primò, quia S. Proſper loquitur de presbytero, qui pro criminibus ſuis publicam illam pœnitentiam non agebat; Vnde cùm certum ſit eadem pœnitentia Sacramentali quemlibet in peccatum mortale lapſum poſt baptiſmum, ſiue laicum, ſiue clericum omninò indiguiſſe, nec publica cui presbyter ſubdi non poterat, nec iſta presbyteri excommunicatio qualiſcumque tandem fuerit, Sacramentalis aut Sacramento pœnitentiæ annexa eſſe potuit. Secundò S. Proſper loquitur de presbytero, qui commiſerit *ea quæ publicata ſuos authores humano faciunt damnari iudicio*. At certum eſt eiúſmodi non eſſe peccata cogitatione, aut mente ſola admiſſa. Quis enim vnquam iudex humanus iudicio ſuo, & ad pœnam aliquam damnet eum, qui aliqua cogitatione turpi delectatus eſt? Nonne Lutheranum eſt exiſtimare ea ſola per pœnitentiam peccata expiari oportere, quæ in foro humano ſiue profano, ſiue etiam Eccleſiaſtico pœna aliqua afficiuntur? Et tamen id omnino dicendum aduerſariis eſt, ſi S. Proſperum de materia Sacramenti pœnitentiæ neceſſaria loqui volunt. Quare cùm non omnia mortalia etiam *publicata authores ſuos humano faciant damnari iudicio*, nec ea presbyter prodere metuat, niſi *quia ſententiam iuſtæ excommunicationis* accepturus eſſet, inde potiùs efficitur, non omnia, ſed tantùm aliqua peccata mortalia publica, & grauiora excommunicatione illa punita fuiſſe. Quis autem

ignorat nonnulla eſſe crimina etiam occulta ob quæ presbyter fiat irregularis? huiuſmodi enim homicidium eſſe nemo ambigit. Tertiò presbyter ille nullo humano iudicio conuictus de ſcelere eiuſmodi monetur, vt ipſe in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferat. Hæc igitur excommunicatio nequit eſſe Sacramentalis, aut etiam illa qua ſolus qui abſoluere, idem & ligare pœnitentem poteſt, eſt que hîc ſermo de pœnitentia voluntaria, & ſponte ſuſcepta, non imperata. Idque quartò probatur, quia ad eam peccatorem Proſper, vt Deum faciliùs ſibi placet, ac conſequenter tanquam vtilem, nôn autem omnino neceſſariam, cuiuſmodi pœnitentia Sacramentalis omni peccanti mortaliter ſemper fuit, hortatur. Et quis, amabo, catholicus vnquam dixerit Chriſtiano, aut presbytero in peccatum mortale lapſo pœnitentiæ tribunal adeundum eſſe, vt in eo *Deum faciliùs ſibi placet?* At idipſum de illa pœnitentia ad quam Proſper presbyterum lapſum hortatur, dicit. Non igitur Sacramentalis fuit, ſed alia qua ſuffragiis Eccleſiæ, & piis operibus veræ & efficacis pœnitentiæ fructibus miſericordiam Dei ſibi conciliet.

CAPVT X.

Totius diſſertationis ſumma probatur ex Hugone Victorino, & Hincmaro Remenſi.

I. Mevm in hac diſſertatione conſilium fuit oſtendere pœnitentiam publicam, & quæ in canonibus deſcripta, præceptáque inuenitur, ſemper à Sacramentali diuerſam fuiſſe, idque volui conficere argumento ex vtriuſque propria materia deſumpto. Euici enim, vt opinor, teſtimoniis Patrum eorumdem, quos, qui aliter opinantur, proferunt, pœnitentiam illam canonicam olim non pro quibuſlibet mortalibus peccatis, ſed pro quibuſdam duntaxat publicis videlicet, & quæ Eccleſiæ ſcandalo erant impoſitam, ſeu imperatam fuiſſe. Id vt efficerem, & aduerſariorum argumentis occurrerem, imprimis multiplicem pœnitentiam publicam in vſu fuiſſe oſtendi, deinde addidi quandam aliam ſolennem, in qua qui verſabantur voto quodam perpetuo obſtricti viuebant ſub cura religioſorum, eiuſque ſtatus priuilegio ab illis pœnitentium publicorum pœnis liberi communionis Eccleſiaſticæ perfectiſſimæ erant participes. Præterea probaui quoties alicui pœnitentia publica imperata eſt,

eius crimen pro quo illa fiebat, vel toti populo, vel certè illis qui pœnitentiæ conſcij erant manifeſtatum, & exomologeſi publica indicatum fuiſſe. Cúmque peccata alia de ſe venialia, alia mortalia à Patribus diſtincta ſint, certúmque ſit ex Chriſti inſtitutione pro quolibet mortali expiando neceſſariam ſemper fuiſſe pœnitentiam Sacramentalem, tandem, qui totius diſſertationis Scopus mihi fuit, oſtẽdi pœnitentiam canonicam non niſi pro publicis, iiſque grauioribus tantùm criminibus imperatam fuiſſe, ſiue duodecim primis ſæculis, quæ fuit prior aduerſariorum epocha, ſiue etiam octo tantùm prioribus, quam poſteriorem antiquæ in pœnitentia agenda diſciplinæ & vſus epocham ijdem notarunt.

II. Prioris epochæ aſſertionem Hugo Victorinus qui duodecimo ſæculo vixit, diſertiſſimè refellit, ſiquidem tanquam ætate ſua notiſſimam & vſu receptiſſimam hanc doctrinam tradit ſummæ ſentent. tract. 6. cap. 12. *Solennis pœnitentia dicitur, quæ fit in manifeſto extra Eccleſiam ſcilicet, quæ de grauibus peccatis tantùm iniungitur; & de iis qui manifeſtè Eccleſiam læſerunt. Et olim illa pœnitentia non iterabatur, & adhuc quidẽ in quibuſdã Eccleſiis hoc ſeruatur pro reuerentia Sacramenti, nec iniungitur illa ſolennis pœnitentia iterùm criminaliter peccanti, ſed datur aliquod conſilium.* Quod Hugo ait illam non fuiſſe iteratam pro reuerentia Sacramenti, non idcirco exiſtimat eam eſſe Sacramentalem, cuiuſmodi nunc intelligitur, alioqui nunc Sacra-

mentalis iterata non fuiſſet, quod vt ibidem refellat, ſolemnis illius meminit; Sed aliud nihil vult quàm ſolennem illam fuiſſe Sacramentum, ſeu ſignum eiectionis illius, qua Adam ex Paradiſo expulſus eſt, quod quia ad rem noſtram non facit, omitto, ſatiſque mihi eſt, quod Hugo eam quæ publicè fiebat pœnitentiam, non niſi de grauibus peccatis, quæque Eccleſiam manifeſtè læſerant, iniunctam fuiſſe, dicit, quod diſputationis noſtræ argumentum eſt.

III. Poſteriorem aduerſariorum epocham octo primis ſæculis definitam æquè refellit Hincmarus Remenſis temporis illius teſtis locupletiſſimus, qui in tract. de diuortio Lotharij & Tetbergæ interrog. 5. ſic loquitur. *A communione viuifica*, ſcilicet Euchariſtiæ, *peccantes publicè grauibus criminibus, quæ leges condemnant publicè, medicinali ferramento ſacerdotes abſcidunt, & poſt ſatisfactionem, vt congruere viderint, ſalutari refectione redintegrare procurant. Quoniam Eccleſiæ medici ſpirita'es, videlicet Domini ſacerdotes, de ſecretè ſibi confeſsis peccatorum infirmitatibus medicinalia atque ſalubria poſſunt dare conſilia: indicio autem Eccleſiaſtico, id eſt, ſeparatione à communione* Eccleſiæ, *vel à gradu, ſiue à conſortio coniugali, neminem rationabiliter poſſunt ſecernere, niſi de criminibus aut publicè ſpontè confeſſum, aut opertè conuictum. Et habet modum & ordinem ſuum confeſsio, vel conuictio in Eccleſiaſticis gradibus, quæ hic ponenda non ducitur: & habet modum ac*

ordinem ſuum publica confeſſio, vel conuictio ſæcularium hominum, quo publicè debeant iudicari. Non quò crimina grauia non ſoluantur etiam ſecreta confeſſione ac pœnitentia, ne infirmi in Eccleſia ſcandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitùs ignorant cauſas: ſed quod plurimorum conſtat perpetratum notitia, fiat ſanatum ſcientia, & qui in Eccleſia peccauit ſinceritatem, illi debitam exhibere ſtudeat ſatisfactionem, & qui plures quantùm ex ſe fuit, ſuo deſtruxit exemplo, plures ſanet ſuæ humilitatis antidoto, ſicut de ſe Paulus dicit. Qui priùs fui blaſphemus & perſequutor, & contumelioſus. Et videbant, inquiens, quoniam qui priùs expugnabat hanc fidem, iſdem nunc eam prædicat, & in me glorificabant Deum. Eſt etiam vt qui in pluribus offendit, pluribus pro eo Dominum deprecantibus citiùs remedium conſequatur. Idque probat ex S. Gregorij Epiſt. 32. lib. 12. ad Felicem Sicilienſem Epiſcopum.

Ex his intelligitur temporis illius vſus ac diſciplina, atque imprimis ab Hincmaro agnoſcitur duplex excommunicatio, altera mortalis, altera medicinalis, nec enim medicinale ferramentum appellaret, niſi ſciret aliud eſſe, quo membrum putre penitùs abſcinditur, non ſanatur. Secundò ait hoc pœnæ genere non animaduerti niſi in peccantes publicè grauibus criminibus, quæ leges condemnant publicè. Tertiò id ita fieri vult, vt neget quemquam rationabiliter poſſe ſecerni, vel de gradu deiici ſeu deponi, ſi clericus eſt, vel excom- IV.

municatione plecti, ſi laicus eſt, niſi de criminibus, aut publicè ſponte confeſſum, aut apertè conuictum. Quartò cum publica pœnitentia criminis publicam confeſſionem ſemper coniunctam fuiſſe ait, ſi ea Eccleſiaſtico iudicio imperata fuit, ita tamen vt non fuerit eadem clericorum, & laicorum iudicij, confeſſionis, conuictioniſque ratio. Quintò hanc criminum grauiorum & publicorum pœnitentiam publicam diſtinguit à ſecreta confeſſione & pœnitentia, videlicet Sacramentali, quaque illa crimina grauia ſoluebantur itaut publica illa pœnitentia non eſſet inſtituta pro illorum ſolutione, ſeu remiſſione coràm Deo, ſed ob alia commoda quæ recenſet. Sextò enim tres pœnitentiæ publicæ agendæ rationes & cauſas affert, prima eſt, vt tollatur Eccleſiæ ſcandalum, quodque plurimorum conſtat perpetratum notitia, fiat ſanatum ſcientia. Secunda eiuſdem Eccleſiæ ædificatio, & vt quos ille peccator exemplo ſuo deſtruxerat, quantùm in ſe fuerat, eoſdem atque alios plures ſanaret ſuæ humilitatis antidoto, aut etiam à peccato ſimili deterreret. Tertia eſt, vt pœnitens Eccleſiæ ſuffragiis citius remedium, & pœnæ quæ exoluenda ſupereſt, remiſſionem acciperet. Denique Hincmarus inſinuat ſacerdotes de ſecretè ſibi confeſſis peccatis ſalubria conſilia dare poſſe, ſeu conſulere, vt eorum rei ſpontaneam pœnitentiam illam agant, adeo vt probabile ſit ibi eam quam nos ſuperiùs docuimus poenitentiam publicam, alteram ſpontaneam, & petentibus

conceſſam, alteram imperatam intelligi. Sed vt hæc probabilia ſint, aut omninò dubia, id vnum, quod in quæſtione poſitum eſt, certum ac exploratum efficitur, neminem rationabiliter ſecerni, aut publicę pœnitentiæ ſubdi iudicio Eccleſiaſtico poſſe, niſi peccantem publicè, & de grauibus criminibus, quę leges publicè condemnant, aut ſponte confeſſum publicè, aut apertè conuictum.

DISSERTATIO SECVNDA.

DE ABSOLVTIONE POENITENTIÆ SACRAMENTALIS ET ECCLESIAſticæ duplice ac diuerſa.

CAP. I.

Quæ in iſta diſſertatione tanquam certa ſupponenda, & quæ probanda ſunt.

I. MEVM in hoc opere conſilium eſt pœnitentiam Sacramentalem ab Eccleſiaſtica diſcernere; cúmque pœnitentię Eccleſiaſticæ diſciplina multiplex & varia ſemper fuerit, nec quæ olim ea modò vigeat, Sacramentalem nihilominùs eodem ſemper modo in Eccleſia adminiſtratam, nec aliam vnquam fuiſſe quam quæ nunc eſt, non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad ritus & cære monias præcipuas oſtendere. Id ego in priore diſſertatione probaui argumento ex materia vtriuſque pœnitentiæ, ſeu peccati ob quæ vtraque à Chriſto vel Eccleſia præcepta fuit

petito;

petito ; nunc idipſum confirmo argumento altero ex eiuſdem vtriuſque forma, ſeu abſolutione deſumpto, quod eò efficacius ac certius eſt, quòd cùm rerum inter ſe diuerſarum eadem materia eſſe queat ; nec vna diuerſarum, nec varia earumdem ſpecierum forma eſſe poteſt. Ex hac enim vniuſcuiuſque rei definitio & eſſentialis ratio petitur, & quælibet vel tenuiſſima per additionem aut detractionem ſiqua fieri poteſt, varietas in forma rei aut facta, aut etiam intellecta totam eiuſdem rei eſſentiam mutat.

Cùm autem vt in ſuperiore diſſertatione probaui, atque in hac ipſa, vt ſpero, iterum probabo, duplex olim in Eccleſia fuerit pœnitentia pro peccatis; altera Sacramentalis, altera Eccleſiaſtica, quæ pars in vtraque formæ rationem habet, abſolutio eſt. In Eccleſiaſtica id facilè probari poteſt, ex eo quod ea vltimo loco & ad reliquas iã præſuppoſitas partes adiuncta ponitur ab antiſtite, ſeu eo qui pœnitentiæ illi præficitur, & per abſolutionem pœnitens liber, & à vinculo quo obſtrictus tenebatur ſolutus dimittitur, qui eſt pœnitentiæ cuiuſlibet finis, quem cum forma genita eundem, aut certè hac poſita exiſtere philoſophi docent, quemadmodum quæ cauſa generat ignem, cùm eius formam in materiam impreſſit, operationis ſuæ finem aſſequuta quieſcere dicitur. II.

At in Sacramento pœnitentiæ forma, vt docet Tridentinum Seſſ. 14. cap. 3. poſita eſt in his miniſtri, ſeu ſacerdotis verbis; Ego te ab- III.

ſoluo, &c. ita vt quæ ante aut poſt illam propoſitionem de Eccleſiæ ſanctę more preces laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamen formę eſſentiam nequaquam ſpectent, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſint neceſſariæ. Ea porro abſolutio ita in verbis illis po ſita eſt, vt nec nutu, nec ſcripto concepta, aut abſente reo voce prolata ſit valida, quantumuis in foro Eccleſiaſtico, aut etiam ſæculari reus abſens ſcripto validè abſolui poſſit. Clemens enim VIII. die XIX. Iulij anno 1599. aut vt alij notant anno 1603. nonnullorum Theologorum propoſitionem hanc, *licecere per litteras ſiue per internuntium confeſſario abſenti Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus vti falſam, temerariam & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit,* præcepítque ſub excõmunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſibíque reſeruata, *ne deinceps iſta propoſitio publicis priuatíſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, nene vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut adpraxim quouis modo deducatur,* vt inter cæteros Theologos Suares in tractatu de pœnitentia Diſp. 19. Sect. 3. refert, & aduertit iſto ſummi Pontificis decreto abſolutionem Sacramentalem abſenti datam non tantùm vt illicitam, ſed etiam tanquam inualidam proſcribi, ac licet quia propoſitio copulatiua eſt, & non ſolùm abſolutionem, ſed etiam confeſſionem abſenti factam complectitur, & fortè aliquis cauillatus dicere poteſt neutram diſiun-

ctiam damnari, nihilominùs tamen omnino certum videtur abſolutionem ſcriptis aut pœnitenti abſenti datam, nullam eſſe. Idque primum in hac diſſertatione ponendum, & ab iis quibuſcum diſputo, vt pote catholicis, concedendum eſt.

IV. Secundo ſtatuendum eſt ex eodẽ Tridentino in canone 9. & 10. & cap. 6. *Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, ſed eſſe actum iudicialem, & ſententiã qua ille eum qui in peccato eſt, verè coram Deo abſoluit, hancque poteſtatem remittendi peccata habere Sacerdotem per virtutem Spiritus ſancti in ordinatione ſibi collatã velut Chriſti miniſtrũ.* Quare tam repugnat alium non Sacerdotem Sacramentali abſolutione peccata remittere poſſe, quàm pugnat ordinationem ſacerdotij ab aliis ſacris ordinationibus non diſtingui, aut per eas ſuppleri poſſe: quare quæ abſolutio per diaconum quocumque tandem modo conferri poteſt, ea Sacramentalis nullo prorſus modo eſſe poteſt, & ſiqua abſolutio, aut reconciliatio de ſe, deque natura ſua peccatorem iam iuſtificatum eſſe poſtulat, quia eum de facto non iuſtificat primùm, nec de peccatore iniuſto, Deique inimico, iuſtum, amicum Dei & filium non facit, eam Sacramentalis pœnitentiæ formam eſſe negandum eſt cùm enim quidquid Sacramentum pœnitentiæ eiuſque miniſter ſacerdos in iuſtificatione impij & poſt baptiſmum lapſi in peccatum mortale facit, id per abſolutionem

formamque illius faciat, quia vt ait Trident. Seſſ. 14. cap. 3. in forma *vis eiuſdem Sacramenti præcipuè ſita eſt*, niſi hæc primam peccatoris iuſtificationem, & cum Deo reconciliationem faciat, non autem de ſe, ſed ad ſummum per accidens ſupponat, omninò verum non eſt per Sacramentum pœnitentiæ *qui ab accepta per baptiſmum gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poſſe, Deóque excitante, & merito Chriſti, amiſſam gratiam recuperare*, vt docet Trident Seſſ. 6. cap. 14. de quo poſtea diſputandum, & quantum neceſſe erit ſi quid vacillat, confirmandum erit.

V. Tertio admittendum eſt per Sacramentalem abſolutionem ipſa quoque venialia peccata remitti poſſe, licet qui eorum duntaxat reus eſt, ex Chriſti præcepto non teneatur ea clauibus Eccleſiæ ſubiicere, & confiteri, quia abſque Sacramento pœnitentiæ re ſuſcepto, aut eius voto, ſi ſola, nec cum mortali vllo crimine coniuncta ſunt, per alia remedia curari & expiari poſſunt. Quapropter nunquam venialia, ſicut mortalia dicuntur remitti non poſſe niſi per Sacramentum pœnitentiæ vel re, vel voto ſuſceptum. Hæc doctrina habetur ex Tridentino, quod Seſſ. 14. canone 7. dicit Anathema in eum qui dixerit *non licere confiteri peccata venialia*, & cap. 5. *venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, rectè & vtiliter citráque omnem præſumptionem in confeſſione dici*. Vnde conficio Sacramentum pœnitentiæ huius abſolutionem de ſe nullo modo ſupponere ve-

nialia iam remiſſa per contritionem, aut attritionem. Nec enim alioqui ea verè ac propriè remitteret, & expiaret, idque ab omnibus Catholicis fatendum eſt fieri, cum peccator mortalia ſimul & venialia peccata habet, eáque confeſſus ab illis omnibus per abſolutionem Sacramentalem liberatur.

Quartò dicendum eſt peccatorem, qui quoquo modo in Eccleſia abſoluitur, eum aliquo vinculo ligatum teneri. Nec enim vlla niſi alicuius vinculi ſolutio intelligi, nec niſi quis ligatus ſit, abſolui & liberari poteſt. Quare quot peccatoris vincula eſſe poſſunt, tot etiam abſolutiones eſſe fatendum eſt, & quę vincula illius à ſe inuicem ſeparari poſſunt, eorum quoque abſolutiones varias eſſe, quæque ſeiungi queant, & vnam abſque alia fieri, fatendum eſt. VI.

Quamobrem ne quæ multiplices peccatoris in Eccleſia abſolutiones ſunt, miſceantur, earúmque vis & efficacia maximo cum veritatis detrimento, erroribuſque, vt poſtea conſtabit, periculoſiſſimis confundatur, in hac diſſertatione imprimis diſputandum eſt quænam, & quotuplicia ſint peccatoris vincula, quàm multiplices eiuſdem abſolutiones, & cum Deo, Eccleſiáque reconciliationes, quæ quia per manuum impoſitiones tanquam per ſigna aliqua fieri olim ſolitę ſunt, idcirco quænam hæ & quotuplices in peccatorem vſurpatæ fuerint, exquirendum erit. Quia vero manifeſtiſſimè, vt ſpero, oſtendam abſolutiones eas multas fuiſſe, ac potiſſimùm vnam aliquam, quæ non niſi in publica pœnitentia poſt totam VII.

ſatisfactionem peractam, aut certè indulgentiam ob aliorum ſuffragia conceſſam peccatori per ſolemnem manum Epiſcopi, aut de expreſſa eius licentia in mortis diſcrimine preſbyteri, vel diaconi tribuebatur, controuerſiæ & diſſertationis huius ſumma, & caput eſt, an abſolutio eiuſmodi Sacramentalis, quæque Sacramenti pœnitentiæ forma dicitur, fuerit ad peccatorem à culpa ipſa mortali liberandum inſtituta. Id affirmant recentiores quidam Doctores contra quos pugno, contendóque eam abſolutionem nunquam Sacramentalem fuiſſe, nec peccatoris cum Deo, ſed cum Eccleſia reconciliationem: per eam pœnitentem ſolutum fuiſſe, & liberatum, non à reatu culpæ, aut pœnæ æternæ, ſed à vinculo excommunicationis, quo eundem Eccleſia ligauerat, aut etiam à reatu pœnæ temporalis, per applicationem ſuffragiorum, quo modo antiſtites à peccatis abſoluunt eum cui indulgentias concedunt. Id verò conabor euincere argumentis, quæ depromam ex vtriuſque abſolutionis cauſis omnino diuerſis, finali, efficiente, materiali, & formali. Licet enim abſolutio quæ ipſa Sacramenti pœnitentiæ forma eſt, cauſam formalem nullam propriè habeat, ea tamen definiri, aut per quaſdam proprietates ſuas deſcribi poteſt, eſtque peccatoris iuſtificatio, in deperditum gratiæ ſtatum reſtitutio, neceſſaria ad Euchariſtiam diſpoſitio, haſque & ſimiles eiuſdem abſolutionis rationes ad cauſam ipſius formalem, aut certè rationem refero, & ita appello.

CAP. II.

De multis variiſque peccatorum vinculis.

SECTIO PRIMA.

Vinculum peccati duplex, & quod prioris generis illi ſemper adnexum eſt, explicatur.

VINCVLVM peccati hîc ſumitur pro neceſſitate aliqua, ſeu obligatione peccatoris ad damnum aliquod, detrimentum, incommodúmque patiendum in vindictam peccati ſponte & liberè admiſſi. Quæ obligatio ſeruilis eſt, & opponitur libertati, cuius detrimentum pati meretur, qui peccans ea abuſus eſt. Quare qui vinculo peccati aliquo obſtrictus tenetur, is aliquam libertatis ſuæ iacturam patitur, nec ea aut omninò, aut certè licitè, & abſque vlla noua culpa agere poteſt, quæ eo vinculo ſolutus poſſet; nec fortè vinculum peccati reatus malè appellatur. Illud autem vinculum peccati mortalis (de quo hîc maximè agitur) in genere duplex eſt; vnum quo peccans ipſe I.

Digitized by Google

per peccatum ſe obligat, quod idcirco peccatũ omne mortale comitatur, & omnem peccati reum afficit; alterum eſt Eccleſiaſticum, quia non niſi per Eccleſiam peccanti inijcitur, & quantumnis peccati reus ſit, niſi tamen Eccleſiæ antiſtites ita velint, eo vinculi genere non obligatur.

II. Prioris generis vinculũ omni peccato mortali annexũ in vniuerſum quadruplex intelligi poteſt. Primum eſt reatus culpæ; ſecundum reatus pœnæ æternæ; tertium eſt quoddam genus excommunicationis, quâ peccator à ſacris, ac potiſſimùm ab Euchariſtia arceri meretur; quartum eſt reatus pœnæ temporalis, in quam vbi culpa deleta eſt, pœna æterna cõmutatur. Reatus culpæ, & pœnæ æternæ ſæpiùs meminerunt Doctores, & Tridentinum Seſſ. 6. cap. 14. culpæ, & pœnæ æternæ cum ea ſemper remiſſæ mentionem facit: quodque aliqua participationis ſacrorum indignitas peccatum omne mortale comitetur, in ſuperiore diſſertatione dixi, & hac potiſſimùm notâ peccatum mortale à S. Auguſtino ſignificari obſeruaui Caue autem nonnullorum, vt audio, recentiorum errorem, qui hoc interdictum, & ſeparationem à ſacris non ſolùm ad Sacramenta percipienda, ſed etiam ad alia Chriſtianæ religionis munera extendunt, & ab audienda Miſſa reùm peccati mortalis arcendum putant; quod quàm temerarium atque adeo erroneum ſit, nemo paulò intelligentior non videt. Nec iſta participationis Sacramentorum indignitas eſt vinculum Eccle-

ſiaſticum, iuriſque, vt aiunt, humani, ſed diuini, eſtque à Chriſto Domino præceptum communicare volenti, vt *probet ſeipſum*, quemadmodum Trident. Seſſ. 13. cap. 7. docet.

Quartum autem vinculum, ſeu pœnæ temporalis reatus non afficit eum, qui adhuc in peccati culpa verſatur. Is enim non temporalis, ſed æternæ pœnæ reus eſt, duóque illi reatus tam diuerſi ſunt, quàm pœnæ illæ, quas non ſola duratione, & diuturnitate, ſed etiam eſſentiâ differre abſque dubio exiſtimo. æterna enim inferorum eſt, & damnatis à Deo tanquam hoſte, & ex odij affectu, ac tanquam inimicis inflicta; temporalis verò eſt purgatorij; & quam ex iræ affectu à filiis quidem & amicis, ſed à quibus offenſus eſt, Deus exigit: quàm diuerſæ autem amici, & inimici, filij & hoſtis, iræ, & odij rationes ſunt, tam diuerſas pœnam æternam, & temporalem, earúmque reatus eſſe oportet. Præterea ſi quis per baptiſmum culpæ remiſſionem accipit, is etiam à reatu pœnæ cuiuſuis liberatur, non ita verò ſi vel abſque baptiſmo ſuſcepto eiuſdem voto, aut etiam poſt baptiſmum lapſus per pœnitentię Sacramentum iuſtificatur, niſi hæc pœnitentia perfecta ſit, & condignam pœnitentis ſatisfactionem, ſeu condignos fructus ſuos habeat, vt ex Tridentino Seſſ. 6. cap. 14. & Seſſ. 14. cap. 2. 3. & 8. habetur. III.

Sectio Secunda.

Poſterioris generis vinculum, quo peccans obligari poteſt, Eccleſiaſticum exponitur.

IV. Poſterionis generis ſeu Eccleſiaſticũ peccatoris vinculũ eſt in vniuerſum duplex, alterũ fori pœnitentialis, & interni; alterum fori externi, & diſciplinæ pœnitentiæque politicæ Prius eſt pœnitentia, ſeu ſatisfactio à ſacerdote confeſſario iniuncta pœnitenti, quam niſi iſte acceptet, ſéque facturum promittat, & obliget, non abſoluitur, quamque niſi poſtea, ſi poteſt, exequatur, peccat. Quamobrem ea tanquam vinculo quodam ſibi impoſito peccator ligatur, eiúſque reus fit, & debitor, deque hoc vinculo intelligitur, quod aiunt Patres, neminem pœnitentem à ſacerdote abſolui, niſi qui ab eodem priùs ligatus fuerit, quodque Tridentini Seſſ. 14. cap. 8. & can. 15. *Claues ſacerdotum datas non ad ſoluendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas eſſe docent.* Quod enim hoc de ſatisfactione impoſita vinculum intelligant, clariſſimum eſt ex eo quod inde conficiunt, *Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, non agere contra finem clauium, & contra inſtitutionem Chriſti.* Quodque hæc pœnitentia iniuncta vinculi obligantis rationem habeat, & non tan-

tùm medicamenti, ijdem Patres cap. illo 8. docent, cùm aiunt *hanc ſatisfactionem, quam ſacerdotes imponunt, non eſſe tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Quamobrem de hac ſatisfactione perperàm ſentiunt, qui eam cum faſciis, quibus vulnus ſaucij chirurgus ligat, aut etiã cũ pharmaco, vi cuius vulnus illud ſanat, aut cicatricem & partem poſt vulnus ſanatum debiliorem fouet, ita comparant, vt in foro pœnitentiæ non tam iudicis caſtigantis, quàm medici morbos curantis partes ſacerdoti tribuant. Hæc enim erga peccatorem munera director conſcientiæ virque doctus, prudens, & pius etiam non ſacerdos præſtare poteſt abſque vlla ordinis, aut iuriſdictionis poteſtate, ſine qua vtraque nemo pœnitentem hoc vinculo ligare poteſt.

Ac licet hoc peccatoris vinculum diuinum dici queat, déque Chriſti Domini inſtitutione, quia ille nonniſi cum eo pœnitentem Sacramentaliter abſolui voluit, Eccleſiaſticum tamen à me dicitur, quia Eccleſiæ miniſter, ſeu confeſſarius pro ſua prudentia illud applicat, atque adeo determinat, nec niſi ab eo ſibi impoſitum ſubire pœnitens tenetur, quod de aliis ſuperiùs explicatis vinculis dici non poteſt. V.

Alterum Eccleſiaſticum vinculum à doctoribus cenſura dici ſolet, eſtque potiſſimum excommunicatio duplex maior, vel minor, quam vtramque antiſtes, ſeu prælatus Eccle- VI.

ſiæ ſola iuriſdictionis authoritate fretus infligere poteſt. Maior quæ cum anathemate eadem eſt, dicitur peccatoris ſeparatio à communione Eccleſiæ quoad Sacramenta, publica ſuffragia, atque fidelium conuictum; Minor verò per ſe ſolùm priuat peccatorem vſu paſſiuo, ſiue ſuſceptione Sacramentorum eáque obſtrictus adhuc aliorum Eccleſiæ beneficiorum nimirum ſuffragiorum ſatisfactionũ, quæque communio ſanctorum ſeu Eccleſiæ communia habet particeps eſt. Vtriuſque excommunicationis mentio fit in hoc cap. penult. de Sent. excomm. *Siquem ſub hac forma verborum illum excommunico, vel ſimilia à iudice ſuo excommunicari contingat; dicendum eſt eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, ſed etiam maiori excommunicatione, quæ à communione fidelium ſeparat, eſſe ligatum.* Et gloſſa capituli illius, ſicut & cap. vlt. de cler. excomm. maiorem excommunicationem vocat anathema, quod ab excommunicatione ſeu communionis priuatione ſcilicet minore diſtinguit. Cõcilium Meldenſe quod anno 845. celebratum Tomo 3. Concil. Galliç refertur in hoc canone 56. in vj. quæſt. 3. *Nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa & manifeſta peccati cauſa communione priuet Eccleſiaſtica. Anathema autem ſine conſcientia Archiepiſcopi, aut coepiſcoporum prælata etiam Euangelica admonitione, nulli imponat, niſi vnde canonica docet authoritas; quia anathema æterna eſt mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi*

crimine, & illi qui non aliter potuerit corrigi. Cùm damnationem æternæ mortis anathema dicit, excommunicationem maiorem intelligit, quâ qui afficitur omni Eccleſiæ ope, & ſuffragio priuatus tanquam deſperatus & dãnatus habetur, non vero ita, qui ſola Euchariſtia priuatus ſuffragantem Eccleſiam, ſibíque opitulantem habet. At prætereundum non eſt quod concilium non pro qualibet peccati cauſa, eáque dubia, vel occulta, ſed tantummodò certa, & manifeſta quemquam communione priuari permittit, vetátque vllum feriri anathemate, niſi qui ita crimen mortale commiſerit, vt aliter corrigi ob ſuam contumaciam non poſſit. Et cap. Engeltrudam 4. quæſt. 4. Gratianus & Gloſſa excommunicationem ab anathematizatione ita diſcernit, vt illa minor ſit *& à fraterna ſocietate*, id eſt oſculo pacis, & communione Sacramentorum; anathema verò ab ipſo Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ſeu à communione fidelium ſeparet.

VIII. Vtriuſque huius excommunicationis vſus in antiqua Eccleſia fuit, vt ex his locis conſtat, & poſteà clarius fiet. Nunc addo neminem in Eccleſia niſi prælatum, ſeu Epiſcopum, aut eius authoritate præditum hoc vtriuſque excommunicationis vinculo quoſquã ligare poſſe. Id docent Canoniſtę, & S. Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 1. *Soluendi quod ligauit ius ſolis ſacerdotibus*, ſeu Epiſcopis. *permiſſum* ait, quod non niſi de iſto Eccleſiaſtico vinculo excommunicationis accipi poſſe

poſtea oſtendam, cùm cætera vincula aut Eccleſia non imponat, aut certè non ſoluat. Nec enim à ſatisfactione Sacramentali pœnitentem presbyter abſoluit, ſed eam ipſe pœnitens præſtat & à ſe repetitam pœnam dat, ſoluit, & facit ſatis, quem autem alterutra ex communicatione Epiſcopus plectit, & ligat, nemo alius niſi idem qui ligauit, aut certè ſuperior ſoluere poteſt.

Digitized by Google

CAPVT III.

De triplici peccatorum excommunicatione ab antiquis agnita.

EXcommunicationẽ voco omnem hominis ab Euchariſtia, quæ communio potiſſimùm dicitur, ſeparationem, ſeu ſtatum, in quo qui verſatur, Euchariſtiam licitè, & abſque peccato accipere non poteſt, niſi priùs ab eo vinculo, quo ligatus impeditur, per Eccleſiæ claues abſoluatur. Prima excommunicatio omnem peccati mortalis conſcium ligat, eſtque conſcientiæ ipſius peccatoris, ſecundâ & tertia Eccleſiaſtica eſt, illa minor, iſta maior, ſeu quæ anathema ſpeciali nomine dicitur, & quanquam vtráque hæc à canoniſtis medicinalis aliquando appellatur, ab antiquis tamen minor medicinalis, maior mortalis dicebatur; Ita S. Auguſtinus Homilia 50. cap. 4. loquitur, & Meldenſe Concilium ſuperiùs relatum *Anathema æternæ mortis damnationem appellat.* Minore pœnitentes tertij, quartíque gradus obſtricti tenebantur, maiore, non niſi qui in primo, aut etiam in ſecundo gradu iacebant, nunquam niſi acceptâ pœnitentiâ, & in tertio, aut quarto gradu conſtituti ad Sacramentũ Euchariſtię admittebantur: at I.

pœnitentes, quíque ſolo minoris excommunicationis vinculo impediti tenebantur, non ſolùm in mortis articulo viaticum Euchariſtiæ accipiebant, ſed etiam ſolennioribus feſtis diebus indulgentiâ ſibi factâ Euchariſtiæ participes facti eodem quo anteà communionis impedimento ligabantur, donec peracto pœnitentiæ tempore, aut indulgentia plenaria per legitimam, perfectam, & abſolutiſſimam cum Eccleſia reconciliationē, ad omnia quibus carebant Eccleſiæ numera, vel officia reſtituerentur. Prima excommunicatio nunquam niſi per Sacramentalem abſolutionem re, vel voto ſuſceptam ſublata eſt, aut tolli potuit; tertia per impoſitionem illam manus Epiſcopi, qua & pœnitentia data, & peccator in pœnitentiæ tertio illo gradu conſtitutus fuiſſe dicitur; Secunda verò non niſi per eam manuum impoſitionem, quæ abſolutè & ſimpliciter reconciliatoria poſt ſatisfactionem, & pœnitentiæ ſeu pœnæ totius ab eo qui pœnitentiam dederat impoſitæ ſolutionem data dicebatur, quam Sacramentalem nunquam fuiſſe in hac diſſertatione probandum ſuſcepi.

II. Nunc triplicis illius excommunicationis Patres meminiſſe probo. De excommunicatione illa prima S. Auguſtinus, in libro 20. de ciu. Dei cap. 9. loquitur, cùm monet Chriſtianum ad *reconciliationem currere, ſi forte per pœnitentiam, malámue conſcientiam quiſque à corpore Chriſti ſeparatus eſt*; Nec enim hac diſiunctione vteretur, niſi vtramque illam à Chriſti corpore ſeparationem, alteram per pœnitentiam,

pœnitentiam, alteram per malam conſcientiã agnoſceret. Et in Homilia 50. c. 14. de peccati mortalis reo, déque eius pœnitentia diſſerens, vt in prima diſſertatione fuſiùs diſputaui, monet peccatorem, vt antequam ad antiſtites ab iis ſatisfactionis ſuæ modum accepturus veniat & *ſi vtilitati Eccleſiæ id expedire. illis videbitur* pœnitentiæ in notitia nullorum, vel etiam totius plebis agendæ leges ſubeat, ipſe in ſe ſeueritatem exerat, vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Domino, & talem in ſe mente ſua ſententiam proferat, vt ſe indignum iudicet participatione corporis & ſanguinis Domini, & donec per cœleſtem diſciplinam, perque antiſtites per quos peccatori in Eccleſia claues miniſtrantur liberetur, pauliſper à viſibilibus ſanctis, ſeu Sacramentis ſua ipſius ſententia ſeparetur.

Secundam quoque & tertiam excommunicationem in eadem Homilia idem S. Pater intelligit, cùm medicinalem, mortalémque agnoſcit, & Epiſt. 75. apertè docet eum qui anathemati ſubijcitur, nec in morte ipſa Sacramenti vllius, aut communionis participem fieri. Auxilium enim Epiſcopum redarguit, quod domum Claſſiciani anathemate percuſſiſſet, quia ſic efficeretur, vt ſi eo tempore quo domus vniuerſa anathemati ſubdita erat, paruulus naſceretur, *non poſſet ei per lauacrum regenerationis in mortis periculo ſubueniri.* Idque ipſum in Tomo tertio Concil. Gall. habetur in Tullenſi ſecundo. In canone enim primo quem rerum ſacrarum peruerſo- III.

per peccatum ſe obligat, quod idcirco peccatũ omne mortale comitatur, & omnem peccati reum afficit; alterum eſt Eccleſiaſticum, quia non niſi per Eccleſiam peccanti inijcitur, & quantumnis peccati reus ſit, niſi tamen Eccleſiæ antiſtites ita velint, eo vinculi genere non obligatur.

II. Prioris generis vinculũ omni peccato mortali annexũ in vniuerſum quadruplex intelligi poteſt. Primum eſt reatus culpæ; ſecundum reatus pœnæ æternæ; tertium eſt quoddam genus excommunicationis, quâ peccator à ſacris, ac potiſſimùm ab Euchariſtia arceri meretur; quartum eſt reatus pœnæ temporalis, in quam vbi culpa deleta eſt, pœna æterna cõmutatur. Reatus culpæ, & pœnæ æternæ ſæpiùs meminerunt Doctores, & Tridentinum Seſſ. 6. cap. 14. culpæ, & pœnæ æternæ cum ea ſemper remiſſæ mentionem facit: quodque aliqua participationis ſacrorum indignitas peccatum omne mortale comitetur, in ſuperiore diſſertatione dixi, & hac potiſſimùm notâ peccatum mortale à S. Auguſtino ſignificari obſeruaui Caue autem nonnullorum, vt audio, recentiorum errorem, qui hoc interdictum, & ſeparationem à ſacris non ſolùm ad Sacramenta percipienda, ſed etiam ad alia Chriſtianæ religionis munera extendunt, & ab audienda Miſſa reum peccati mortalis arcendum putant; quod quàm temerarium atque adeo erroneum ſit, nemo paulò intelligentior non videt. Nec iſta participationis Sacramentorum indignitas eſt vinculum Eccle-

ſiaſticum, iuriſque, vt aiunt, humani, ſed diuini, eſtque à Chriſto Domino præceptum communicare volenti, vt *probet ſeipſum*, quemadmodum Trident. Seſſ. 13. cap. 7. docet.

Quartum autem vinculum, ſeu pœnæ temporalis reatus non afficit eum, qui adhuc in peccati culpa verſatur. Is enim non temporalis, ſed æternæ pœnæ reus eſt, duóque illi reatus tam diuerſi ſunt, quàm pœnæ illæ, quas non ſola duratione, & diuturnitate, ſed etiam eſſentiâ differre abſque dubio exiſtimo. æterna enim inferorum eſt, & damnatis à Deo tanquam hoſte, & ex odij affectu, ac tanquam inimicis inflicta; temporalis verò eſt purgatorij; & quam ex iræ affectu à filiis quidem & amicis, ſed à quibus offenſus eſt, Deus exigit: quàm diuerſæ autem amici, & inimici, filij & hoſtis, iræ, & odij rationes ſunt, tam diuerſas pœnam æternam, & temporalem, earúmque reatus eſſe oportet. Præterea ſi quis per baptiſmum culpæ remiſſionem accipit, is etiam à reatu pœnæ cuiuſuis liberatur, non ita verò ſi vel abſque baptiſmo ſuſcepto eiuſdem voto, aut etiam poſt baptiſmum lapſus per pœnitentię Sacramentum iuſtificatur, niſi hæc pœnitentia perfecta ſit, & condignam pœnitentis ſatisfactionem, ſeu condignos fructus ſuos habeat, vt ex Tridentino Seſſ. 6. cap. 14. & Seſſ. 14. cap. 2. 3. & 8. habetur. III.

Sectio Secunda.

Poſterioris generis vinculum, quo peccans obligari poteſt, Eccleſiaſticum exponitur.

IV. Poſterionis generis ſeu Eccleſiaſticū peccatoris vinculū eſt in vniuerſum duplex, alterū fori pœnitentialis, & interni; alterum fori externi, & diſciplinæ pœnitentiæque politicæ Prius eſt pœnitentia, ſeu ſatisfactio à ſacerdote confeſſario iniuncta pœnitenti, quam niſi iſte acceptet, ſéque facturum promittat, & obliget, non abſoluitur, quamque niſi poſtea, ſi poteſt, exequatur, peccat. Quamobrem ea tanquam vinculo quodam ſibi impoſito peccator ligatur, eiúſque reus fit, & debitor, deque hoc vinculo intelligitur, quod aiunt Patres, neminem pœnitentem à ſacerdote abſolui, niſi qui ab eodem priùs ligatus fuerit, quodque Tridentini Seſſ. 14. cap. 8. & can. 15. *Claues ſacerdotum datas non ad ſoluendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas eſſe docent.* Quod enim hoc de ſatisfactione impoſita vinculum intelligant, clariſſimum eſt ex eo quod inde conficiunt, *Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, non agere contra finem clauium, & contra inſtitutionem Chriſti.* Quodque hæc pœnitentia iniuncta vinculi obligantis rationem habeat, & non tan-

Digitized by Google

tùm medicamenti, ijdem Patres cap. illo 8. docent, cùm aiunt *hanc ſatisfactionem, quam ſacerdotes imponunt, non eſſe tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Quamobrem de hac ſatisfactione perperàm ſentiunt, qui eam cum faſciis, quibus vulnus ſaucij chirurgus ligat, aut etiã cũ pharmaco, vi cuius vulnus illud ſanat, aut cicatricem & partem poſt vulnus ſanatum debiliorem fouet, ita comparant, vt in foro pœnitentiæ non tam judicis caſtigantis, quàm medici morbos curantis partes ſacerdoti tribuant. Hæc enim erga peccatorem munera director conſcientiæ virque doctus, prudens, & pius etiam non ſacerdos præſtare poteſt abſque vlla ordinis, aut iuriſdictionis poteſtate, ſine qua vtraque nemo pœnitentem hoc vinculo ligare poteſt.

V. Ac licet hoc peccatoris vinculum diuinum dici queat, déque Chriſti Domini inſtitutione, quia ille nonniſi cum eo pœnitentem Sacramentaliter abſolui voluit, Eccleſiaſticum tamen à me dicitur, quia Eccleſiæ miniſter, ſeu confeſſarius pro ſua prudentia illud applicat, atque adeo determinat, nec niſi ab eo ſibi impoſitum ſubire pœnitens tenetur, quod de aliis ſuperiùs explicatis vinculis dici non poteſt.

VI. Alterum Eccleſiaſticum vinculum à doctoribus cenſura dici ſolet, eſtque potiſſimum excommunicatio duplex maior, vel minor, quam vtramque antiſtes, ſeu prælatus Eccle-

ſiæ ſola iuriſdictionis authoritate fretus infligere poteſt. Maior quæ cum anathemate eadem eſt, dicitur peccatoris ſeparatio à communione Eccleſiæ quoad Sacramenta, publica ſuffragia, atque fidelium conuictum; Minor verò per ſe ſolùm priuat peccatorem vſu paſſiuo, ſiue ſuſceptione Sacramentorum eáque obſtrictus adhuc aliorum Eccleſiæ beneficiorum nimirum ſuffragiorum ſatisfactionū, quæque communio ſanctorum ſeu Eccleſiæ communia habet particeps eſt. Vtriuſque excommunicationis mentio fit in hoc cap. penult. de Sent. excomm. *Siquem ſub hac forma verborum illum excommunico, vel ſimilia à iudice ſuo excommunicari contingat; dicendum eſt eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, ſed etiam maiori excommunicatione, quæ à communione fidelium ſeparat, eſſe ligatum.* Et gloſſa capituli illius, ſicut & cap. vlt. de cler. excomm. maiorem excommunicationem vocat anathema, quod ab excommunicatione ſeu communionis priuatione ſcilicet minore diſtinguit Cōcilium Meldenſe quod anno 845. celebratum Tomo 3. Concil. Gallię refertur in hoc canone 56. in vj. quæſt. 3. *Nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa & manifeſta peccati cauſa communione priuet Eccleſiaſtica. Anathema autem ſine conſcientia Archiepiſcopi, aut coepiſcoporum prælata etiam Euangelica admonitione, nulli imponat, niſi vnde canonica docet authoritas; quia anathema æterna eſt mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi*

crimine, & illi qui non aliter potuerit corrigi. Cùm damnationem æternæ mortis anathema dicit, excommunicationem maiorem intelligit, quâ qui afficitur omni Eccleſiæ ope, & ſuffragio priuatus tanquam deſperatus & dãnatus habetur, non vero ita, qui ſola Euchariſtia priuatus ſuffragantem Eccleſiam, ſibíque opitulantem habet. At prætereundum non eſt quod concilium non pro qualibet peccati cauſa, eáque dubia, vel occulta, ſed tantummodò certa, & manifeſta quemquam communione priuari permittit, vetátque vllum feriri anathemate, niſi qui ita crimen mortale commiſerit, vt aliter corrigi ob ſuam contumaciam non poſſit. Et cap. Engeltrudam 4. quæſt. 4. Gratianus & Gloſſa excommunicationem ab anathematizatione ita diſcernit, vt illa minor ſit *& à fraterna ſocietate*, id eſt oſculo pacis, & communione Sacramentorum; anathema verò ab ipſo Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ſeu à communione fidelium ſeparet.

Vtriuſque huius excommunicationis vſus in antiqua Eccleſia fuit, vt ex his locis conſtat, & poſteà clarius fiet. Nunc addo neminem in Eccleſia niſi prælatum, ſeu Epiſcopum, aut eius authoritate præditum hoc vtriuſque excommunicationis vinculo quoſquã ligare poſſe. Id docent Canoniſtę, & S. Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 1. *Soluendi quod ligauit ius ſolis ſacerdotibus*, ſeu Epiſcopis, *permiſſum* ait, quod non niſi de iſto Eccleſiaſtico vinculo excommunicationis accipi poſſe VIII.

CAPVT III.

De triplici peccatorum excommunicatione ab antiquis agnita.

Excommunicationẽ voco omnem hominis ab Euchariſtia, quæ communio potiſſimùm dicitur, ſeparationem, ſeu ſtatum, in quo qui verſatur, Euchariſtiam licitè, & abſque peccato accipere non poteſt, niſi priùs ab eo vinculo, quo ligatus impeditur, per Eccleſiæ claues abſoluatur. Prima excommunicatio omnem peccati mortalis conſcium ligat, eſtque conſcientiæ ipſius peccatoris, ſecundâ & tertia Eccleſiaſtica eſt, illa minor, iſta maior, ſeu quæ anathema ſpeciali nomine dicitur, & quanquam vtráque hæc à canoniſtis medicinalis aliquando appellatur, ab antiquis tamen minor medicinalis, maior mortalis dicebatur; Ita S. Auguſtinus Homilia 50. cap.4. loquitur, & Meldenſe Concilium ſuperiùs relatum *Anathema æternæ mortis damnationem appellat.* Minore pœnitentes tertij, quartíque gradus obſtricti tenebantur, maiore, non niſi qui in primo, aut etiam in ſecundo gradu iacebant, nunquam niſi acceptâ pœnitentiâ, & in tertio, aut quarto gradu conſtituti ad Sacramentũ Euchariſtię admittebantur: at 1.

pœnitentiam, alteram per malam conſcientiã agnoſceret. Et in Homilia 50. c.14. de peccati mortalis reo, déque eius pœnitentia diſſerens, vt in prima diſſertatione fuſiùs diſputaui, monet peccatorem, vt antequam ad antiſtites ab iis ſatisfactionis ſuæ modum accepturus veniat & *ſi vtilitati Eccleſiæ id expedire, illis videbitur* pœnitentiæ in notitia nullorum, vel etiam totius plebis agendæ leges ſubeat, ipſe in ſe ſeueritatem exerat, vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Domino, & talem in ſe mente ſua ſententiam proferat, vt ſe indignum iudicet participatione corporis & ſanguinis Domini, & donec per cœleſtem diſciplinam, perque antiſtites per quos peccatori in Eccleſia claues miniſtrantur liberetur, pauliſper à viſibilibus ſanctis, ſeu Sacramentis ſua ipſius ſententia ſeparetur.

Secundam quoque & tertiam excommunicationem in eadem Homilia idem S. Pater intelligit, cùm medicinalem, mortalémque agnoſcit, & Epiſt. 75. apertè docet eum qui anathemati ſubijcitur, nec in morte ipſa Sacramenti vllius, aut communionis participem fieri. Auxilium enim Epiſcopum redarguit, quod domum Claſſiciani anathemate percuſſiſſet, quia ſic efficeretur, vt ſi eo tempore quo domus vniuerſa anathemati ſubdita erat, paruulus naſceretur, *non poſſet ei per lauacrum regenerationis in mortis periculo ſubueniri*. Idque ipſum in Tomo tertio Concil. Gall. habetur in Tullenſi ſecundo. In canone enim primo quem rerum ſacrarum peruerſo- III.

Montaniſtarum Eccleſiæ excommunicationis, ſeu eiectionis. vt enim alibi ex eodem c. 7. oſtendimus, alia à tribus illis idololatriæ, homicidij & mæchiæ criminibus diuerſa peccata *reperta ſtatim cum gaudio emendationis tranſiguntur*, quæ eſt prima excommunicatio, ſeu vt cap. 11. ait, *caſtigatio* erat non *damnatio*, at adulteros, ita pœnitentiæ publicæ ſubditos fuiſſe ait, vt tamen *humanam pacem* non ſperarent, id eſt, reſtitutionem ad communionem Eccleſiaſticam, quæ erat Montaniſtarum hæreſis; ac demum tertiæ excommunicationis meminit, cùm ait *reliquas libidinum furias impias, & in corpora, & in ſexus vltra iura naturæ non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra*; carpitque Pſychicos ſeu catholicos, quòd tunc aduerſus mœchos indulgentiores relictis in rigore veteris diſciplinæ ſub anathemate idololatris, & homicidis, eos ſcilicet ad pœnitentiam admitteret aliquando pacem, ſeu communionem aſſequuturos, quam anathematizati, niſi prius pœnitentiam acciperent, non obtinebant. Hinc autem intelligitur quæ excommunicatio pœnitentiæ coniuncta erat, eam non fuiſſe maiorem, nec anathematis, idque facilè probatur ex multis canonibus, quibus anathemati ſubijciuntur, qui de quibuſdam criminibus pœnitentiam agere noluerint. legatur Iſaac Lingonenſis titulo 3. cap. 3. 10. & cap. 14.

vbi anathematizatis dicitur debere eſſe inter eos qui ſpiritu *immundo periclitantur, non orare cum fidelibus, nec in Eccleſiam intrare, ſed ad ianuam Eccleſiæ excubare, & intrantibus in eãdem atque exeuntibus ex ea, vultu in terram proſtrato veniam poſtulare, &c.* Denique legatur tit. 9. cap. 8. & 9.

CAP. IV.

De multiplici peccatorum abſolutione apud antiquos vſurpata.

SECTIO PRIMA.

Peccatorum vincula triplici modo ſoluuntur, remiſsione, ſatisfactione & ſatispaßione.

QVOT vinculorũm quibus pecca- I.
tor ligari poteſt, totidem abſolutionis genera eſſe fatendum eſt. Ea enim vel ex peccato ipſo exiſtunt, vel ab Eccleſia peccatoribus inijciuntur. At quæ Eccleſia imponit, eadem vincula tollere, & qua authoritate peccatores ligare, eadem ipſos ſoluere & liberare poteſt. Quæ autem peccati propria vincula ſunt, niſi omnia per Eccleſiam ſolui poſſent, in hac non eſſet integra & perfecta peccatorum remiſſio, quam fides catholica credit. Quamobrem cum multiplicia peccatorum vincula ſuperiùs enumerauerim, eorum ſolutiones] quænam, & quotuplices ſint modò conſiderandum eſt, eo potiſſimùm conſilio, & fine, vt Sacramentales aſſignentur.

Atque imprimis reatus peccati & vinculi ſolutio in genere triplex intelligi poteſt. Prior eſt remiſſio gratuita per meram Dei miſericordiam: ſecunda ſatispaſſio; tertia ſatisfactio: ſecunda meram Dei iuſtitiam reſpicit cui fit ſatis, cùm ei totam quam pati debet pœnam reus dat, & ſoluit, ſicque ſeipſum à debito illo liberat, & abſoluit; at ſatisfactio iuſtitiam quidem diuinam aſpicit, ſed ita vt eam miſericordem flectat. Etenim facit ſatis perpeſſione voluntaria pœnę alicuius leuioris, quàm ſit ea quæ debetur, nec niſi attenta bonitate Dei, ob rationem meriti quam adiunctam habet, pœnæ illi quæ patienda foret, apud Deum æquiualet. Quare crediderim ſatisfactionem non reſpicere Deum duntaxat vt iuſtum vindicem, & vltorem, ſed etiam vt miſericordem, aut certè vt benignum, & amantem. Nulla enim ſatisfactio cenſenda eſt, niſi quæ ex aliquo ſatisfacientis erga Deum offenſum amore oritur, quamque ipſe volens ſubit, vt cum eo perfectè reconcilietur, qui Dei eiuſdem amor eſt, & conſequenter aſpicit Deum vt amantem, nec vt ſimpliciter iuſtum, ſed etiam, vt beneuolum, benignum & miſericordem. Quamobrem ſicut remiſſio gratuita Deum vt porè miſericordem & beneuolum, ſatispaſſio eundem vt iuſtum ſimpliciter & vltorem ſpectat, ita ſatisfactio inter illas extremas media Deum vt partim iuſtum, & partim miſericordem placat. Idque non obſcurè habetur in Tridentino quod Seſſ. 14. cap. 10. de ſatisfactione loquens *diuina munificen-*

tiæ largitatem commemorat. ſatiſpaſſio non niſi in Purgatorio eiuſque pœnæ perpeſſione locum propriè habere videtur. In inferno enim quia nulla niſi æterna eſt etiam pro venialibus, vt arbitror, non eſt ſatis pœnæ, vt hîc ſumitur, paſſio, qua nimirum aliquando reatus deletur, ſeu expungitur: quod ſi pœnam reatui æqualem nunquam finiendam ſufficientem appellare, & damnatum ſatiſpati volueris, per me licet, nec enim id ad meum inſtitutum quicquam prorſus facit, dummodo nullam pro peccato mortali hac in vita ſatiſpaſſionem eſſe contendas, quam ego nunquam admiſerim, tum quia nulla huius vitæ moleſtia, pœnáque eiuſdem cum purgatorij pœna rationis eſt, nec conſequenter æqualis, cuiuſmodi eam eſſe neceſſe foret, ſi ſatiſpaſſionis rationem cum ea communem haberet; tum quia, ſiquis peccator hîc ſatis pateretur, is per pœnas in ſtatu peccati toleratas, quaſque volens & inuitus pateretur, id præſtaret; ſi enim volens id faceret, non pateretar ſatis. At quantaſcumque quis vel peccator, vel iuſtus pœnas hac in vita ferat, niſi volens patiatur, per eas nihil ſibi in purgatorio patiendum expungit, nec conſequenter iuſtitiæ diuinæ, quod pro peccatis ſuis debet, exoluit. Quare peccatorum vincula, & reatus altero è duobus illis remiſſionis vel ſatisfactionis modis hac in vita ſolui neceſſe eſt.

Iam verò ſatisfactio nonniſi à iuſtificato V.

præſtari poteſt, nec ſiquam aliquis culpæ adhuc reus, & in peccato perſeuerans pœnam volens ſubit, per eam pro peccato, aut quo adhuc obſtrictus eſt, aut à quo aliquando liberatus eſt, verè, ac propriè ſatisfacit. Quia cùm operis boni fructus triplex eſſe queat, impetratio, meritum, & ſatisfactio; Impetratio pro quolibet vel ſpirituali, vel etiam temporali bono à Deo miſericorde obtinendo valet; meritum pro fœlicitate aut aliquo alio ad eam ſpectante bono aſſequendo; ſatisfactio denique pro malo quod aſſequendæ beatitudinis impedimentum eſt, ac nominatim pœnæ illius purgatoriæ auertendo, ita S. Bonau. in 4. diſt. 20. q. 2. hanc meritum liberandi à malo, illud meritum obtinendi appellat, cum peccator ſi benè orat, & ſupplicat, à Deo exauditus quæ rogat, ac ſpeciatim conuerſionem ſuã, donúmque pœnitentiæ impetrare poteſt, vnde peccator vt quæ opera bona imperfectè vt pote quæ ex charitate perfecta nondum fiunt agere poteſt, ea impigrè ſeduloque faciat admonetur: licet nec gratiam, nec beatitudinem, nec quidquam aliud apud Deum verè & proprie mereri, aut pro peccato ſatisfacere queat.

V. Iſtud euidenter colligo ex Concilio Tridentino quod eam ob cauſam Seſſ. 6. cap. 8. ait, *nos gratis iuſtificari dici, quia nihil eorum quæ iuſtificationem precedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.* Non ignorabat apud S. Auguſtinum ſæpius fidem mereri, & impetrare peccato-

rum remiſſionem & peccatores moneri, vt eleemoſynis peccata redimant; at meritum illud qualecumque ſit congruum & ſecundùm quid, non condignum nec ſimpliciter dicitur, & apud patres Tridentinos tam fides, quàm opera quæ ante iuſtificationem impij requiruntur diſpoſitionis potiùs quàm meriti rationē habent, vt in Apologetici parte ſecunda libro 5. diſp. 8. cap. 8. obſeruaui, & idem Trident. cap. 15. docet *Cùm Chriſtus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, qua virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, ſine hac virtute illa nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſe.* Et Seſſ. 14. cap. 8. *Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt; in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum aceptantur à Patre.* Sicut igitur nemo niſi iam iuſtus in Chriſto viuit, ita nec niſi iam iuſtus in eodem mereri, aut ſatisfacere poteſt.

Quare culpæ & pœnæ æternæ reatus ſola Dei miſericordis remiſſione gratuita abſque vlta propriè dicta peccatoris ſatisfactione deletur, nec fructus pœnitentiæ, ſeu actus quos à peccatore per Sacramentum pœnitentiæ iuſtificato diuina iuſtitia exigit, duos illos culpæ, & pœnæ æternæ, ſed ſolius temporalis pœnę reatum ſoluendum ſpectant. Certè idipſum fructus nomen ſignificat: nec enim niſi iam viuens arbor fructus fert, nec VI.

quandiu in peccato mortuus peccator iacet, fructus pœnitentiæ dignos facere poteſt. Idque docet Tridentinum. in ſeſſione enim 6. cap. 14. ait *in Sacramento pœnitentiæ contineri ſatisfactionem per ieiunia, eleemoſynas, orationes & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, nõ quidẽ pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramẽti voto vnà cũ culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, &c.* & Seſſ. 14. Can. 12. 13. 14. ſatisfactiones quibus pœnitentes per Chriſtum peccata redimunt, quo ad pœnam temporalem, & quæ non tota ſimul cum culpa ſemper à Deo remittitur valere docet.

VII. Quæ cum ita ſint primum illud quo peccator ligatus tenetur culpæ, & ſecundum pœnæ vinculum Eccleſia non ſoluit, niſi abſolutione Sacramentali, qua eundem non antea iuſtificatum eſſe declarat, ſed verè à peccato abſoluit. Nec alio modo eadem Eccleſia ſoluit vinculum peccati mortalis tertium, quo peccator ab Euchariſtię communione prohibetur. Siquidem ea indignitas in culpæ mortalis ratione includitur, hácque remiſſâ illud impedimentum tollitur, quod alibi probandum ſuppono, & quantumuis aliter loquuti videantur aduerſarij, in poſterioribus tamen ſuis ſcriptis ita ſuam mentem ſunt interpretati, vt non alium quàm gratiæ & iuſtitię chriſtianę ſtatum pro Euchariſtia dignè ſumenda requiri faſſi fuerint.

SECTIO SECVNDA.

Reatus pœnæ temporalis tribus modis ab Eccleſia tollitur.

QVartum & vltimum peccato mortali de ſe ſpectato annexum vinculum Eccleſia tribus modis ſoluere poteſt; Primo per Sacramenta; ſecundo per ſacrificium Miſſæ; tertio per indulgentias, ſeu applicationem ſatisfactionum alienarum, quas in ſuo theſauro, ſeu poteſtate ſua diſtribuendas habet. De hoc tertio modo non eſt quod fuſiùs diſſeram. Id vnum tantummodò moneo purum hominem, vt videlicet Chriſtum Dominum excipiam, nihil alteri propriè mereri poſſe, quia nullum meritum ſibi inutile & ſuperfluum habere poteſt, ſiquidem quandiu viator & in ſtatu merendi eſt, vt magis ac magis in gratia, ita & in gloria meritorum ſuorum mercede creſcere poteſt. At fieri poteſt, vt aliquis innocentiſſimus longè plura opera ſatisfactoria faciat, quàm ipſe pro peccatis ſuis expiandis opus habeat; indéque fit, vt quia ſibi per illas ſatisfactiones prodeſſe nequeat, aliis eiuſmodi auxilio indigentibus apud diuinam iuſtitiam miſericordem ſuffragari, opemque ferre queat. Hinc preces pro defunctis factæ, & olim martyrum libelli pro pœnitentibus Eccleſiæ obla- VIII.

ti,& ab hac Deo idipſum ratum habente accepti ortum habent.

IX. Miſſæ quoque ſacrificium proximè ac immediate per ſe pro pœna temporali redimenda homini iuſtificato prodeſt, itaut non tantùm huic donum pœnitentiæ, & gratiæ auxilia quibus adiutus homo opera ſatisfactoria faciat procuret, ſed etiam per ſe ſit propitiatorium, & Deo repræſentata morte, & ſatisfactione Chriſti Domini, aut totius, aut certè partis alicuius pœnæ temporalis remiſſionem obtineat ei, qui ſacrificij eſt particeps. Ita Tridentinum Seſſ. 22. Can. 3. aſſerit *Miſſæ ſacrificium eſſe propitiatorium, nec ſoli prodeſſe ſumenti, ſed pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, & ſatisfactionibus, & aliis neceſſatibus offerri poſſe* & cap. 11. diſertè ait *pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri.* Eò autem magis fructus iſtius, & commodi quiſque particeps eſt, quò maiorem ſacrificij partem habet. Quare qui ſacrificanti ſacerdoti præſens eſt, is quidem alicuius eius fructus cōpos fit, at magis qui eidem miniſtrat, magiſque ille, cuius oblatio accipitur, & pro quo, ſeu cuius nomine ſacerdos ſacrificat, ac denique qui in eodem ſacro communicat, quia communio eſt aliqua ſacrificij pars, & Tridentinum Seſſ. illa 22. cap. 6. optat, vt *fideles Miſſæ aſtantes non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicent, quo ad eos ſanctiſſimi huius ſacrificij fructus vberior proueniat.* Vtrum au-

tem Euchariſtica communio quatenus eſt Sacramenti perceptio, & non pars ſacrificij, remiſſionem aliquam pœnæ temporalis de ſe, ſeu ex ipſo opere operato, vt aiunt, operetur, dubitari meritò poteſt, aut etiam negari, quia inter effectus Sacramenti illius Seſſ. 13. cap. 11. à Tridentino ea remiſſio non numeratur, cùm longè aliter loquatur de extrema vnctione in Seſſ. 14. cap. 11. per eam *enim delicta ſiqua ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergi* ait, & formæ illius Sacramenti verba id ſignificant, vt notum eſt. Eſtque hic præterea modus vnus, quo Eccleſia pœnā temporalem Sacramentaliter tollere poteſt. Eſt & alius per Sacramentum Baptiſmi, in quo totius tam culpæ quàm pœnæ remiſſio plena, & integra cuilibet illud, vt par eſt, recipienti conceditur. Quæ obiter perſtricta pro argumento quod tracto ſufficiant.

Tertius denique modus Sacramentalis, quo per Eccleſiam vinculum ſeu reatus ille pœnæ temporalis qui poſt culpæ & pœnæ æternæ remiſſionem, deletionémque reliquæ tollitur, in Sacramento pœnitentiæ habetur. Cum enim hoc Sacramentum ad Baptiſmi ſtatum, è quo in peccatum mortale lapſus excidit, ad nouitatem illius & integritatem reſtituendam, & ad plenam, perfectámque peccatorum remiſſionem tribuendam ſit inſtitutum, neceſſe eſt, vt Eccleſiæ clauium Sacramentique illius miniſter fructum hunc præſtet. Id autem non facit ſine pœnitentis magnis fletibus, & laboribus, diuina id exigente iuſtitia, vnde meritò X.

pœnitentia hæc laborioſus quidem baptiſmus à ſanctis Patribus appellatur, & cùm per iſtud Sacramentum nunquam culpa vna mortalis abſque aliis omnibus, quarum pœnitens reus eſt, remittatur, quia eas omnes gratia ſanctificans vel tenuiſſima omninò delet, vt pote quæ vi ſuæ eſſentiæ cum culpa mortali, quà mortalis eſt, & conſequenter cum omni pugnat, pœna tamen temporalis non ſemper tota remittitur, ſed tantùm pro menſura laboris, ſeu operis ex ſua natura ſatisfactorij, boni ſcilicet & moleſti, ſeu pœnalis. Verùm quia Sacramentũ pœnitentiæ hanc pœnæ temporalis expunctionem, æquè ac culpæ deletionem, vt & quemlibet alium effectum ſuum Sacramentalem; cõfert idcirco quemadmodum pro culpæ remiſſione non ſupponit perfectam contritionem, aut actum charitatis, vt aliunde certum eſſe exiſtimo, ita vt pœnam temporalem eiuſque reatum tollat, non prærequirit ſatisfactionem propriè dictam quæ, vt ſuperiùs iudicaui, ſine iuſtitia & ſanctitate nulla eſt, nec niſi per opus laborioſum hominis iuſti fit, ſed tantùm requirit opus laborioſum, ſeu quod de ſe tale eſt, vt ſi in ſtatu iuſtitiæ fiat, verè ac propriè ſatisfactorium ſit.

XI. Id manifeſtè intelligi poteſt ex eo, quod contritio ipſa quæ prima materialis, ſeu à pœnitente miniſtranda pars eſt, & confeſſio per ſe admodum moleſta, & laborioſa ſatisfactionis partem aliquam faciunt; itaut pro vtriuſque menſura, próque humilitate,

labore, ac moleſtia quam pœnitens ad Sacramentum illud affert, & ſigno externo notam facit, ſacerdos ex omnium Patrum decreto, præceptóque, ſatisfactionem reliquam poſtea ſoluendam deſcribere, & præcipere debeat, quod profectò non ſtatueretur, niſi iam ille labor, qui abſolutionem Sacramentalem, & conſequenter pœnitentis iuſtificationem antecedit, pro pœnæ temporalis ſolutione, ſeu pretio æſtimandus eſſet. Vulgare eſt illud ab Iſaaco Lingonenſi tit. 1. cap. 28. relatum, *ſatisfactio non eſt tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione penſanda.* & cap. 29. *tempora pœnitudinis habita moderatione, & arbitrio ſunt conſtituenda, prout conuerſorum animos ſacerdotes viderint eſſe deuotos: Pariter etiam habentes ætatis ſenilis intuitum, & periculorum quorúmque, aut ægritudinum reſpicientes neceſſitates* Quamobrem quia non niſi poſt iſtos pœnitentis actus laborioſos abſolutio Sacramentalis datur, idcirco hæc præter culpæ & pœnæ æternæ extinctionem ſemper pœnæ temporalis partem aliquam expungit, & tollit ex opere operato & gratis, quod vt fiat, non impedit antecedens ille labor, quíque ſi cum iuſtitia coniunctus, & Chriſti merito viuificatus eſſet de condigno ſatisfactorius foret, quemadmodum eadem abſolutio culpam gratis remittit, & gratiam ſanctificantem confert, etiamſi id non præſtet, niſi iam bono aliquo opere, quodque ſi in iuſtitia fieret, verè ac de condigno

gratiæ meritum foret, præſuppoſito. Eſtque hic modus vnus quo Eccleſia in Sacramento pœnitentiæ reatum pœnæ temporalis tollit.

XII. Eſt præterea & alter, quo ſacerdos iuridicè opus aliquod de ſe ſatisfactorium poſtea faciendum pœnitenti imponens, illud vi Sacramenti magis ſatisfactorium reddit; itaut opus idem à iuſto homine ſponte, & abſque ſacerdotis imperio factum pro pœna temporali longè minùs valeat, & proſit, quàm ſi à ſacerdote iudice in tribunali pœnitentiæ imperatum ſit, quia hoc in caſu non tam ſpectatur valor illius operis de ſe ſumpti, quàm quatenus cum merito & ſatisfactione Chriſti per Sacramentum illud gratis applicata coniungitur. Id totum docent doctores Theologi, & quia pœnitentis laborem, non tam, vt per ſe ſatisfactorium quàm vt diſpoſitionem, aut etiam applicationem ſatisfactionum Chriſti in illo Sacramento conſiderant; idcirco non deſunt, qui exiſtimant, ſi pœnitens iterum è gratiæ ſtatu lapſus opus illud imperatum faciat, non tantùm præcepto ſacerdotis facere ſatis, ſed etiam non quidem illius vt pote extra iuſtitię ſtatum facti vi, ſed ſatisfactionis Chriſti per illud ſufficienter applicati, pœnæ temporalis pro peccatis Sacramentaliter quoad culpam anteà deletis remiſſionem accipere. Vnuſquiſque prout libuerit, hac in parte ſentiat, dummodò quod à Theologis communi ſuffragio tenetur, mihi concedat per ſatisfactionem à ſacerdote iniunctam, & à

pœnitente acceptatam, dum poſtea agitur accedente vi, & energia Chriſti Paſſionis pœnam temporalem Sacramentaliter, ac proinde ex opere operato remitti; Quod probabiliter exiſtimo fieri non tantùm cùm abſolutio Sacramentalis datur, ſed etiam cùm ſacerdos poſtea rogat, vt paſſio Chriſti Domini, merita ſanctorum, & quæ ipſe pœnitens benè egerit, aut paſſus fuerit, eidem ad peccatorum remiſſionem valeant. Sed de hoc poſtea.

Vinculum aliquatenùs Eccleſiaſticum peccatoris appellaui pœnitentiam ad quam Sacerdos illum obligat, & quam niſi ſe facturum promittat, eum Sacramentaliter non abſoluit; vnde eundem ligare priùs quàm ſoluere dicitur; nulláque vinculi illius ſeu pœnitentiæ remiſſio vi Sacramenti à ſacerdote fit, ſed ab eo debito pœnitens ipſe pœnæ ſolutione velut pretio numerato ſe liberat. At extra Sacramentum patres Eccleſiæ, & antiſtites pœnitentem, ab ea iniunctæ pœnitentiæ obligatione per indulgentias liberare & abſoluere poſſunt. Idqne duobus modis fieri poteſt, primo ſi pœnitentiam ab aliquo confeſſario iniunctam Epiſcopus, conceſſa indulgentia tollit: Secundo, ſi cum primùm alicuius pœnitentis confeſſionem audit confeſſarius vi indulgentiæ pœnitenti ea tantùm opera imperat, quę pro indulgentia, ſi plenaria conceditur, conſequenda pontifex pręſcribit, loquor hîc de pœnitentia, quæ in vindictam & caſtigationem peccatorum, ſeu vt eſt ſa- XIII.

tisfactoria, non autem ad nouæ vitę cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum imponitur, vt Tridentinum loquitur.

XIV. De hac doctrina legantur Theologi, ac nominatim Suares in tract. de pœnit. diſp. 38. ſect. 10. S. Bonauentura in 4. diſt. 20. q. 3. vbi rectè notat non cuilibet ſacerdoti, ſed ſoli Epiſcopo hanc pœnæ iniunctæ relaxationem faciendi ius eſſe, quia ea non fit niſi per indulgentias, quas ſolus Epiſcopus concedere poteſt, vt pote quæ petuntur ex theſauro Eccleſiæ, cuius diſpenſatio ad ſolos Eccleſiæ ſponſos, fideliúmque Patres Epiſcopos pertinet. Atque vt omittam ea quæ à doctoribus de indulgentiis dicuntur; modò mihi ſatis eſt quod ſub Innocentio III. Concilium Lateran. in cap. 62. damnat indiſcretas ſuperfluáſque indulgentias, quia per eas pœnitentialis ſatisfactio eneruatur, ſeu per eas datur occaſio hanc, vt par eſt, non imponendi. Quod verò iniunctis pœnitentiis relaxandis proſint indulgentiæ, conſtat tum ex eodem Concilio, tum ex variis indulgentias concedentium Pontificum diplomatibus, in quibus diſertè illæ de iniunctis pœnitentiis datæ dicuntur. Rectè autem monet S. Thomas in 4. diſt. 20. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4. *Conſulendum eſſe iis, qui indulgentiam conſequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ iniunctis abſtineant, vt etiam ex his remedium conſequantur, quamuis à debito pœna eſſent immunes, & præcipuè quia quandoque ſunt plurium debitores quàm credant.*

CAPVT V.

De abſolutione à vinculo excommunicationis Eccleſiaſtico.

SECTIO PRIMA.

Triplici modo triplex excommunicatio olim tollebatur.

TRiplicem excommunicationem in cap. tertio huius diſſertationis notaui. Prima peccati omnis mortalis comes perpetua eius conſcium ab Euchariſtia arcet, eſtque diuini potiùs quàm Eccleſiaſtici iuris, quia etſi nulum Eccleſiæ interdictum aut præceptum id prohiberet, adhuc peccatorem ligatum teneret, de cuius abſolutione in ſuperiore capite breuiter quantúmque ſatis eſſe arbitratus ſum ſermonem feci. Eccleſiaſtica verò excommunicatio duplex eſt, maior, & minor, & cùm vtriuſque vſum non recentem, ſed antiquum, eſſe docuerim; nunc addo de vtriúſque abſolutione eandem olim quæ modò ſeruatur diſciplinam fuiſſe, itaut nec Sacramentalis vnquam fuerit, nec niſi ab Epiſco- I.

pis, ſeu qui excommunicandi authoritatem habent fieri vnquam potuerit etiam in mortis articulo, aut poſt mortem. Qui enim viuentes excommunicati fuerint, poſt mortem abſolui poſſunt, non vt Euchariſtiæ, aut alterius Sacramenti, ſed aliorum Eccleſiæ beneficiorum, ſuffragiorúmque participes fiant.

II. Maior excommunicatio olim tollebatur per pœnitentiam datam, ſeu per huius actionem; quidquid tandem tunc dare pœnitentiam fuerit. Certum enim eſt quibus dabatur pœnitentia, ſuper illos ab Eccleſiæ miniſtris manus impoſitas fuiſſe, & conceſſas illis fuiſſe eiuſdem Eccleſiæ preces, & ſuffragia, quibus ij qui excommunicationi maiori, ſeu anathemati ſubiecti erant ſemper caruerunt; nemóque in tertio pœnitentię gradu conſtitutus anathemate ligatus cenſebatur. Ac licet non ſtatim ac quiſque anathemate percuſſus pœnitentiam petebat, eam conſequebatur; certum tamen iterum eſt, hanc pœnitentiam, & maioris excommunicationis, ſeu anathematis ſolutionem nemini eam in diſcrimine mortis, ſeu, vt aiunt Patres, in extremis conſtituto ſi ſupplex eam popoſcerit, vnquam negatam fuiſſe, háncque reconciliationem datam fuiſſe. Hoc nos docet Tridentinum Seſſ. 14. cap. 7. vbi ex ſanctorum Patrum inſtituto ait atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis duntaxat ſacerdotibus abſolui, corúmque cauſas illis reſeruari, ac illorum præſertim, quibus ex-

communicationis cenſura annexa eſt; additque, *Verumtamen piè admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque ideò omnes ſacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere poſſunt.* Velim notes *id ſemper cuſtoditum* dici, *& admodùm piè*, itaut ſiquis vnquam in Eccleſia aliter fecerit, is non Eccleſiæ piæ matris diſciplina iubente, ſed impia crudelitate ſuadente ita ſe geſſiſſe cenſendus ſit. Præterea cùm illo rigidiſſimo concilio Eliberino nonnullis etiam in articulo mortis viaticum negetur, pœnitentia tamen negat nunquam legitur, & Innocentius I. ad Exuperium cùm duriore illa obſeruatione viaticum in idololatriam lapſis negatum fuit, pœnitentiam conceſſam fuiſſe diſertè docet.

Minor verò excommunicatio per impoſitionem manus ab ea per quam dabatur pœnitentia diuerſam ſoluebatur olim duobus modis, dupléxque eius abſolutio, & pœnitentium cum Eccleſia reconciliatio erat; vna dicebatur perfecta, legitima, abſolutiſſimáque, altera imperfecta: qui per illam perfectam ſolutus erat, is ab omni pœnitentiæ illius publicæ onere liber, quoties ipſi viſum erat, ad Euchariſtiam accedere poterat, & abſolutione, aliiſque omnibus Eccleſiæ beneficiis liberè fruebatur. At imperfecta non niſi pro aliquo peculiari effectu, ac potiſſimùm pro viatico Euchariſtiæ in mortis diſ- III.

crimine accipiendo dabatur. Eiuſmodi abſolutione gaudebant ij qui in quarto pœnitentiæ gradu, de quo agetur poſtea, verſabantur, aut qui in tertio gradu poſiti, aliquando etiam incolumes Euchariſtiam ſumebant. Quotieſcumque enim pœnitentes, quique acceptæ pœnitentiæ legibus ſuberant, Euchariſtæ participes fiebant, vt in die Cœnæ Domini, per prçuiam hanc imperfectam abſolutionem ab Epiſcopo, aut in mortis articulo, à preſbytero, vel etiam diacono ab illa excommunicatione ſoluebantur, ſeu potiùs ea tunc ſuſpendebatur, nam poſtea eoſdem ligatos tenebat, nec illam perfectam abſolutiſſimámque etiam in mortis articulo presbyter vllus pœnitenti, niſi priùs Epiſcopo etiam abſente conſulto probantéque concedebat. Cur perfecta abſolutiſſimáque reconciliatio illa diceretur, in promptu eſt, at eam ob cauſam legitima, vt exiſtimo, dicta eſt, quia non ex indulgentia Eccleſiæ ſicut imperfecta, ſed ex legum canonúmque præſcripto poſt peractam canonicam pœnitentiam, aut certè martyribus per ſuos libellos ſuffragantibus dabatur. Huius porrò duplicis ab excommunicatione abſolutionis, vſus etiamnum in Eccleſia viget. Nullum enim ſummus Pontifex gratioſum diploma cuiuſquam in fauorem facit, in quo eum quem gratia donat, ob omni vinculo excommunicationis, & cenſuræ Eccleſiaſticæ quoad illius, quod confert, beneficij duntaxat valorem non abſoluat.

Sectio Secvnda.

Hæc doctrina Patrum teſtimoniis probatur.

Ne verò quidquam fingere videar probémque hanc de duplice ab excommunicatione minori abſolutionis ratione obſeruationem quam qui ducem non adhibuerit eum in Patrum monimentis ſæpiſſimè errare & labi neceſſe eſt, aliqua Patrum teſtimonia profero. Multa vtriuſque abſolutionis teſtimonia ſuppeditant Concilia duo Ancyranum, & Carthaginenſe 4. ac illud quidem in can. 4. vt in editione regia habetur, qui ſacrificauerant iubentur *vno anno audire, tribus ſubſterni ac ſupplices eſſe, ſoli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad id quod perfectum eſt accedere.* Hic vltimus pœnitentiæ gradus eſt ſyſtaſis, & quartus; nam primum ſynodus omittit, & qui in Syſtaſi erat, is iam imperfectam reconciliationem priùs aſſequutus, perfectam poſtea accipiebat, & can. 5. poſt triennale ſubſtrationis, ſeu tertij gradus ſpatium impletum *ſine oblatione* recipiuntur, quæ eſt imperfecta abſolutio; additque ſi de ſacrificio non comederint duobus annis ſubſterni, tertio ſine oblatione communicare, vt expleto triennio, id quod perfectum eſt accipiant, ſeu IV.

perfectam abſolutionem, cuius beneficio cum oblatione communicare poſſint. Quod autem can. 6. quoſdam ad magnum vſque diem ad auditionem admiſſos poſt magnum diem tribus annis ſubſterni iubet, ac poſt alios duos annos communicare ſine oblatione, & ſic expleto ſexennio ad id quod perfectum eſt peruenire: & duas iſtas reconciliationes tradit, & præterea idcirco in magno die Paſchatis ad pœnitentiam admittit, vt videlicet inter pœnitentes Euchariſtiam accipere poſſint, vt dicam poſtea.

V. Carthag. verò 4. can. 76. vult vt qui in infirmitate petit pœnitentiam, ſi in phreneſim inciderit, à ſacerdote nihilominùs eam accipiat, ſi adſint qui eam illam petiiſſe teſtentur. *Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. Si ſuperuixerit admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu ſacerdos qui pœnitentiam dedit, probauerit.* Can. 77. *Pœnitentes qui in infirmitate ſunt, viaticum accipiant,* Can. 78. *pœnitentes qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.*

Atenim quomodò non ſe credant abſolutos qui viaticum Euchariſtiæ acceperunt, ſiquidem non niſi priùs per manus impoſitionem reconciliati Euchariſtiam perceperunt? Quia videlicet illi de quibus Canon 76. agit, minorem tantùm, & pro viatico Euchariſtiæ

duntaxat accipiendo reconciliationem acceperant, nec per eam expœnitentes fiebant, pleneque à pœnitentiæ legibus ſoluti, donec eam cuius canon 78. meminit perfectam abſolutionem, & reconciliationem accepiſſent. Nec omittendum eſt, quod can. 79. vult vt *pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſubueniri non poſſit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.* Cùm enim pœnitentes communionis expertes ſeu excommunicati eſſent, ſi in pœnitentia diligentes fuerant, iubet eos mortuos ab illa excommunicatione plenam & perfectã abſolutionem atque ita oblationis ius accipere, quod illius abſolutionis fructus erat, quoque carebant qui vel in pœnitentia agenda negligentiores fuerant, vel etiam in infirmitate conſtituti pœnitentia, quam antea non egerant accepta viatici participes effecti fuerant. Hæc enim vtriuſque abſolutionis perfectæ, & imperfectæ propria nota erat, vt perfectè abſoluti non tantùm Euchariſtiæ, ſed etiã oblationis fruerentur, & vt loquitur Arelatenſe II. cap. 12. acciperent pacis oſculum, agapen, panem fermentatum ſeu eulogias, de quibus crebra in Conciliis mentio fit: imperfecta verò reconciliatio maximè pro viatico ſumendo concedebatur, ideóque ab Innocentio primo ad Exuperium cap. II. ea vocatur *extrema, & quaſi viaticum*; à Siricio ad Himerium cap. 5. *Communionis gratia viatico munere conceſſa*, à Nicœna ſynodo & aliis

communio ſine oblatione, communio in precibus, qua ſcilicet toti ſacrificio intererant, nec cum catechumenis, & aliis pœnitentibus ante oblationem exire iubebantur, eaque demùm diſtinguitur à communione ſimpliciter dicta, quam Vaſenſe primum can. 11. *abſolutiſſimam*, Arauſicanum 1. can. 3. *legitimam communionem & reconciliationem* S. Cyprianus Ep. 67. pœnitentiæ fructum, ſeu *actâ pœnitentiâ communicationis & pacis fructum appellat.*

Digitized by Google

CAP. VI.

De multiplici manuum impoſitione, in pœnitentia olim celebrata.

SECTIO PRIMA.

Gradus pœnitentiæ publicæ deſcribuntur.

QVàm multa olim atque etiamnum impoſitionis manuum in Eccleſia genera fuerint hîc commemorare, non eſt mihi animus, ſed eas duntaxat, quæ in pœnitentia Sacramentali, vel Eccleſiaſtica quondam vſurpatæ ſunt, aut etiam modò vſurpantur: quod vt faciliùs præſtem, & eadem opera multa quæ de diſciplina pœnitentiæ dicta apud Patres leguntur, explicem, pœnitentiæ illius publicæ gradus breuiter deſcribo, ſi priùs ſtatuero impoſitionem manuum in vniuerſum eſſe aliquam benedictionem, ſeu orationem, qua qui manum alteri imponit, ipſi bene precatur, & Spiritus ſancti gratiam, vel donum aliquod à Deo petit. Id habeo ex S. Auguſtino, qui libro 3. de baptiſmo cap. 16. ſic habet. *Manus impoſitio, non ſicut baptiſmus repeti non poteſt. Quid enim* I.

eſt aliud niſi oratio ſuper hominem? Idque ipſum confirmari poteſt ex omnibus manuum impoſitionibus, quarum in ſcriptura, vel Patribus mentio eſt. Quocumque verò ritu, aut ſigno externo olim hæc benedictio, ſeu fauſta precatio in Eccleſia facta fuerit, nunc in Eccleſia Latina, ſi Sacramentales forte exceperis, crucis efformatione fieri ſolet, itaut quotuplex in pœnitentia adminiſtranda crux ſignari ſolet, totidem in ea manuum impoſitiones ſint concedendæ.

Addiderim verò nullam in Sacramento pœnitentiæ manuum impoſitionem externam ad eius eſſentiam conſtituendam requiri, nec preces alias aut verba, quàm quæ abſolutionem Sacramentalem componunt, qualis non eſt quæ addi ſolet Trinitatis inuocatio, & quæ cum ea fieri ſolet crucis efformatio. Id habetur ex Tridentino in Seſſ. 14. cap. 3. vbi formam illius Sacramenti poſitam ait eſſe in his muniſtri verbis *ego te abſoluo, &c. quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quadam laudabiliter adiunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.* Non me latet Tridentinum non exprimere verba omnia formæ, nec definire vtrum aliquo modo iſta, *à peccatis tuis*, ad eam pertineant, ſed quotquot doctores de hac forma diſputant, concedunt inuocationem Trinitatis ad illam non requiri, ac nominatim S. Thomas in 3. parte quæſt. 84. ait 5. & opuſc. 22. aſſertionem quæ impoſitionem manuum de

Sacramentali huius neceſſitate eſſe ait, temerariam appellat. Quamobrem licet in adminiſtrando pœnitentiæ Sacramento noſter hodiernus impoſitionis manuum, benedictionis, & precum vſus ab antiquò diuerſus ſit, hoc tamen non facit, vt aliquam in iis quæ ad Sacramenti huius ſubſtantiam pertinent mutationem admiſſam fateamur.

Quod autem ad pœnitentiæ gradus pertinet, notum eſt quatuor in vniuerſum eorum qui ab Euchariſtica communione arcebantur gradus fuiſſe, quorum inter cæteros meminerunt SS. Gregorius Neocæſarienſis, Baſilius, & Zonaras, primus fuit προσκλαύσεως, dictus, ſeu lamentationis; ſecundus ἀκροάσεως auditionis, tertius ὑποπτώσεως ſubſtrationis; quartus συστάσεως conſiſtentiæ. Primorum ſeu lamentantium locus erat extra portam ſeu ante fores oratorij ſub dio, & à tecto Eccleſiæ prohibiti inter hyemantes, & Satanę traditos, anathematéque damnatos, quibus nec quidem cum aliis oratorium ingredi, & conciones audire licitum erat. Ita habet canon 16. aliàs 17. Synodi Ancyranæ, & can. 21. & S. Gregorius eos nec auditione dignos cenſeri, ait, atque à precibus omninò arceri. S. Baſilius canone 22. & can. 56. eos ſtantes extra fores Eccleſiæ flere dicit. Audientes in loco, qui νάρθηξ ſeu ferula dicebatur, poſiti cum catechumenis conciones audiebant. Zonaras in can. 30. S. Baſilij eos in Eccleſiæ veſtibulo ἐν τῷ προνάῳ collocat, ex quo ſcilicet conciones ad catechumenos factas, & inſtitutionem III.

chriſtianâ, quam nos Galli *prône* adhuc appellamus, audire poterant. Hi verò audientes oratione quoque indigni dicuntur canone 75. S. Baſilij & can. 11. *S. Gregorij. audiens*, inquit, *poſt ſcripturas & doctrinam eijciatur, nec precatione dignus habeatur*, quia videlicet illi ad manuum impoſitionem non veniebant, ſicut catechumeni non quidem omnes, ſed qui competentes dicebantur, quique exorciſmis, aliiſque ritibus quos catechumenorum Sacramenta. S. Auguſtinus appellat, ad baptiſmum accipiendum diſponebantur.

IV. At qui in tertio gradu erant, pœnitentes dicebantur, quia illi, non alij, cum cinere, ſacco è pilis caprarum contexto, & manus impoſitione pœnitentiam accipiebant, & toto tempore pœnitentiæ auditis ſcripturis & Miſſâ catechumenorum, poſt iſtos ſubſtrati ad pedes preſbyterorum, manus impoſitionem accipientes recedebant, vnde ſubſtrati, ſupplices, & conuerſi tam à S. Gregorio quàm à S. Baſilio dicuntur. Hi nunquam ſtantes, ſed ſemper ipſis etiam diebus remiſſionis genuflexo orabant in parte templi ſiniſtra, nudis pedibus, crine demiſſo, & facie ſqualida, vt ex Laodicænæ ſynodi can. 19. Carthag. 4. Can. 91. & S. Cęſarij Arelatenſis Homilia 34. intelligitur. Quod autem crine demiſſo fuiſſe dicuntur; id eos comam nutriuiſſe ſignificat, non quidem vt opinor vbique, ſed illis in locis, in quibus qui lugebant capillum non tondebant, nam in Africa, & in Hiſpania pœnitentibus coma tondebatur, vt ex S. Augu-

ſtini ſerm. 58. de tempore intelligitur.

Qui denique in quarto gradu erant, ij cum aliis Chriſtianis toti quidem ſacrificio Miſſæ, & orationibus intererant, ſed Euchariſtia carebant, vnde à Nicæna ſynodo & aliis ſine oblatione communicare dicuntur, quia quicumque ſaltem de lege ordinaria Euchariſtiam ſumebant, ij panes conſecrandos offerebant, eorumque nomina ad altare recitabantur, eratque indignum, ſi quis de aliena oblatione Euchariſtiam accepiſſet. Cur de lege ordinaria id factum addiderim, dicam poſtea, cum queram, an aliquando pœnitentes Euchariſtiæ participes fierent; Id enim ſi eis aliquando conceſſum fuit, tunc nihilominùs eorum oblationes à miniſtris Eccleſiæ non accipiebantur.

VI. Porro de his gradibus pœnitentiæ animaduertendum eſt non ſemper omnes à ſingulis pœnitentibus decurſos fuiſſe; ſed qui peccauerant, aliquando abſque primo ſtatim ad ſecundum, ſæpiſſimè abſque duobus illis ad tertium admiſſos & pœnitentes factos fuiſſe. Ad quartum ſine tertio aliquis admittitur à S. Gregorio Neocæſ. can. 11. ſic enim habet. *Qui in campo aliquid inuenerint, vel in ſuis ædibus à barbaris relictum, ſi accuſati quidem conuicti fuerint, ſint ſimiliter cum iis qui ſubſternuntur,* (id eſt in tertio gradu cum pœnitentibus.) *Si autem ſe ipſos enunciauerint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur.* Ne igitur poſteriores hi cum prioribus, qui pœnitentiæ ſubditi, & in tertio gradu poſiti

ſunt, paris conditionis fuiſſe dicantur, dicendum eſt illos abſque ſolemni pœnitentia, ſeu tertij gradus auſteriore diſciplina ſtatim ad quartum admiſſos fuiſſe, & meritò, vt qui ſuſpicione potiùs culpæ, quàm culpa ipſa pro Eccleſiæ ædificatione à communione perfecta ſemouebantur. Nec enim furti reus ille certo conuincitur, qui reperiſſe ſe aliquid indicat, & ipſum reſtituit. Idipſum quoque obſeruatum lego in nonnullis, qui non tam ob manifeſta aliqua crimina, quàm ſuſpicionem, & indecentiam aliquã ad aliquod tempus ſegregati olim fuerunt, eiuſmodi fuerunt polygami; hos enim S. Baſilius can. 4. ſegregatos tantùm fuiſſe ait, *Oportet* inquit, *eos non omnino arcere ab Eccleſia, ſed dignari auditione duobus vel tribus annis, & poſteà permitti quidem conſiſtere, ſeu in fideliũ eſſe congregatione, à boni tamen communione abſtinere, & ſic poſtquam aliquem pœnitentiæ fructum oſtenderint, communionis loco reſtituere.* Aliquandiu igitur in ſecundo commorati polygami abſque tertio ad quartum perueniebant. Quod enim ait Baſilius illos poſtquã aliquem fructum pœnitentiæ oſtenderint communioni reſtituendos eſſe, eam quæ in tertio gradu fiebat, pœnitentiã nõ intelligit, ſed ſpontaneam contritionẽ & lacrymas, vt ibidem Zonaras animaduertit. Ita can. 13. ei qui cędẽ in bello fecit ſuadet, vt quia manibus nõ puris eſt, ſola triũ annorum communione abſtineat, id eſt, non pœnitentiã iniungit, ſed ſolam quarti gradus communionem permittit, quod conſilij non præcepti inſtitutũ eſſe docet

docet Zonaras. Patres videlicet cenſuerunt Chriſtianos illos aliqua nota afficiendos, qui irregulares etiam ſine vllo crimine, & ad ſacra miniſteria inepti eſſent, cuiuſmodi ſunt polygami, & cædis alicuius authores. Ita can. 50. Polygamiam Eccleſiæ inquinamentum appellat, quod tamen *publicis condemnationibus*, ſeu vt interpretor, pœnitentiæ illi gradus tertii non ſubiicitur, & can. 55. qui latronem occidit, ſi Laïcus eſt, à boni communione arcetur, ſi Clericus, deponitur. Vnde ego conficio quartum gradum non tam criminis pœnam, quàm irregularitatis notam aliquando fuiſſe, & qui aut nullo crimine polluti fuerant, aut ſi quod admiſerant, eos iam per pœnitentiam purgatos, interim dum quæ infamiæ labes adhuc coram Eccleſia ſupererat, penitus eneretur in illo gradu detentos fuiſſe.

SECTIO SECVNDA.

Quotuplex in pœnitentia publica manuum impoſitio olim in vſu erat.

QVadruplicem in antiqnis Patrum monimentis manuum impoſitionem in pœnitentia celebratam fuiſſe reperio. Primi generis erat ea qua peccator primo, & ſecundo gradu confecto, vel etiam vtroque omiſſo, ſtatim in tertio poſitus pœnitentiam accipere, & pœnitens fieri dicebatur. Secunda toto illius gradus ſeu pœnitentiæ, conuerſionis, ſubſtrationiſque VIII.

tempore in pœnitentem certis quibuſdam diebus fiebat, eáque ſæpiùs iterabatur. Tertia erat ea, qua pœnitens, ſi quo in mortis diſcrimine verſabatur, pro viatico accipiendo, aut etiam ſi ex indulgentia Eccleſiæ extra mortis periculum Euchariſticæ communionis fiebat particeps, ad eum effectum ritè conſequendum cum Eccleſia reconciliabatur. Quarta denique impoſitio manuum erat ea, quâ pœnitens poſt totam pœnitentiam publicam quæ iniuncta fuerat, peractam, perfecta, legitima, abſolutiſſimáque reconciliatione abſolutus, & liber dimiſſus ad perfectam communionem Eccleſiæ, ſeu Euchariſticam cum oblationis iure coniunctam admittebatur. Quatuor illa impoſitionis manuum genera breuiter probo, & de ſingulis aliqua quæ ad rem noſtram faciunt obſeruo.

IX. Atque ne in re facili & nota probanda diutiùs immorer; Primam in danda pœnitentia manus impoſitionem Iſaac Lingonenſis in tertio Galliæ Cõcil. tomo relatus cap. 7. ex Concilij Agathenſis can. 15. ſic tradit. *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput à Sacerdote, ſicut vbique conſtitutum eſt, conſequantur.* Et in Toletano 13. cap. 10. *donum pœnitentiæ in peccati remedium fieri, & hoc donum per manus impoſitionem accipi dicitur.* Hincmarus Remenſis ſect. 3. capitulo 1. vult vt criminalis peccati reus ſibi ſiſtatur, *vt iuxta traditionem publicam pœnitentiam eum manus impoſitione accipiat*, nimìrum coràm populo, vel certis quibuſdam hominibus, vt alibi ex S. Auguſtinò obſeruaui, ſine

qua ſcilicet publica manus impoſitione Clerici crimina ſua expiabant ſeceſſione, & pœnitentia ſecreta, vt S. Leo epiſt. 92 cap. 2. alibi à me laudatus ait. Secunda, quæ crebra fiebat tempore pœnitentiæ, clarè habetur eiuſdem Iſaaci cap. hoc 8. *Omni tēpore ieiunij manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur*, & cap 11. *Criminalia peccata multis ieiunijs, & crebris manus Sacerdotum impoſitionibus, eorúmque ſupplicationibus iuxta Canonum ſtatuta placuit purgari.* cap. 16. ex Nicæna Synodo pœnitentes ſubiacent manibus Sacerdotum, & cap. 17. ſubiacent illi *manibus Sacerdotum in loco retro oſtium Eccleſiæ pœnitentibus conſtituto, & ſeorſum infrà ipſam Eccleſiam populo ſecluſo tamen iam non in terram proſtrati, ſed vultu & capite humiliato, humiliter & ex corde veniam poſtulent, & pro ſe orare expoſcant.* Quanquam ex Sozomeno libro 7. cap. 16. Romæ pœnitentes proſtratos ad pedes Epiſcoporum & Cleri, ab his collachrymantibus ſubleuari ſolitos fuiſſe intelligimus.

At tertiam à quarta diuerſam, vt pote quæ à pœnitentia publica omnino liberum pœnitentem non faciebat, nec legitima, & perfecta, ſed ex indulgentia, & ad aliquem dumtaxat effectum, ac nominatim ad Euchariſtiam pro viatico ſumendam abſolutio erat, admittere neceſſe eſt. X.
Nam Carth, 4. can. 76. decernit, *vt qui pœnitentiam in infirmitate petierit, ſi obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconci-*

lietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. Idem autem ſi ſuperuixerit pœnitentiæ legibus ſubdendus eſt & can. 78. *pœnitentes qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.* Et Arauſic. 1. can. 3. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundùm definitiones Patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominauerunt.* Adde quod Innocentius in epiſt. ad Exuperium cap. 2. ait, olim conceſſa pœnitentia negatam fuiſſe communionem quam ibidem viaticum appellat. Ex quibus ſic diſputo. Qui viaticum Euchariſtiæ accipiebant, illi præter pœnitentiam ab eo prorſus diuerſam manus quoque impoſitionem, reconciliationem, & communionem abſque aliqua longè maiore reconciliatione, ſeu ſimpliciter & abſolutè dicta reconciliatoria manus impoſitione accipiebant. Igitur præter impoſitionem manuum cum qua pœnitentia dabatur, & præter illam quæ non niſi poſt totam pœnitentiam peractam abſolutiſſima, & plenè reconciliatoria erat, alia impoſitio manuum pro communione viatici accipienda in vſu fuit. Taceo eandem factam fuiſſe illis temporibus, quibus pœnitentes Euchariſtiam ſumere poterant, vt dicam poſtea.

XI. Quarta manuum impoſitio probanda ſupereſſet, niſi id iam ſæpiùs præſtitum eſſet, quare non eſt cur in ea ſtatuenda diutiùs immorer. Id vnum duntaxat moneo eam cum communione

perfecta coniunctam fuiſſe, nec niſi poſt totam pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem canonicam pœnitenti datam vnquam fuiſſe, vnde legitima, perfecta, & abſolutiſſima dicta eſt in Auraſicano 1 can. 3. qui poſt communionem viatici ſumptam ſuperſtites ſtabant in ordine pœnitentium, poſtea oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiunt. In Vaſenſ. 1. can. 2. reconciliatio ac communio abſolutiſſima dicitur, & ſæpiùs in S. Baſilii Canonica, & in Ancyrano Concilio, qui ita abſoluitur, ad id quod perfectum eſt dicitur peruenire, ſeu ad communionem cum oblatione, vt ſuperiùs eſt animaduerſum.

SECTIO TERTIA.

De his manus impoſitionibus aliquæ obſeruationes fiunt.

DE his autem manuum impoſitionibus nonnulla ſunt animaduertenda. Atque inprimis nullam in primo aut ſecundo gradu factam fuiſſe. Qui enim in illis conſtituti erant, orationibus Eccleſiæ indigni cenſebantur, vt ex S. Baſilio ſuperiùs obſeruatum eſt, ita can. 22. primos à precibus expellendos, & can. 74. ſecundos, ſeu qui inter audientes erant, oratione indignos eſſe pronuntiat. Et Iſaac Lingonenſis tit. 4. cap. 14. refert inceſti reos excommunicatos XI. I.

in Eccleſiam non admitti, *vſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, & proprii Epiſcopi canonicam reconciliationem, crebris Sacerdotum precibus, manúſque Pontificis proprii impoſitionibus, eleemoſynarum largitionibus, atque cæterorum bonorum omnium exhibitionibus purgari, ſanaríque oportere*, per quam ſatisfactionem videtur intelligere datam pœnitentiam, & reconciliationis initium, quo tempore crebrò pœnitens ad impoſitionem manuum accedebat. Addo ego in quarto gradu nullam manuũ impoſitionis mentionem fieri. In eo enim poſitus, excepta communione & oblatione, quoad preces & orationes eiuſdem cum reliquis Chriſtianis conditionis erat. Quare omnes manuum impoſitiones erant tertii gradus propriæ, vltimáque totius pœnitentiæ complementum & finis, ſeu vt etiam S. Cyprianus appellat, actæ pœnitentiæ fructus erat.

XIII. Secundò aduertendum eſt præter primam qua dabatur pœnitentia, in cæteris non ſolùm Epiſcopum, & Preſbyteros, ſed etiam Clerum partem aliquam habuiſſe, ſeu manus pœnitenti impoſuiſſe. De ſecunda videtur commodè poſſe intelligi, quod in ſuperiori diſſertatione attuli, populum Chriſtianum ſuffragatum fuiſſe pœnitenti. Præterea Martyres per libellos pœnitentibus fauebant, & benè precabantur, ſicque pacem ab Antiſtitibus exorabant, vtque refert Sozomenus lib. 7. cap. 16. & Nicephorus lib. 12. cap 28. Romæ ad pœnitentes proſtratos Epiſcopus, vel qui illis præfectus erat, cum populo collachrymante, & flente accedebat, benepre-

catus tandem dimittebat, nec aliud, vt opinor, ſignificant iſta Sancti Paciani verba in Paræneſi. *Quod ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur; pariter dolet, & ad remedium collaborat. In vno, & altero Eccleſia eſt; in Eccleſia verò Chriſtus. Atque ideò qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lachrymis adiutus, Chriſti precibus abſoluitur.* Hinc *pœnitentes tenere pauperum manus, viduas obſecrare, Presbyteris aduolui, exoratricem Eccleſiam deprecari*, vt ibidem loquitur. Et S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit cap. 15. *Tota Eccleſia ſuſcipiat onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore eſt; & quaſi fermento eius ſe totam conſpergat, vt per vniuerſos ea quæ ſuperflua ſunt in aliquo pœnitentiam agente, viritim miſericordiæ, aut compaſſionis velut collatiua quadam admixtione purgentur*, cap. 17. ſatis *ad remiſſionem peccati, obſecrationem quæ fit à pluribus* eſſe ait. Quia verò impoſitio manuum eſt beneuolentiæ & ſuffragationis ſignum, quidni populum pœnitenti ſuffragatum, beneque precatum, eidem manum impoſuiſſe dixerim?

Tertiò obſeruo accedente conſenſu populi, non à ſolo Epiſcopo, ſed etiam à Clero pœnitenti quartam impoſitionem manuum reconciliatoriam factam fuiſſe. Id clariſſimè docet S. Cyprianus epiſt. 10. vbi ait, *in minoribus peccatis* (ſeu leuioribus quàm ſit idololatria & apoſtaſia, quam ibi grauiſſimum, & extremum crimen appellat) *peccatores agere pœnitentiam iuſto tem-* XIV.

pore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim venire, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri ius communicationis accipere, & ep. 11. increpat eos *qui ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim grauiſſimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre lapſis pacem, & Euchariſtiam dare audeant.* Et epiſt. 51. Clerus Romanus ad Cyprianum reſcribens vult *Eccleſiæ pacem ſuſtinendam, deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter ac ſtantibus Laicis facta lapſorum tractare rationem... quoniam nec firmum decretum eſſe poteſt, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.* Animaduertendum quartò hanc quartam reconciliatoriámque manus impoſitionem nunquam nec quidem in mortis diſcrimine inconſulto etiam abſente Epiſcopo, & ſine eius conſenſu dari legitimè potuiſſe, licet viaticum dari potuerit; quod ſi abſque conſenſu Epiſcopi dabatur morienti, ad oblationem & memoriam in ſacrificio faciendam ius eidem non dabat.

XV. Id habeo in Concilio Nicæno quod in can. 13. ſecundùm antiquæ legis regulam viaticum vltimum, & neceſſarium, quod alia Concilia Euchariſtiæ viaticum appellant, cuilibet morienti, communionem autem cum oblatione non niſi cum Epiſcopi examine ſeu probatione & conſenſu dari decernit. Iſaac Lingon. tit. 1. cap. 10. *pœnitentes legitimam communionem ſtatuto tempore, reconciliatione, & impoſitione manus Epiſcopi, vel eius iuſſu Presbyteri recipiant*, cap. 16.

Si intra metas præſcripti temporis cœperit vitæ finis vrgere ſubueniēdum eſt implorantibus, ſeu ab Epiſcopo qui pænitentiam dedit, ſeu ab alio, qui tamen datam eſſe probauerit, aut ſimiliter à Presbytero, iuſſu tamen aut permiſſu proprii Epiſcopi per manus impoſitionem, abſolutione precum ſacerdotalium. viaticum abeuntibus de ſæculo non negetur, cap. 17. vult vt ſi *Epiſcopus abeſt, eius iuſſu per aliorum Sacerdotum manus impoſitionem abſolutione Sacerdotalium precum communionis catholicæ gratiam recipiant qui pœnitentiam peregerunt.* Clariſſimè verò omnium Carthag. 2. can. 4. *Si quiſquam in periculo conſtitutus ſe reconciliari diuinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic pœnitentem eius conſilio reconciliare.* Quare cùm Iſaac citatus cap. 35. excipiat mortis periculum, quo ſine Epiſcopi conſenſu habito viaticum dari poteſt, crediderim viaticum quidem omnibus datum fuiſſe, eoſdem autem cum altaribus reconciliatos non fuiſſe, niſi conſulto abſente Epiſcopo, quia hæc cum altaribus reconciliatio præter viaticum ius oblationis tribuebat.

Quinto de conſenſu Epiſcopi non ſoli Presbyteri, ſed etiam Diaconi hanc reconciliatoriam manus impoſitionem quartam tribuebant. Huius rei teſtis eſt S. Cyprianus in epiſt. 13. *Qui*, inquit, *libellos à Martyribus acceperunt, & prærogatiua eorum apud Deum adiuuari poſſunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra apud Presbyterum quemcumque præſen-* XVI.

tem, vel ſi presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, vt manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſiderauerunt. Vt hanc perfectam abſolutionem eſſe dicam, facit imprimis quia eam non aliam pœnitentibus Martyres expetebant, deinde quia exomologeſis eam antecedebat, quæ erat pœnitentiæ publicæ actio vltima, quámque proximè illa abſolutio ſequebatur.

XVII. Sextò ac demùm obſeruo neſcire me, an vnquam quæ pro pœnitentia danda fiebat manuum impoſitio, ab alio quàm ab Epiſcopo, aut Presbytero facta fuerit, ſeu an vnquam iubente Epiſcopo Diaconus pœnitentiam dederit, ſicut vltima illa reconciliatione, vt vidimus, pœnitentem aliquando reconciliauit. Frequentiùs nihil eſt quàm per Sacerdotes pœnitentiam peccatori eam expoſcenti datam fuiſſe. Id diſertè ait Iſaac Lingon. tit. 1. cap. 7. At fortè quis crediderit primam illam impoſitionem manus æquè ac quartam à Diacono aliquando factam, quia S. Cyprianus cuius vnius authoritate id muneris Diacono datum fuiſſe dixi, ab eodem manus in pœnitentiam impoſitas epiſt. 13. inſinuat. Verùm vt fatear à S. Cypriano manum à Diacono *impoſitam in pœnitentiam* dici, at nego eum primam illam impoſitionem, quáque primùm dabatur pœnitentia intellexiſſe. Manifeſtè enim loquitur de illis pœnitentibus quibus Martyrum libelli, ſeu ſuffragia abſolutionem plenam, & perfectam in mortis diſcrimine exorabant. Illi

autem ſoli hoc priuilegio fruebantur, qui iam antea pœnitentiâ acceptâ in gradu tertio erant, vt intelligitur ex eiuſdem S. Cypriani epiſt. 14. & 17. in qua Confeſſores aiunt *ſe dare pacem vniuerſis, de quibus apud Epiſcopum & Clerum conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint*, & epiſt. 11. S. Cyprianus eoſdem Confeſſores monet, vt quibus fauere volunt, *eos nominatim libello deſignent, quos viderint, quos nouerint, & quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpexerint*. Quamobrem exiſtimo pœnitentiam à nullo alio quàm à Preſbytero, ſeu ordinis Sacerdotalis poteſtatem habente vnquam datam fuiſſe.

CAP. VII.

Abſolutionem, quæ poſt pœnitentiam peractam dabatur, ſacramentalem non fuiſſe probatur ex eius fine, & effectu proprio.

SECTIO PRIMA.

Primum argumentum proponitur.

HACTENVS fundamenta iacta ſunt, & poſita quædam principia huius diſputationis, in qua contra recentiores nonnullos contendo eam quæ antiquitus in publica I.

pœnitentia nonniſi poſt ſatisfactionem extra mortis diſcrimen abſolutio dabatur, ſacramentalem non fuiſſe, & illos ea perperàm abuſos, vt huius temporis diſciplinam, in qua ſtatim poſt confeſſionem, ei iniunctam dumtaxat, non verò actam ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam pœnitens ſacramentaliter abſoluitur, damnare, aut certè antiquis Eccleſiæ moribus contrariam aſſerere videntur; indéque putant ſe conficere ex eorumdem Patrum inſtituto, neminem in peccatum mortale lapſum ad Euchariſtiam accedere poſſe, niſi poſtquàm longa pœnitentia, diuturná moleſtáque ſatisfactione purgatus fuerit. Doctrinam meam quatuor, quæ ex totidem abſolutionis illius cauſis peto, argumentis probo; ac primum quidem eius cauſa finalis mihi ſuggerit. Cum fine effectum ipſius proprium coniungo; nec enim alius operationis, ſeu etiam rei proprius finis quàm eiuſdem effectus quoque proprius, & *operatio eſſe, aut* intelligi poteſt. Atque ne leuioribus quibuſdam coniecturis vti, & coniectorem potiùs quàm Theologum agere videar, nolo mihi fidem vllam adhiberi, niſi rem theologicè demonſtrauerim. Cùm enim demonſtratio Theologica, & de cuius veritate nullus Catholicus dubitare poſſit ea ſi, cuius concluſio ex duabus fidei propoſitionibus, aut ex vna fidei propoſitione, & altera euidente legitimè conficitur, meas fidei propoſitiones ex Concilii vnius Tridentini definitionibus deſumam, iiſque Patrum teſtimonia quæ id quod aſſumendùm mihi erit, planè & diſertè dicant adiungam.

II. Sic igitur primùm diſputo. Quæ abſolutio

peccatoris in peccatum mortale poſt Baptiſmum lapſi eum de ſe non iuſtificat primùm, nec ei gratiam Baptiſmi per peccatum amiſſam reſtituit de ſe, ſed eundem iam antea iuſtificatum, atque adeò miniſterio Eccleſiæ cum Deo reconciliatum ſupponit, ea non eſt Sacramenti pœnitentia propria, ſeu ſacramentalis abſolutio. Atqui abſolutio olim in pœnitentia publica poſt pœnitentiam peractam, & ſatisfactionem quæ pœnitenti à Sacerdote impoſita, imperatáque fuerat, perfectam dabatur, ea pœnitentem iam antea cum Deo reconciliatum, & Eccleſiæ miniſterio, à peccato iuſtificatum ſupponebat. Igitur ea abſolutio ſacramentalis non erat.

SECTIO SECVNDA.

Abſolutio ſacramentalis peccatorem iuſtificat, non iam iuſtificatum ſupponit.

MAior certa eſt ex variis de effectu, & virtute abſolutionis ſacramentalis Tridentinæ Synodi definitionibus & doctrina, quam priuſquàm affero. Obſeruatum velim me hîc non confundere effectum totius Sacramenti pœnitentiæ cum eius formæ & abſolutionis effectu. Certum enim eſt ex Tridentino ſeſſ. 14. can. 4. & cap. 2. ad perfectam & integram peccatorum remiſſionem Sacramentum pœnitentiæ valere, per illud pœnitentem ad nouitatem vitæ, & integritatem quæ in Baptiſmo data fuerat, ſeu ad III.

plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem quoad culpam, & pœnam omnem peruenire poſſe, dummodò pœnitens fletus, labores, atque nominatim ſatisfactionem congruam, ſeu quæ à diuina iuſtitia exigitur, adhibeat, itaut Sacramentum illud ſit *Baptiſmus laborioſus*, & cum labore totam illam peccatorum remiſſionem tribuat, quam Baptiſmus ipſe confert. At abſolutionis effectus proprius non eſt tanta pœnæ totius remiſſio, vt eius nihil reliquum ſit. Ex eodem enim Concilio ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14. can. 12. & cap. 8. culpâ, & cum ea ſimul pœnâ æternâ ſublatâ, pœnæ alicuius temporalis reatus ſupereſſe poteſt: ſed abſolutionis finis, & effectus proprius eſt vera culpæ remiſſio, impij iuſtificatio, & coràm Deo abſolutio, vt in huius diſſertationis cap. 1. oſtendi, ex illis Trident verbis ſeſſ. 6. cap. 14. qui ab accepta per Baptiſmum gratia per peccatum exciderant, eos per Sacramentum pœnitentiæ, cuius vis in forma præcipuè ſita eſt, rurſus iuſtificari, Deóque excitante, per meritum Chriſti, amiſſam gratiam recuperare poſſe. Item Sacramento hoc, vel eius voto culpam & pœnam æternam remitti, & ſeſſ. 14. cap. 2. qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, eum ante Tribunal huius pœnitentiæ, tanquam reum ſiſti, vt ad ipſum confugiens ab admiſſis peccatis *per Sacerdotis ſententiam*, id eſt abſolutionem *liberetur*. Nota eum non per contritionem neceſſariam, non per confeſſionem, aut ſatisfactionem, ſed per abſolutionem liberari. cap. 3. *rem & effectum huius Sacramenti quantùm ad eius vim & efficaciam perti-*

Digitized by Google

net, eſſe reconciliationem cum Deo, & vt ait Eugenius in decreto Florentino, eſſe abſolutionem à peccatis, can. 11. Sacerdos *à peccatis verè abſoluere* dicitur, & ita conferre gratiam de ſe abſoluentem à peccatis, quandoquidem Sacramenta noſtra continent gratiam, quam ſignificant, nec aliam abſolutio ipſa ſignificat. Vnde Catechiſmus Romanus in cap de Pœnit. ſic ait. *Abſolutio Sacerdotis verbis enuntiata, remiſſionem illam peccatorum ſignat, quam in anima efficit*, & Synodus Colonienſis anno Domini 1536. celebrata parte 7. cap. 30. docet *pœnitentiam quatenus Sacramentum dicitur, potiſſimùm in abſolutione Presbyteri conſiſtere, qua ille ex virtute verbi, & clauium ſibi à Chriſto traditarum, peccatorem pœnitentem, & in miſericordia Dei ſperantem à peccatis ſuis abſoluit.*

Ad quæ addo tres ſummos Pontifices Pium V. Gregorium XIII. & Vrbanum VIII. qui has Michaëlis Baij propoſitiones damnarunt. IV. *In peccato duo ſunt, actus & reatus, tranſeunte autem actu, nihil manet, niſi reatus, ſiue obligatio ad pœnam. Vnde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotis ſolùm liberat à reatu. Peccator pœnitens non viuificatur miniſterio Sacerdotis abſoluentis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans viuificat, & reſuſcitat, miniſterio autem Sacerdotis ſolùm reatus tollitur.* Nihil igitur in Sacramento pœnitentiæ vi cuius culpa tollatur ante abſolutionem neceſſariò prærequiri poteſt, quemadmodum nulla

cauſa quem vi ſua producere poteſt effectum, iam eſſe & exiſtere ſupponit.

V. Atque hæc doctrina communi Theologorum ſuffragio iampridem defenſa fuit contra Magiſtrum ſententiarum nonnullóſq; alios aſſenſos ei dicenti in 4. diſt. 18 pœnitentem antequàm à Sacerdote abſoluatur debere vi contritionis iuſtificari. *Solus enim Chriſtus, vt aiunt, non Sacerdos animam reſuſcitat, debitum verò æternæ pœnæ ſoluere conceſſit Sacerdotibus.* Item, *Sacerdotem habere poteſtatem ſoluendi, & ligandi, id eſt, oſtendendi homines ligatos, vel ſolutos Quia quantumuis peccator aliquis apud Deum ſolutus ſit, non tamen in faciem Eccleſiæ ſolutus habetur, niſi per iudicium Sacerdotis.* Vnde concludit dum Sacerdos pœnitentiæ ſatisfactionem imponit, ligare confitentem. ſoluere autem eundem, quatenus de ea aliquid ipſi dimittit, vel etiam ſatisfactione purgatum ad Sacramentorum communionem admittit, quæ ſuæ doctrinæ capita iiſdem quibus recentiores ſua haud abſimilia placita SS. Patrum, Leonis, Gregorii, aliorumque teſtimoniis illóq; adeò decantato Lazari excitati exemplo probat. Quãquam non eſt improbabile Magiſtrum, alióſque quamplurimos ei aſſenſos aliquid aliud quàm quod eis ſolet tribui voluiſſe, quod poſtea cùm Lazari exemplum exponam, diligentiùs obſeruabo.

VI. Interim S. Thomas in opuſc. de forma abſolut. in obiectione 7. ſic ait. *Qui verò dicit, quod Sacerdos non poteſt habere ſupra culpam poteſtatem, & hoc poteſt habere calumniam. Sciendum eſt*

dum eſt, quòd ſi intelligat, quòd Sacerdos ſua authoritate ſuprà culpam potentiam non habet, dicit verum: ſi autem intelligit quòd Sacramentum, quod Sacerdos vt miniſter tradit, non ſe extendat ad remiſſionem culpæ, falſum dicit. Sicut enim per Baptiſmum dimittitur omnis culpa, & originalis, & actualis: ita per Sacramentum pœnitentiæ remittitur actualis culpa. Contingit autem quandoque in Baptiſmo, quòd aliquis antequam Sacramentum Baptiſmi actu percipiat, dum habet Sacramentum in voto, vel in propoſito, conſequitur iuſtificationem à ſolo Deo: & tamen ſi ante conſequutus non fuerit, ex vi Sacramenti, niſi obicem opponat, iuſtificationem conſequitur Sacramentum ſuſcipiendo, ita omnino eſt de pœnitentia. Nullus enim reputatur contritus, niſi habeat propoſitun ſubijciendi ſe Eccleſiæ clauibus, quod eſt habere Sacramentum in voto; vnde quandoque aliqui conſequuntur iuſtificationem in ipſa abſolutione, quam antea non fuerant aſſequuti. Et in obiene 14. *Abſit vt Sacramenta nouæ legis ſolùm ſignificent, & nihil faciant, ſicut veteris legis Sacramenta. Si autem Sacerdos ſolùm diſcernendo denuntiaret peccatoris abſolutionem, nihil faceret, ſed tantùm ſignificaret. Ergo facit aliquid miniſterium abſolutionis impendendo, non tamen idoneos accedentes ad Sacramentum. Hoc enim ſolus Deus facit, qui ad ſe hominum corda conuertit, & reſpectu huius idoneitatis non habet Sacerdos niſi diſcretionem, ſicut & Sacerdos legalis circa lepram.* Ac demùm aſſerit temerarium eſſe dicere, quòd per claues Eccleſiæ

non ſiat certa remiſſio peccatorum, loquitúrque de clauibus quibus vtitur Sacerdos cùm ſacramentaliter abſoluit, & intelligit remiſſionem veram diuerſam à declaratione qua pœnitens iam abſolutus declararetur.

VII. Quæ cùm ita ſe habeant, Facultas Theologica Pariſienſis prima die Iunii anni 1638. has recentioris cuiuſdam propoſitiones examinauit. *Pœnitentia nec vera, nec integra, nec ſecura eſt, niſi veræ contritionis conditiones habeat. Item, actus charitatis perfectæ, qui nimirum vera contritio appellatur, eſt omnino vel abſolutè neceſſarius ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrãdam. Item, Abſolutio aliud nihil eſt, quàm actus iuridicus, quo Sacerdos non ſimpliciter, ſed cum authoritate, & CHRISTI IESV nomine peccata remiſſa eſſe declarat, déque ea remiſſione ſententiam iuridicè pronuntiat.* Eas autem ſic damnandas Facultas cenſuit: *Quæ tradit de attritionis inſufficientia, & contritionis ex perfecta charitate abſoluta neceſſitate ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ: & quæ addit, & approbat de abſolutione, quod nihil aliud ſit, quàm declaratio iuridica peccati iam remiſſi, damnauit quoque Facultas, & cenſuit has propoſitiones eſſe quietis animarum perturbatiuas, communi & omnino tutæ praxi Eccleſiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti imminutiuas, & inſuper temerarias, ac erroneas.*

VIII. Has propoſitiones ſapientiſſimè coniunxit Facultas, ac nominatim efficaciæ Sacramenti imminutiuas eſſe pronuntiauit. Si enim abſolutio

prærequirit contritionem ex perfecta charitate tanquam abſolutè neceſſariam, ea non primùm iuſtificat pœnitentem, & ita tantum iuridicè declarat eum iam eſſe iuſtificatum, & peccati remiſſionem accepiſſe vi contritionis, quam magna cum prudentia *ex perfecta charitate* eadem Facultas ſpeciatim expreſſit, quia non ignorauit apud antiquos Theologos, qui in Sacramento pœnitentiæ contritionem poſtulant, eam latiùs ſumptam eſſe, & quatenus differt ab attritione, quam dolorem de peccato aut merè naturalem, aut etiam in aliqua circumſtantia deficientem intellexerunt. Sed cùm id obiter dixerim, nunc, vt opinor, ſatis ſupérque probata eſt illa mea maior propoſitio, qua aſſerui abſolutionem ſacramentalem virtute ſua peccatorem iuſtificare primùm, & cum Deo reconciliare, & quæ eum iam anteà iuſtificatum, à peccati culpa abſolutum ſupponit, eam ſacramentalem non eſſe. Scio nonnullis difficilè videri quòd abſolutio ſacramentalis peccatum veniale remittit, cùm tamen ea dolorem huius, quo poſito illud remittitur, ſupponat. At reſpondeo accidentarium abſolutioni illi eſſe, quòd iam peccatum veniale remiſſum ſit. Nam vt de virtute doloris ab homine iuſto eliciti, pro peccato veniali delendo neceſſarii, nihil hîc dicam. Certum eſt qui peccati mortalis reus, non ſolùm iſtud, ſed etiam veniale confitetur, ab hoc quoque vi Sacramenti abſolui, quo in caſu abſolutio ſacramentalis primam peccati venialis remiſſionem tribuit. Si verò quid aliud contingit, id æquè accidentarium eidem abſolutioni eſt, ac quod ante eum pœnitens con-

tritionem ex charitate perfecta affert, & iam iuſtus eſt, cum abſoluitur.

Sectio Tertia.

Quòd abſolutio in publica pœnitentia poſt ſatisfactionem peractam data, peccatum quoad culpā remiſſum eſſe de ſe poſtulet, ex S. Leone probatur.

IX. Hoc ipſi contra quos hæc diſputatio inſtituta eſt, Doctores vltrò admittunt, vt ex eorum dictis, & tota de pœnitentiæ ordine doctrina intelligitur, & hoc vel vno potiſſimùm nomine malè audiunt apud Catholicos, quod non niſi iam ſalubri ſatisfactione purgatos, vt ex S. Leone loquuntur, pœnitẽtes abſolui iubeant, & eorum iuſtificationem, aut peccatorum remiſſionem nec Sacramenti voto, quod in contritione perfecta includitur, nec abſolutioni illi vltimæ, præter quam nullam aliam ſacramentalem agnoſcunt, ſed ſatisfactioni, & pœnitentiæ illi diuturnæ à Sacerdote iniunctæ tribuunt. Verùm his modò tanquam leuioribus, & quæ ad refellendum potiùs, quàm quidquam probandum valent argumentis prætermiſſis, aliqua Patrum teſtimonia profero, quibus planè & diſertè abſolutio, de qua ſermo eſt, quam non niſi poſt publicam pœnitentiam peractam tribuebatur, pœnitentis cum Eccleſia reconciliatio dicitur, quam antecedere debeat alia eiuſdem pœnitentis cum

Deo reconciliatio, iuſtificatio & peccati remiſſio etiam clauium Eccleſiæ miniſterio conceſſa, ac conſequenter per abſolutionem ſacramentalem: ſiquidem in hac præcipuè ſita eſt clauium virtus & poteſtas.

Primùm laudo S. Leonem, quem aduerſarii adeò ſæpè afferunt, & eius verbis omnino abuſi, triumphant parte 2. cap. 8. pag. 289. & alibi ſæpiùs. Cùm enim reconciliationem ab eo pro abſolutione ſacramentali ſumptam ſupponant, inde putant ſe conficere eam non niſi iam iuſtificato, & per diuturnam pœnitentiam purgato, legitimè concedi poſſe, cùm potiùs eam reconciliationem ab abſolutione ſacramentali diuerſam intelligere debuiſſent. Sed S. Leo audiatur, qui ſic in epiſt. 92. ad Theodorum ſcribit. *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolùm per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per pænitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes ad remiſſonem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum homo* CHRISTVS IESVS, *hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitẽtibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Clarum eſt hanc reconciliationem non niſi ſalubri reconciliatione purgatis dari, id eſt, iuſtificatis, & à peccato abſolutis, ſeu liberis. Quis X.

enim alius purgatus intelligi queat? Cúmque hæc reconciliatio ſit aliqua *indulgentia Dei ſupplicationibus Sacerdotum* obtenta, ea tamen indulgentia vnica non eſt, nec prima, ſed quæ ſequitur alteram etiam ſupplicationibus Sacerdotum conceſſam iis, quibus illi *confitentibus actionem pænitentiæ dant.*

XI. Quódque actio hæc pœnitentiæ etiam indulgentia Dei à S. Leone dicatur, clarè intelligitur ex eo quòd vt probet indulgentiam Dei non niſi Sacerdotum ſupplicationibus obtineri, ſubiungit, Præpoſitos pœnitentiæ habere poteſtatem, & confitentibus pœnitentiæ actionem dandi, & eoſdem per ianuam reconciliationis ad communionem Sacramentorum admittendi, quæ ratio haud dubiè vana eſt, niſi Sacerdos non tantùm per reconciliationem, ſed etiam per actionem pœnitentiæ confitentibus datam, diuinam indulgentiam & gratiam tribuat. Duplex igitur Dei indulgentia eſt per Miniſtros Eccleſiæ data, vna reconciliatio, de qua ibi ſermo eſt, & altera prior dicta actio pœnitentiæ, quæ eſt eiuſdem *pænitentiæ medicina*, per quam æquè, ac per Baptiſmi gratiam *ſpes vitæ reparatur æternæ*, & per quam qui peccatum confeſſus, ſéque Tribunali pœnitentiæ reum ſiſtit, ac *proprio* ſe *iudicio condemnat ad remiſſionem peccatorum peruenit*, quod non niſi de abſolutione ſacramentali pœnitenti peccata ſua confeſſo data commodè intelligi poteſt. Quamobrem cùm illam reconciliationem ſalubri ſatisfactione purgati antecedat pœnitentiæ medicina, per quam peccator ſpem vitæ æternæ, & conſequenter gratiam Dei cha-

ritatémque recuperat, ad remiſſionem criminum peruenit,& non tã tùm ſua ipſius operatione, ſed etiam Sacerdotum ſupplicationibus, indulgentiam Dei obtinet, quod niſi à peccato ſuo abſolutus habere nequit: inde, ni fallor, euidentiſſimè colligitur, reconciliationem illam vltimam, ſeu abſolutionem,de qua S. Leo loquitur, non eſſe ſacramentalem, ſed eam omnino iam poſitam, & Eccleſiæ miniſterio Sacerdotúmque ſupplicationibus datam, conſequi. Quæ enim alia Sacerdotum ſupplicatio peccatori Dei indulgentiam tribuat, quàm abſolutio ſacramentalis? Idipſum ante S. Leonem S. Auguſtinus ſerm. 58. de tempore, ſic dixerat. *Sine aliqua diſsimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugiens priſtinã incolumitatem ſine aliqua mora, & forſitan ſine aliqua fœditate recipit.*

Sed redeo ad S. Leonem, qui quòd peractionem medicinámque pœnitentiæ, quam cum ſatisfactione ſalubri eandem facit, abſolutionem à peccatis ſacramentalem ab illa reconciliatione penitus diuerſam intelligat, id confirmari poteſt ex eo quòd idem Sanctus Leo *conſtituta illa remedia*, id eſt, *pœnitentiæ medicinam, munus indulgentiæ* appellat, *ſacerdotali miniſterio* collatum, & in quo *peccatorum reatus ſacerdotali ſupplicatione ſoluitur*. Et capite quarto. *His autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda ..... Verùm, vt dixi, etiam talium neceſsitati ita auxiliandum eſt, vt nec* XII.

actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur ..... Quòd ſi aliquâ vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur. Significat S. Papa dixiſſe ſe, ac decreuiſſe, vt morientibus actio pœnitentiæ, & communio daretur. At nuſquam anteà communionis meminerat, ſed tantùm reconciliationis, quas idcirco in eadem ſignificatione illum ſumpſiſſe oportet. Igitur ibi reconciliatio eadem eſt, ac communionis gratia, quæ ab actione pœnitentiæ, medicina, remedio, præſidio, ipsáque ſatisfactione diſtinguitur, cúmque hæc actio pœnitentiæ, quæ Dei indulgentiam, & criminum remiſſionem tribuit, quæque morienti phrenetico, ſi eam priùs petierit à Sacerdote, danda eſt, alia quàm abſolutio ſacramentalis vel animo fingi nequeat, inde, quod probandum ſuſceperam, conficio, reconciliationem illam non eſſe abſolutionem à peccatis ſacramentalem, ſed aliam quæ ſacramentali poſterior eſt, quæque peccatum remiſſum, & hominem Eccleſiæ miniſterio iuſtificatum ſupponit, non facit.

SECTIO QVARTA.

Duplex illa abſolutio & reconciliatio probatur ex S. Eligio.

DVas illas abſolutiones & reconciliationes, priorem cum Deo, & poſteriorem cum Eccleſia, háncque abſolutionem pœnitentibus in fine pœnitentiæ dari ſolitam planiſſimè docet S. Eligius Nouiomenſis, Homil. 4. in Cœna Domini, vbi cùm dixiſſet eum indignè accipere Euchariſtiam, qui accipit eo tempore, quo debet agere pœnitentiam, quia cùm iſte excommunicatus ab Euchariſtia Eccleſiæ prohibitione arceatur, ſi Euchariſtiam ſumit, is Eccleſiæ præcepti violati reum ſe facit; poſtea pœnitentes vltima illa abſolutione reconciliandos ſic alloquitur. *Vnde mihi ad vos, ô fratres, nunc habendus eſt ſermo, quos mater ſancta præſens Eccleſia noſtro officio hodie reconciliat Deo. Ad vos igitur noſtra ... iſta ſit exhortatio, vt agnoſcat vnuſquiſque veſtrum ex ſemetipſo ſi reconcilietur, vel non reconcilietur Deo, quamuis reconciliari eius Eccleſiæ noſtro videatur miniſterio.* S. Eligius, vt vides, duplicem reconciliationem, alteram cum Deo, cum Eccleſia alteram agnoſcit, háncque ſine illa, neutramque ſine Sacerdotum miniſterio fieri poſſe docet. Quæ autem peccatoris cum Deo reconciliatio ſit, exponit, cùm ait, tunc eum cum Deo *per Chriſtum, & per eos quibus dedit reconciliationis miniſte-* XIII.

rium reconciliari cùm ſit noua creatura. Nemo autem ſe ab Epiſcopo cum Eccleſia ſcilicet, validè & legitimè recōciliari, ſeu ad communionem admitti niſi credat *per confeſſionẽ ac pœnitentiam condignam ſatisfactionem egerit*, id eſt, vt addit, *condignam Deo pœnitentiã de præteritis obtulerit noua creatura factus* cum Deo recōciliatus fuerit. Illa igitur quam petebant pœnitentes, reconciliatio, non eos cum Deo, ſed cum Eccleſia reconciliatura erat, eáq; alteram in qua cum Deo etiam per Sacerdotum miniſterium in gratiã redierant priorem ſupponebat. Quod vt idem S. Eligius probet S. Leonem ſuperiùs allatũ laudat, & Homil. 7. publicè pœnitentes *iam per pœnitentiam mundatos intra ſinum Eccleſiæ per reconciliationis Sacramentum* reuocari ait, atque ita ſignificat, eos antequam ita per communionis gratiam, & Euchariſtiam reconciliati intra ſinum Eccleſiæ, à quo per excommunicationem eiecti fuerant, reuocentur, iam priùs per pœnitentiam mundatos fuiſſe.

XIV. Et Homil. 8. poſtquam reliquos Chriſtianos, vt de peccatis ſuis, quorum aliqua omnino mortalia commemorat, pœnitentiam agerent, hortatus eſt, reconciliaturus publicos pœnitentes, ſic alloquitur. *Nunc ad vos ſermo noſter dirigitur, quos mater Eccleſia quaſi non ſuos recognoſcens, ob fœditatem ſcelerum veſtrorum dudùm à ſe repulit: modò verò quia Domino per dignos pœnitentiæ fructus placuiſtis mundantes vos (quantùm humana fragilitas permittit) ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus per crebra ieiunia, & afflictiones cor-*

porum, quaſi iam ſuos ad ſe renocat. Taceo quòd Sanctus Eligius ait ſe reconciliare publicos pœnitentes ab Eccleſia eiectos, & ad hanc reuocare, non autem alios Chriſtianos quantumuis peccatorum mortalium reos, quia videlicet loquitur de reconciliatione non cum Deo, qua eget omnis eius inimicus, & peccator, ſed cum Eccleſia, cum qua reconciliandus non eſt, qui ab ea nunquam eſt excommunicatus. Id vnum obſeruo Sanctum Eligium non reuocare, nec cum Eccleſia reconciliare per illam abſolutionem, niſi eos qui iam Domino placuerunt, mundati ab omni inquinamento. Igitur illa abſolutio pœnitentem cum Deo reconciliatum eſſe ſupponit, nec eum in diuinam amicitiam, & iuſtitiam reſtituit, quòd mihi probandum eſt.

Nec opponas Sanctum Eligium ſubiicere pœnitentes *illos per impoſitionem manuum Epiſcopalium abſolui à peccatorum vinculis, quia ſtatim reſtituuntur ſacris altaribus.* Multiplicia enim peccatorum vincula ſunt, nec neceſſe eſt illa vincula eſſe culpæ, ſed reatus pœnæ temporalis, & alia peccatorum vincula, à quibus abſolui & liberari eum qui ſacris altaribus reſtituitur. docet Tridentinum cùm ſeſſ. 13. cap. 2. *Euchariſtiæ Sacramentum vocat antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruamur*, certúmque eſt Sacrificium Miſſæ, cuius ille pœnitens fit particeps, eſſe propitiatorium, & valere ad remiſſionem peccatorum quæ à nobis quotidie committuntur, vt fusè docet idem Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. 11. & can 3. Nihilque apud SS. Patres frequentiùs le- XV.

gitur, quàm Euchariſtiam ſumi in remiſſionem peccatorum, quantumuis ipſa ſit Sacramentum viuorum, nec legitimè ſumi poſſit niſi ab iis qui nullius peccati mortalis conſcientiam habent.

XVI. Præterea idem S. Eligius Homil. 11. duplices pœnitentes & peccatores diſtinguit, alios publicos, alios non publicos, hóſq; monet, vt per confeſſionem Deo reconcilientur, ſeu per Sacramentum confeſſionis, eo ritu qui nunc in Eccleſia obſeruatur. *Dicta iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Ex eo enim vnuſquiſque iuſtus eſſe incipit, ex quo ſui accuſator extiterit. Confeſſio enim pœnitentiam monſtrat; pœnitentia ſatisfactionem oſtentat, ſatisfactio veniam ſibi diuina pietate conciliat; nec enim poterit indulgentia tribui, niſi ira Dei poſſit pœnitentia placari.* Nihil igitur aliud peccator, vt indulgentiam & abſolutionem per Sacramentum pœnitentiæ (id enim haud dubiè S. Eligius intelligit, qui confeſſionem requirit) obtineat, præſtare debet, quàm confeſſionem ſacramentalem, quia hæc pœnitentiam internam, & contritionem monſtrat, Sacerdotique notam facit, & pœnitentia ſatisfactionem oſtentat, quique ſe peccati verè pœnitere ſignificat, is ſe ad ſatisfactionem à Sacerdote iniunctam agendam, eiuſque præceptum ſeruandum paratum eſſe profitetur. Et quia pœnitens confeſſus peccata, partes omnes ſuas Sacramenti explens à Sacerdote ſtatim abſolui poteſt, idcirco ab Eligio confeſſionis Sacramentum confeſſionis remedium appellatur, & confeſſio affert ſalutem, vt ibidem loquitur.

Ad pœnitentes autem publicos ſic ait. *Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pænitudinis habitu conſtitutos facie ſqualida, & crine demiſſo, peccamina veſtra planxiſſe, & vitia carnis in vobis mortificaſſe, quantùm homini videre poſſibile eſt, conſideramus. Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe eſt, quia licet impoſitionem manuum noſtrarũ* (reconciliationem nimirũ, de qua diſputamus) *accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis, antequàm per compunctionis gratiã diuina pietas vos abſoluere dignabitur; tunc enim, vt B. dicit Gregorius, vera eſt abſolutio præſidentis, cum interni arbitrium ſequitur iudicis.* Atque hæc & ſequentia verba ſunt, quæ poſt Magiſtrum adeò inculcant, qui volunt non eſſe à Sacerdote abſoluendum pœnitentem, niſi iam intùs à Deo iuſtificatũ, itaut iſte eius ſtatus per ſatisfactionem plenam eidem Sacerdoti notus fiat, vnde abſolutionem ſacramentalem quam hoc loco à S. Eligio intellectam volunt, diuinæ abſolutionis declarationem eſſe contendunt. Quàm grauiter autem fallantur, conſtat ex verbis eiuſdem ſequentibus. *Quod benè quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet demõſtrat, quia priùs mortuum vocauit Dominus, & viuificauit dicens, Lazare veni foràs, & poſtmodùm is qui viuẽs egreſſus fuerat, a diſcipulis eſt ſolutus.... Ecce illum iam viuentem diſcipuli ſoluunt, quem Magiſter reſuſcitauerat mortuum; ſi enim diſcipuli Lazarum mortuum ſoluerent, fœtorem magis oſtenderent, quàm vir-* XVII.

tutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod nos debemus per paſtoralem authoritatem eos ſoluere, quos agnoſcimus authorem noſtrum per ſuſcitantem gratiam viuificaſſe; quæ nimirum viuificatio, ante operationem rectitudinis, in ipſa iam cognoſcitur confeſſione peccati. Itane verò dum ſanctiſſimi, doctiſſimique Præſules Gregorius, & Eligius ante *operationem rectitudinis*, ante fructus dignos pœnitentiæ, & ante ſatisfactionem diuturnam, iam ex *ipſa peccati confeſſione*, peccatoris viuificationem internam cognoſci dicunt, his recentioribus multorum annorum, aut certè menſium pœnitentiam qua pœnitentis animum Sacerdos exploret, & abſolutione ſacramentali dignum probet, & omnino poſtulantibus patrocinantur? *Vnde & huic ipſi mortuo Lazaro nequaquam dicitur reuiniſce; ſed veni foràs. Omnis quippe peccator intra conſcientiam abſcondit ſe, introrſus latet, in ſuis penetralibus occultatur, ſed mortuus venit foràs, dum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, veni foràs, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur, cur reatum tuum intrà conſcientiam abſcondis? foras iam per confeſſionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque iam foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator, venientem verò foràs, ſoluant diſcipuli, vt Paſtores Eccleſiæ pœnam amoueant, quam meruit, quia non erubuit confiteri quod fecit.* Atque hæc eſt abſolutio, non à culpa, ſed à pœna, eâque eccleſiaſtica, quam Eccleſia infligit peccatori, à quo graue ſcandalum patitur, quæ non ſoluit

eiuſdem culpam, nec pœnitentem viuificat, ſed ſupponit eum iam viuificatum à Deo per confeſſionem, ſeu potiùs per ſententiam Sacerdotis audita confeſſione pronuntiatam, nec eſt peccatoris cum Deo ſed cum Eccleſia reconciliatio.

Nonnulli apud Magiſtrum hanc abſolutionem, & reconciliationem ſacramentalem interpretati, per pœnam intellexerunt pœnam æternam, quam culpa per contritionem deleta, per abſolutionem illam remitti exiſtimarunt. Sed eos refutat Tridentinum, vt & eos qui non aliam quàm à pœna eccleſiaſtica, ſeu excommunicatione abſolutionem ſacramentalem eſſe dixerunt. Vera ergo ſanctorum Patrum mens, & vt opinor, Eccleſiæ doctrina eſt, tam publicos, quàm priuatos peccatores, ſeu pœnitentes, & ob peccatum mortale à Deo ſolo, vel etiam ab Eccleſia excommunicatos, ſeu Dei ſolius, vel etiam Eccleſiæ præcepto ab Euchariſtica communione repulſos, non niſi à Deo per Sacerdotum miniſterium à culpa abſolui, idque fieri in Sacramento pœnitentiæ, & confeſſionis, cùm ſcilicet confitentem peccata, & ſui accuſatorem in tribunali pœnitentiæ auditum cauſáque examinata, poſt iniunctam, acceptámque ſatisfactionem congruam Sacerdos Iudex ſententiam pronuntiat, reum abſoluit, & cum Deo reconciliatum viuificat. Si quem verò Eccleſia excommunicatum pœnitentia publica damnauit, vt tunc poſteà Paſtores cum illa reconcilient requiritur, vt ille priùs à culpa per confeſſionem liberetur. Nec enim ea huiuſmodi pœnitentis XVIII.

abſolutio eſt à culpa, ſed à pœna Eccleſiæ & excommunicatione, à qua ſolutus quia ad communionem Euchariſtiæ admittitur, eum iam à peccato liberum eſſe oportet, quod non aliter quàm per confeſſionem fieri ſæpiùs S. Eligius docet, ac nominatim cùm ait, *non poſſe indulgentiam tribui, niſi ira Dei poſſit confeſſione placari, quia per confeſſionem venia naſcitur, eaque ſalutem affert.*

Sectio Qvinta.

Alii Sancti Patres idem ipſum ſenſerunt.

XIX. QVod peccatoris abſolutio duplex in Lazaro adumbrata ſit, & poſterior ſolutio alteram qua per Sacerdotem culpa remittitur ſupponat, id ex libro 5. Capitularis Caroli Magni verſu 62. Iſaac Lingonen. can. 12. adeò clarè dicit, vt nullus dubitationi locus reliquus eſſe poſſit. *Inuocatione ſancti Spiritus, qui eſt remiſſio peccatorum, per manus Epiſcoporum, vel eorum authoritate reliquorum Sacerdotum impoſitionem, vel ſupplicationibus eorum peccata remitti,* ſic probat. *Nam quando Dominus Lazarum ſuſcitauit, ait ſuis diſcipulis, Tollite lapidem, ſubauditur, vt mortuus reſurgat, dans exemplum, vt ſicut ipſi manibus tollunt lapidem, vt mortuus ſurgat: ita & ipſi, & ſucceſſores eorum ma-*

m manus pœnitentibus imponant, vt per im-ſitionem manuum ſuis precibus mortuum de ·ulchro, id eſt peccatorem de vitijs ſurgere & ·leuare faciant. Et ſicut illi Lazarum inſtitis, eſt, funibus conligatum, iubente Domino ſol-int, qui ait, ſoluite eum, & ſinite abire: ita i eorum ſupplicationibus, auxiliante Domi-, & cooperante Spiritu ſancto, qui in his ſem-r operatur, per manus impoſitionem, peccato-um ſoluant vincula, eoſque tempore à ſanctis atribus conſtituto, ſacra Eucharistia commu-cent, & abſolutos ire permittant. Quemadodum igitur diſcipuli Lazarum dupliciter ad-uerunt, primùm cùm lapidem tulerunt, & a ad vitam reuocanti Chriſto miniſtrarunt: :inde cùm eundem iam excitatum, à vinculis, uibus eum mortuum alii ligauerant, non quæ ſe induerat, ſibiq; moriendo iniecerat, ita pec-itorem publicum, & fætentem (huius enim on cuiuſlibet peccatoris Lazarum fuiſſe figu-ım, Patres docent) Eccleſia per Miniſtros ſuos uplici abſolutione ſoluit, priore ſacramentali, ıa illum *de vitijs*, déque morte peccati *ſurgere & releuare facit*; poſteriore canonica, ſeu ec-eſiaſtica, qua iam per illam reſuſcitatum, à vin-ılis, quibus ab Eccleſiæ Patribus ligatus tene-atur, & ne communicaret impediebatur, ſolu-ım eadem Eccleſia dimittit. Quæ abſolutio po-erior ſacramentalis eſſe non poteſt, cùm non iſi iam per claues abſoluto, & remiſſionem ·eccatorum conſequuto legitimè concedi poſſit.

XX. Nec te moueat quod Sacerdotes poſteriore ·ſolutione *peccatorum vincula* ſoluere dicun-

tur. Excommunicatio enim vinculum aliquod peccati eſt, cùm non niſi pro peccato infligenda ſit. Præterea pœna omnis vinculum eſt, & pœna temporalis poſt culpam abolitam reliqua eſt vinculum peccati, à quo ſoluitur peccator, cùm communioni Eccleſiæ reſtitutus, Euchariſtiæ, Sacrificii Miſſæ, & Eccleſiæ ſuffragiorum, quibus illa pœna redimitur, particeps ſit.

XXI. Hanc duplicem Lazari ſolutionem duplici quoque pœnitentis reconciliationi cum Deo, & cum Eccleſia explicanda accommodatam Sancti Gregorius, quique eius verba exſcripſit Eligius, & ex libro quinto Capitularis Caroli Magni Iſaac accepiſſe videntur ex S. Ambroſio lib. 2. de Pœnit. cap. 7. & ex S. Auguſtino Homil. 27. cap. 3. Ille enim cum Lazaro ſepulto publicum pœnitentem comparat, & quòd Chriſtus de illo dixit, *vbi poſuiſtis eum*, *hoc eſt*, inquit, *in quo reorum ſtatu eſt, in quo pœnitentium ordine? videam quem fletis, ſi lachrymis ſuis ipſe ſe moueat. Videam ſi iam peccato ei cuius venia poſcitur, defunctus eſt? Dicet plebs veni, & vide ..... Veniet* itaque, *& leuari lapidem iubebit, quem ceruicibus peccatoris lapſus impoſuit*, culpę videlicet reatũ, & gratiæ obicem, quem tolli & illum remitti iubet Chriſtus, idque vt faciant ſuis Miniſtris Sacerdotibus imperat. *Potuit remouere lapidem imperio ſermonis, iubenti enim Chriſto etiam inſenſibilis ſolet natura obedire, poterat tacita vi operationis occultæ transferre ſaxum ſepulchri .... ſed hominibus iuſſit, vt remouerent lapidem; in veritate quidem vt increduli crederent, quod vide-*

bant, & aſpicerent reſurgentem mortuum; in typo autem, quo nobis donaret, vt leuaremus delictorum onera, moles quaſdam reorum. Noſtrum eſt onera remouere, illius educere de ſepulchris exutos vinculis. S. igitur Ambroſius ante ſuſcitati ſolutionem, ab Eccleſiæ Miniſtris factam, agnouit priorem eorumdem operationem in leuandis delictorum oneribus, & reatu tollendo, quòd non aliud quam remiſſio peccatorum abſolutione ſacramentali facta eſſe, nec obligatio peccatoris per pœnitentiam impoſitam, aut vinculi alterius quàm ipſius peccati intelligi poteſt. *Leuatur enim lapis* quem non Eccleſiæ Miniſter ceruicibus peccatoris, ſed lapſus ipſe impoſuit.

Quódque hæc oneris leuatio, & reatus remiſſio, in pœnitentia tunc fiat, cùm peccator delicta confitetur, docet Ambroſius. *Compatitur Chriſtus dilectæ ſuæ, & dicit defuncto: Veni foràs, hoc eſt, quid iaces in tenebris conſcientiæ, & delictorum tuorum ſordibus, quodam reorum carcere? Exi foràs, delictum proprium prode, vt iuſtificeris. Ore confeſſio fit ad ſalutem. Si confeſſus fuerit à Chriſto vocatus clauſtra rumpentur, & omnia ſoluentur vincula, etiam ſi corruptelæ corporeæ fœtor grauis ſit.* Nondum Sanctus Ambroſius nouam, & nuper inuectam de ſemeſtri poſt confeſſionem abſolutionis ſacramentalis dilatione diſciplinam didicerat, qui peccatorem ſtatim ac confeſſus fuerit, peccata etiam publica, & quorum fœtore graui offenſa Eccleſia, antequam eum communioni reſtituat, ſibi diuturna pœniten- XXII.

tia ſatisfieri vult, abſolui, clauſtra eius rumpi, & omnia peccati vincula ſolui iubet. *Quantumlibet ergo mortui fœtor ſit, aboletur omnis, vbi ſacrum redoleuerit vnguentum, & reſurgit defunctus, & ſolui iubentur eius vincula, qui adhuc in peccato eſt, tollitur velamen de facie eius, quod veritatem gratiæ quam acceperat, obumbrabat, ſed qui venia donatus eſt, reuelare faciem, aperire vultum iubetur. Non habet enim quod erubeſcat, cui peccatum remiſſum eſt.* Eſtque hæc ſecunda abſolutio non viuificans, nec à morte peccati excitans peccatorem, cui niſi iam rediuiuo concedenda eſt, non vt illi gratiam conferat, ſed vt tollat velamen de facie eius, quòd gratiæ iam per priorem abſolutionem acceptæ veritatem obumbrat, & vt planè dicam, declaratur populo Chriſtiano dignus, qui ob ſatisfactionem exhibitam communioni reſtituatur, quod fit cùm idem ille cum Eccleſia reconciliatus, ab excommunicationis vinculo abſoluitur. Quòd autem Sanctus Ambroſius ait, tunc ſolui eius vincula, *qui adhuc in peccato eſt*, abſit vt exiſtimet, eum adhuc culpæ mortalis reatu obſtrictum teneri; is enim confeſſus peccatum iuſtificatus eſt, qui mortuus erat, *reſurrexit, venia donatus eſt*, & *gratiam*, licet adhuc occultam, & *obumbratam accepit*. Sed in peccato eſſe dicitur, qui nondum liber eſt, vt Euchariſtiam percipiat, & aliqua peccati macula ſordidus eſt qui nondum ſublato ſcandali opprobrio, & excommunicationis Eccleſiaſticæ velamine inter pœuitentes & peccatores recenſetur.

Denique Sanctus Auguſtinus Homilia 27. XXIII.
cap. 3. de iis qui pœnitentes in Eccleſia propriè vocantur, & de eorum abſolutione qua poſt peractam pœnitentiam liberi dimittuntur, ſic loquitur. *Poſt ſuggeſtionem facti, & delectationem, & conſenſionem, & perpetrationem quaſi quatriduanus mortuus putet.* Quantumuis *enim grauis res, graue vulnus, lethale, & mortiferum*, vt ibidem loquitur, quamuis *aliquod adulterium, homicidium, ſacrilegium eſſet*, niſi tamen præter internum conſenſum crimen perpetratum publicum, & Eccleſiæ ſcandalo eſſet, is inter pœnitentes non iaceret, nec Lazaro quatriduano ſimilis foret. *Sed nec ipſum Dominus deſeruit, ſed clamauit, Lazare prodi foràs. Ceſſit voci miſericordiæ moles ſepulturæ, ceſſit mors vitæ, ceſſit infernus ſuperno. Eleuatus eſt Lazarus, proceſſit de tumulo: & ligatus erat, ſicut ſunt homines in confeſſione peccati agentes pœnitentiam. Iam proceſſerunt à morte, nam non confiterentur, niſi procederent; ipſum confiteri ab occulto, & à tenebroſo procedere eſt. Sed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ? Quæ ſolueritis, inquit, in terra, ſoluta erunt & in cœlo. Proinde Lazaro procedente, quia impleuit Dominus miſericordiæ ſuæ bonũ, perducere ad confeſſionem mortuum latentem, iam cætera implet Eccleſiæ miniſteria. Soluite eum ſinite abire.* Si confeſſionem peccatoris ſolam Sanctus Auguſtinus, nec cum ea tunc dari ſolitam abſolutionem ſacramentalem intelligeret, credis Lector eum dicturum fuiſſe confitentem *à morte procedere* rediuiuum, & iam à peccati

morte excitatum? Nonne abſolutio illa diuinæ miſericordiæ bonum eſt? Quomodo ergo pœnitentem Eccleſiæ ſoluendum non tradit Dominus, niſi poſtquàm *impleuit miſericordiæ ſuæ bonum*, niſi quia priùs illum per ſuos Miniſtros ſacramentaliter abſoluerat? Ac ne te diutiùs morer, cum Sanctus Auguſtinus Dominum iam tunc cætera Eccleſiæ miniſteria impleri, & pœnitentem ſolui, ac liberum dimitti iubere ait, quia iam ipſe erga illum miſericordiæ ſuæ bonum impleuit; nonne, quòd probandum mihi eſt, clarè, & apertè docet, hoc vltimum Eccleſiæ miniſterium, & abſolutionem, quæ pœnitentiæ publicæ extrema pars, & actio eſt, eundem pœnitentem iam à peccato iuſtificatum, & in confeſſione ſeu Sacramento pœnitentiæ abſolutum ſupponere?

Sectio Sexta.

Lazari exemplum, & quæ eo nititur Theologorum doctrina de abſolutionis ſacramentalis effectu iterum expenditur.

XXIV. HVius ſeptimi capitis doctrina ſupponit reconciliationem, quæ nonniſi iam per Eccleſiæ claues iuſtificato pœnitenti legitimè tribuitur, ſacramentalem non eſſe. Si qua enim peccatoris iuſtificatio clauium virtute fit, ea abſolutioni ſacramentali tribuenda videtur, quia cùm illa pœnitentiæ ſacramentalis effectus ſit, nonniſi per formam, in qua Sacramenti illius vis

præcipuè ſita eſt, habetur. Deinde cùm miniſter clauium propriè non ſit pœnitens, ſed Sacerdos, hic beneficium præcipuum clauium virtute collatum, ſeu remiſſionem peccati quoad culpam alicui ſuæ actioni iure quodam proprio vindicat, cúmque nulla Sacerdotis actio præcipua alia ſit quàm duplex, altera ligandi, altera ſoluendi, quis dubitet, quin remiſſio illa peccati, & pœnitentis iuſtificatio, non ligandi, ſed ſoluendi actioni, ſeu abſolutioni ipſi ſacramentali adſcribenda ſit?

Minimè tamen neſcius ſum quamplurimos Theologos cum Magiſtro arbitratos eſſe, cùm Sacerdos pœnitentem abſoluit, iuridicè declarare eum à Deo iuſtificatum eſſe, quódque amplius eſt, eum non tam culpam, quàm pœnam æternam, aut temporalem remittere; itaut culpæ remiſſio ad Deum ſolum ſpectet, nec tantùm in ea, quantùm in pœnæ remiſſione iuris, efficaciæque Sacerdos habeat. Sed quia diſceptatio mihi eſt cum Catholicis, qui hactenus profitentur, ſe cum Tridentina Synodo, credere Sacerdotem verè à peccatis abſoluere, horum culpam & pœnam æternam Sacramento remitti, & peccatorem tam per Sacramentũ pœnitentiæ, quàm per Baptiſmum à culpa mundari, & coràm Deo iuſtificari, idcirco id non probare, ſed tanquam ab aduerſariis conceſſum aſſumere debui, ne tam cum Catholicis diſceptatio, quàm Tridentinæ Synodi contra hæreticos defenſio à me ſuſcepta videretur. XXV.

Enimuerò quia hoc Lazari exemplo Magiſter cum ſuis illis diſcipulis, noſtrique aduerſarii tan-

quam Achille ſuo vtuntur, nec poteſt negari quin illam S. Gregorii expoſitionem plerique poſteriores Patres, & Doctores valdè celebres vſurpent, vt ſignificent non niſi iam morte excitatum pœnitentem per claues Eccleſiæ abſolui poſſe: idcirco operæ pretium exiſtimo nonnulla hîc breuiter indicare, ac perſtringere, quæ doctrinam noſtram iam in ſcholis communem, atque adeò Tridentinis Patribus acceptam cum Patrum illorum, doctorúmque placitis non malè quantum ego arbitror, concilient.

Atque imprimis, quod iam antea animaduerti, in Lazaro non quilibet peccator ſignificatur, ſed quatriduanus, fœtens, quique ob fœtorem, ſeu ſcandalum, & publicam Eccleſiæ offenſionem vinculis excommunicationis non à ſe, ſed ab Eccleſiæ Paſtoribus ligatus, & à conſortio viuorum ſeu Chriſtianorum ſegregatus velut ſepulturæ mandatus eſt. Erga illum verò eadem Eccleſia duplex officium per miniſtros ſuos exercet: primò enim tollit lapidem, & confeſſionem eius excipiens, Chriſto eum à morte peccati excitanti miniſtrat ſententiâ abſolutionis ſacramentalis pronuntiatâ. At poſtea eundem iam à mortuis excitatum, & à vinculis mortis infernique ſolutum per Chriſti virtutem Sacerdotis miniſterio, & abſolutione ſacramentali applicatam, Paſtores Eccleſiæ abſoluunt ab illis vinculis, quibus eum priùs ligauerant. Ita ſuperiori ſectione Patres à me laudati loqu uti ſunt.

XXVIII. Secundò cùm Theologi illi negant pœnitentem à Sacerdote abſolui poſſe, niſi qui vitæ ſigna dederit, itaut peccator non tam ab eo vitam a-

niſſam recuperare, & excitari quàm ſanari dicatur, crediderim eos nihil aliud intelligere, quàm peccatorem priùs ſacramentaliter abſoluendum non eſſe, quàm fidei, quæ iam vita quædam eſt, & iuſtitia inchoata (ſi quidem radix iuſtitiæ eſt, ac proinde vitale iam aliquid habet, licet ad fructus ferendos non ſufficiat, niſi priùs truncum, ramos, & alia Spiritus ſancti dona adiuncta habeat (fidei inquam, ſpei, & pœnitentiæ alicuius ſupernaturalis ſigna dederit. Non dubito quin Doctores quamplurimi qui attritione non contenti, in Sacramento pœnitentiæ contritionem poſtularunt, per attritionem intellexerint dolorem ex timore ſeruili pœnæ, nullóque Spiritus ſancti afflatu, aut ſupernaturalis gratiæ affectu conceptum, & contritionem longè latiori ſignificatione ſumpſerint, quàm modò ſumi ſolet pro dolore quem charitas Theologica, aut perfecta pœnitentia elicit, quique charitate formatus appellatur communiter. Quare crediderim ab iis aliam abſoluendi pœnitentis vitam non intelligi, quàm illam imperfectam, quam in ſemianimi illo ad Eccleſiam reuertente Idololatra S. Cyprianus, in peccata confitente S. Ambroſius, & in aliis non trium illorum criminum capitalium, ſed cæterorum reis S. Pacianus, & Tertullianus diſſertationis prioris cap. 7. ſect. 3. prolati agnoſcunt; quos tu, ſi placet conſule, & agnoſce cùm puer abſque vllo vitæ ſpiritualis ſigno baptizari, & regenerari poſſit, pœnitentem abſolui non poſſe, niſi quem Sacerdos cõfeſſum, & contritum, atque ita viuentem videt. *Qui enim fidem habet, vitam habet, qui vitam ha-*

bet, non eſt vtique excluſus à venia, nec tam mortuus, quam ſemiuiuus eſt, *in quo vitale aliquid fides ſpirat*, inquit citatus Sanctus Ambroſius.

XXIX. Tertiò, obſeruo à Doctoribus illis abſolutionem ſacramentalem ita dici declarationem iuridicam abſolutionis à Deo datæ, vt ſimul ea ſit peccati remiſſiua. Certum enim eſt abſolutionē illam, vt pote ſacramentum, eſſe declarationem externam, & ſignum ſenſibile gratiæ, quam in animo pœnitentis Deus operatur, quæ cùm hoc in Sacramento ſit peccatoris iuſtificatio, à vinculo culpæ abſolutio, & eius remiſſio, eam Sacerdos abſoluens æquè, ac Miniſter Baptiſmi ablutionem animæ ſignificat. At iidem omnes doctores Catholici cum Magiſtro docent Sacramenta nouæ legis gratiam quam ſignificant operari: quare cùm iidem conſtātiſſimè doceant Sacerdotem cùm abſoluit, internam pœnitentis iuſtificationem, & Dei à culpa ipſa abſoluentis ſententiam ſignificare, iidem quoque exiſtimant Sacerdotem tanquam Miniſtrum Chriſti ab eadem culpa reum abſoluere. At enim iidem negant Sacerdotem à culpa abſoluere. Reſpondeo non eos ſimpliciter negare Sacerdotem culpam remittere, ſed tantùm eo modo quo ille pœnam temporalem remittit.

XXX. Quartò enim obſeruo Sacerdotem duo in Sacramento pœnitentiæ pro ſoluendo peccatore efficere, duóque huius vincula ſoluere. Prius eſt vinculum culpæ mortalis, & pœnæ æternæ; Poſterius eſt pœnæ temporalis cuius reatum Sacerdos non tollit aut totum, aut ex parte, niſi iam

emiſſa ſit culpa, & ſublato reatu pœnæ æternæ xſurgat ille pœnæ temporalis reatus. Hunc reaum Sacerdos remittit vi, & poteſtate Eccleſiæ, uámque iſta habet quatenus ſatisfactionum hriſti, & Sanctorum, ſuffragiorúmque ſuoım diſpenſatrix eſt. At reatum culpæ Sacerdos on remittit, niſi vt purus Miniſter Chriſti, nec m aliqua ſua, aut Eccleſiæ propria virtute, uàm ea quæ vnius Chriſti propria eſt, quámue Sacerdos miniſterio ſuo ſolúmmodo applit pœnitenti. Si hoc ex inſtituto tractarem, mi i facilè eſſet oſtendere duplex in genere eſſe intumentum, alterum quod vim aliquam, & irtutem à cauſa principali ſibi datam habet; alrum quod illa mouet tantùm, & aſſumit tanuam vehiculum, & medium per quod vim am ſubiecto in quod agit, admouet. Sed quia ic iſta obiter tantùm attingo, nec tam quid rei t, quàm quid Magiſter, doctoréſque illi intellerint expono, ſatis mihi eſt lectorem mittere ad bri 4. ſentent. diſt. 1. & 5. Ibi enim Magiſter ocet Sacramentum propriè dici, *quod ita eſt gnum gratiæ Dei, & inuiſibilis gratiæ forma, t ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat, quare n ſignificandi tantùm gratiâ Sacramenta iniuta ſunt, ſed etiam ſanctificandi*; quod cùm quolibet nouæ legis Sacramento dicat, de enitentia non potuit non intelligere, & in diſt. fusè ex Sancto Auguſtino docet quomodo rum ſit Miniſtrum Baptiſmi ita baptizare, vt men ſolus Chriſtus ſanctificare dicatur. *Tinge- poſſunt & boni & mali; abluere autem con-*

ſcientiam, non niſi ille qui ſemper bonus eſt, ait Sanctus Auguſtinus lib. 2. contra Creſcon c. 21. & lib. 3. cap. 5. de Sacramentis in vniuerſum, *ſiue à fideli, ſiue à perfido diſpenſatore Sacramentum quiſque percipiat, non ſanctificat niſi Deus.*

XXXI. Quintò igitur dico, Sacerdotem à culpa abſoluere, & pœnam temporalem remittere non abſimili modo ei quo adultum baptizandum idem Catechiſmo inſtruit, & baptizat. Licet enim vtrumque preſter, Euangeliúmque prædicet, & Baptiſmum conferat, tanquam Chriſti Miniſter, ſuum tamen Euangelium, ſuámque prudentiam, & doctrinam appellare poteſt aliter quàm Baptiſmum ſuum, quia Miniſtro Baptiſmi Chriſtus miniſterium dedit, poteſtatem ſibi retinuit, quam tamen Euangelii prædicandi miniſtro ſuo dedit, eámque ob cauſam alius alio meliùs euangelizat. Ita quoque cum Eccleſia pœnæ temporalis reatum magis ac minùs remittere poſſit, vt ex indulgentiarum conceſſione clarum eſt, quia id poteſtate ſibi tradita facit, culpas tamen remittere, aut peccatores iuſtificare magis, aut minùs non poteſt, nec plus gratiæ ſanctificantis Summus Pontifex, aut Epiſcopus, quàm Sacerdos quiuis abſolutione ſacramentali confert, cùm tamen in remittendis pœnis eorum poteſtas eadem & par non ſit.

XXXII. Quia verò quicquid Sancti Patres illi Doctoréſque hac de re dixerunt à Sancto Gregorio acceperunt, placet hîc totam Sancti huius Papæ orationem quam mutilam aduerſarii defor-

matámque ſæpiùs exhibent, cum aliquibus notis quambreuiſſimis repræſentare. In Homilia 26. in Euangelia ita habet in ea verba Ioan. 21. *Quorum remiſeritis peccata &c. Apoſtoli*, inquit, *Principatum ſuperni iudicii ſortiuntur, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent* Nota principatum ſuperni iudicii, & vice Dei eos peccata relaxare. Itaut quas culpas Deus ſuo ſuperno iudicio ſoluit, eaſdem Apoſtoli ſoluant, alioqui enim non ſuperni principatum, ſed inferioris iudicii ſententiam ferrent, ſi ſolam pœnam non culpam relaxarent..... *Horum profectò nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent. Ligandi atque ſoluendi authoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur:* Deinde notat nonnullos abuſos ſua poteſtate abſoluere eos qui abſoluendi non ſunt, & damnare immeritos. *Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſoluendi poteſtas exercenda. Videndum eſt quæ culpa, aut quæ ſit Pœnitentia ſequuta poſt culpam, vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſoluat.* Requirit compunctionem & gratiam Dei viſitantis, ſeu impulſum Spiritus ſancti, non quidem adhuc inhabitantis, ſed tantùm mouentis, vt loquitur Tridentinum. Quare quem Sacerdos compunctum videt legitimè abſoluit. *Tunc enim vera eſt abſolutio Præſidentis cum æterni arbitrium ſequitur Iudicis.* Seu benè is abſoluitur à Sacerdote, quem Chriſtus abſoluendum arbitratur, & compunctionis teſtimonio ſignificat.

Digitized by Google

Quod benè quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia priùs mortuum Dominus vocauit, & viuificauit dicens, Lazare veni foràs; & poſtmodum is qui viuens egreſſus fuerat, à diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt: cúmque egreſſus eſſet, qui fuerat ligatus inſtitis; tunc dixit diſcipulis, ſoluite eum, & ſinite abire. Ecce illum diſcipuli iam viuentem ſoluunt, quem Magiſter reſuſcitauerat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum mortuum ſoluerent, fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod illos nos debemus per Paſtoralem authoritatem ſoluere, quos authorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam viuificare. Quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis, in ipſa iam cognoſcitur confeſſione peccati. Vnde & huic ipſi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuiſce, ſed veni foràs. Omnis quippe peccator dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foràs, cùm peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur veni foràs, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foràs iam per confeſſionem egredere: qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque foràs mortuus; id eſt, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foràs ſoluant diſcipuli, vt Paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amouere, quam meruit, qui non eru-

Digitized by Google

buit confiteri quòd fecit. Ita Sanctus Gregorius, quem ſanè per me licet interpretari de abſolutione ſacramentali, quam negat dandam niſi ei quem Chriſtus viuificauit. At quam viuificationem intelligat, manifeſtiſſimè explicat, cùm ait eam prodere ſe in confeſſione peccati, quæ eſt effectus, & ſignum compunctionis internæ. Tantùm autem abeſt, vt peccatorem non niſi poſt longam ſatisfactionem abſolui velit, vt potiùs *ante ipſam operationem rectitudinis*, ſeu fructus dignos pœnitentiæ, ſtatim ac venit foràs & peccatum ſponte confitetur, abſolui velit, quia erubuit confiteri quod fecit, & ipſa verecunda moleſtáque confeſſio non tantùm debitæ contritionis ſignum, ſed etiam aliqua ſatisfactionis pars eſt, vt poſtea dicam.

Cap. VIII.

Ex altero pœnitentiæ fine, videlicet Euchariſtiæ ſumptione, alia ſuperioris doctrinæ ratio petitur.

Sectio Prima.

Abſolutio ſine qua Euchariſtiam peccator ſumere poteſt, ſacramentalis non eſt.

I. Rervm creatarum, ac nominatim virtutum duplex eſt finis, vnus intrinſecus, alter extrinſecus, quemadmodum *vltimum rei in ipſa re eſt eius ſuperficies, extra rem eſt locus ambiens*, inquit, S. Thomas in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. ex quo tota hæc doctrina peti poteſt. Finis intrinſecus rei, eſt proprium ipſius opus, ad quod illa de ſe ſuáque natura tendit, illúmque finem ſecundùm ſuam eſſentiam ſpectat, vnde fit, vt abſque eiuſmodi reſpectu, & ordine res illa intelligi nequeat, eámque ob cauſam finis ille intrinſecus nuncupatur. At extrinſecum finem non tam res, aut virtus illa per ſe ſpectat, quàm aliunde ad eum opus ipſius fertur, vnde non niſi per iſtud virtus

irtus illum attingit, cúmque rerum diuerſarum idem finis extrinſecus eſſe queat: fines proprios qui confunderet, is earum quoque eſſentias confunderet. Ita iuſtitiæ finis intrinſecus eſt operatio illa qua iuſtus alterius ius ſeruat, quódque eius eſt ipſi reddit; at extrinſecus eſt humanæ ſocietatis pax, & tranquillitas, quæ cùm omnium virtutum humanarum vnus idémque finis communis eſſe poſſit, illam iuſtitiæ propriam operationem alteri virtuti conuenire tam repugnat, quàm virtutem iuſtitiæ ab aliis differre neceſſe eſt.

Idem ipſum in Sacramentis, ac nominatim in Sacramento pœnitentiæ, cuius formæ vim conſideramus, reperitur. Nam præter finem eius intrinſecum, & proprium, qui eſt Chriſtiani hominis poſt Baptiſmum in peccatum lapſi reparatio, & in ſtatum gratiæ reſtitutio, datur & alter eiuſdem finis extrinſecus, Euchariſtiæ digna ſumptio, ad quam in homine illo lapſo, ſeu peccatore tam neceſſarium eſt Sacramentum pœnitentiæ non tantùm in voto, ſed etiam reipſa ſuſceptum; vt ſi quis peccati mortalis conſcius pœnitentiæ Sacramento, & eius abſolutione, cùm eam habere poſſet, prætermiſſa, ad Euchariſtiam accederet, is nouo ſe ſacrilegii crimine contaminaret, & vt ait Apoſtolus, iudicium ſibi manducaret & biberet. II.

Notum eſt Theologis quòd dico, & Euchariſtiam Sacramenti pœnitentiæ finem non intrinſecum, nec ei vni proprium, ſed cum aliis Sacramentis communem eſſe, Sanctus Thomas in III.

3. p. quæſt. 65. art. 3. docet, aitque omnia alia Sacramenta, ad Euchariſtiæ Sacramentum, ſicut ad finem ordinari, ac ſpeciatim per pœnitentiam hominem peccatorem præparari ad dignè ſumendum Corpus CHRISTI, eſtque apud omnes tritum illud Sancti Dionyſii cap. 3. Eccleſ. Hierarch. de Euchariſtia elogium, quo ea τῶν τελετῶν τελετὴ Sacramentum Sacramentorum appellatur. Inde verò alterum, quo abſolutionem illam, de qua noſter ſermo eſt, quæque olim nonniſi in fine publicæ pœnitentiæ dabatur, ſacramentalem non fuiſſe probatur, argumentum, vt puto, certiſſimum peto, & ita diſputo.

IV. Quæ abſolutio eſt eiuſmodi, vt ex inſtituto, & diſciplina Eccleſiæ, peccati mortalis conſcius ſine ea etiam cùm commodè haberi poteſt, eſtque Confeſſarii copia, Euchariſtiam licitè, ac benè ſumere poteſt, ea ſacramentalis, & Sacramenti pœnitentiæ forma non eſt. Atqui abſolutio illa pœnitentium publicorum, quæque illis nonniſi poſt totam pœnitentiam, quæ à Sacerdotibus iniuncta fuerat, expletam, per manus impoſitionem dabatur, quæque eos prorſus liberos, & ab omni vinculo, quo in pœnitentia obligati tenebantur, ſolutos faciebat, iſtiuſmodi fuit, & in ſumptione Euchariſtiæ, ab Eccleſia eſt prætermiſſa. Illa igitur abſolutio ſacramentalis non fuit.

V. Maiorem qua hæc ratio nititur propoſitionem, ne quis Catholicus, aut neget, aut dubiam habeat, Synodus Tridentina vetat, quæ

Digitized by Google

finit, & tanquam catholicum dogma ſtatuit, Chriſtianum quemlibet peccati mortalis conſcium, antequam Euchariſtiam ſumat, ad peccatum ſuum Sacramento pœnitentiæ, ac proinde abſolutione ſacramentali expiandum teneri, non aliquo humano duntaxat, aut Eccleſiaſtico, ſed diuino, & CHRISTI Domini præcepto, cuius infringendi poteſtatem Eccleſia non habeat. Quàm malè apud Catholicos Theologos audiat Caietanus, & nonnulli alii, qui præceptum illud eccleſiaſticum eſſe dixerunt, ſciunt Theologi, cùm Diui Thomæ 3. p. quæſt. 80. art. 5. interpretantur, déque diſpoſitione ad Euchariſtiam neceſſaria diſputant. Legatur Suares diſp. 66. ſect. 3. & Vaſques ibidem diſput. 207. Quódque præceptum illud Domini ſit eiuſmodi, vt eius immutandi licentiam Eccleſia ſibi non vendicet, id ſuadet, quòd nemo quem ſciam Doctor Catholicus excuſat ab abuſu, & prauitate conſuetudinem Sacerdotum græcorum, qui peccata confiteri non ſolent, quâ longâ multorum annorum, atque adeò iam ſæculorum conſuetudine tanquàm Eccleſiæ conceſſione, aut diſpenſatione legitima, ſi quam in eo præcepto illa concedere poſſet, excuſarentur.

Sed his aliiſque eiuſmodi prætermiſſis profero doctrinam Tridentini explicatam in ſeſſ. 13. cap. 7. can. 5. & 11. Atque imprimis contra hæreticos can. 5. negat præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, quia vt antea Florentinum in decreto Eugenii, ipſúmque Tridentinum cap. 11. docuerat, VI.

Digitized by Google

hoc Sacramentum eſt cibus ſpiritualis animæ, qui vitam non primùm dat, ſed iam aliunde datam confortat, gratiam auget, & dignè ſumentem ſeu manducantem viuum eſſe ſupponit, non de ſe, ſuáque inſtitutione facit. Ac ne quis exiſtimet ſatis eſſe, ſi peccator abſque Sacramento pœnitentiæ, voto eius in contritione perfecta contento iuſtificatur. Idem Tridentinum cap. illo 7. quòd verbis illis Apoſtoli. *Probet autem ſeipſum homo*, 1. Corinth. cap. 11. habetur præceptum, ſic explicat. *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Nemo Catholicus dubitare poteſt, quin Eccleſia ſcripturas interpretandi authoritate prædita ſit, quòd cùm vel diſertis verbis, vel tacito conſenſu præſtare poſſit, Concilium ſapientiſſimè docet, conſuetudinem, qua nemo Catholicus peccati alicuius mortalis ſibi conſcius niſi præmiſſa confeſſione ſacramentali ad Euchariſtiam accedere audet, aliterque facere nefas, & ſacrilegium eſſe credit, eámque ob cauſam duo annuæ communionis, & confeſſionis præcepta ſimul, eodémque tempore Chriſtiani obſeruant, conſuetudinem, inquam, illam eſſe ſufficiens argumentum, quod præceptum illud quo communicaturus ſeipſum probare debet, de confeſſione ſeu pœnitentiæ Sacramento præmittendo, interpretandum eſſe probet.

Canone autem 11. adhuc clariùs loquitur VII.
Synodus. *Ne tantùm Sacramentum indignè atque ideò in mortem, & condemnationem ſumatur: Statuit atque declarat ipſa Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment. habita copia Confeſſoris neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* Hoc in Canone animaduerto primùm Synodum non condere ius nouum, ſed declarare antiquum, *Statuit*, inquit, *& declarat*. Deinde non tantùm vtiliter, ſed etiam *neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem*, & conſequenter abſolutionem ſacramentalem, nec ſufficere eam quæ proximè ante communionem fieri ſolet, in qua non ſacramentaliter, nec opere operato datur abſolutio peccatorum, ſed precibus Preſbyteri, & Eccleſiæ communicaturo pius animi affectus, & de peccatis dolor, eorúmque remiſſio à Deo petitur. Tertiò, id etiam habere locum in iis qui ſe verè contritos, atque ita Sacramenti pœnitentiæ voto iuſtificatos exiſtimant. Denique non ob alium finem, aut cauſam neceſſariò præmittendam illam confeſſionem eſſe declarat, quàm ne tantùm Sacramentum indignè ſumatur. Quare cùm Chriſti Domini præceptum, ſeu prohibitio ſit, ne illud indignè ſumatur, inde conficitur illud de præmittenda confeſſione præ-

ceptum, non eccleſiaſticum, ſed diuinum, & à Christo Domino factum fuiſſe.

VIII. Quia verò præceptum illud non obligat, niſi quando copia Confeſſoris habetur, adeóque ſi eo deficiente aliqua Euchariſtiam ſumendi neceſſitas vrget, qui in iſta vel Sacrum facere, vel communicare debet, neceſſariam diſpoſitionem adhibet, ſi contritione animum ab omni peccato mortali purgat: ne hæc indulgentia, ſeu occaſio negligentiores Sacerdotes reddat, Synodus Tridentina cap. illo 7. nouo edicto ſtatuit, & iubet, vt ſi qua *neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur*, quòd ante iſtud Tridentini Concilii præceptum Sacerdos facere non obligabatur Nec dubito quin iſta fuerit legitima excuſatio, qua ſuos græcos Sacerdotes celebraturos peccata ſua confiteri non ſolitos, Præſul Mitylenenſis defendit in Concilio Florentino. Cùm enim rari ſint apud Græcos Preſbyteri, eúmque ii qui celebrare ex officio debent, Confeſſorum copiam vix habeant, non mirum ſi abſque præmiſſa confeſſione celebrent: quia verò ante hoc Tridentini Concilii decretum, qui Sacerdos ſine confeſſione Sacrum fecerat, Confeſſarium adire quamprimùm non tenebatur, ſed tantùm, cùm Sacrum facturus erat, confiteri, ſi præſentem Confeſſarium habebat, inde fiebat, vt nonnulli Sacerdotes Latini, atque etiam Græci rariſſimè, vixque vnquam confiterentur.

Verùm vt ad inſtitutum ſermonem ex hac digreſſione reuertar, quia vi præcepti diuini, & à CHRISTO Domino lati, vt peccator Euchariſtiam dignè ſumat, ſacramentali abſolutione priùs animam purgare, & peccata ſua expiare debet, inde clariſſimè conficitur, quod probandum mihi erat, ſacramentalem non fuiſſe abſolutionem illam, ſine qua olim publicè, & ob ſua crimina pœnitens legitimè ex vſu & diſciplina Eccleſiæ ſacram communionem, & Euchariſtiam ſumere poterat. IX.

SECTIO SECVNDA.

Sine abſolutione poſt ſatisfactionem data, publicè pœnitens viaticum Euchariſtiæ ſumere potuit.

HAnc ratiocinationis illius meæ propoſitionem alteram probare mihi facilè eſt teſtimoniis illis, quibus pœnitentem publicè non ſolùm in caſu mortis viaticum, ſed etiam aliquando Euchariſtiã ſine oblatione, & aliis communionis perfectæ muneribus, dum adhuc in pœnitentiæ gradu tertio, aut quarto verſabatur, ex indulgentia Eccleſiæ ſumpſiſſe conſtat, cùm enim abſolutio, de qua noſter ſermo & diſputatio inſtituta eſt, & pœnitentis cum Eccleſia reconciliatio perfecta pœnitentem omnino liberum dimitteret, ſi quis poſt Euchariſtiam aliquo in caſu acceptam adhuc in pœnitentia erat, nec X.

in omnia reliquorum Chriſtianorum iura plenè reſtituebatur, eum non fuiſſe illa vltima abſolutione ſolutum neceſſe eſt. Quia verò qui viaticum, aut alio tempore Euchariſtiam ſumpturus erat pœnitens, præuiâ aliquâ ad eum dumtaxat effectum, abſolutione reconciliabatur; hinc quoque efficitur, quòd ſuperiùs probatum eſt, multas eiuſdem pœnitentiæ diuerſas abſolutiones fuiſſe, quæ aliæ an ſacramentales fuerint, mihi perinde eſt, dummodò id vnum euincam, eam quæ non niſi poſt totum pœnitentiæ publicæ ſpatium decurſum ab Epiſcopo, aut de eius licentia concedebatur, ſacramentalem non fuiſſe. Si enim hoc euicero, fruſtra aduerſarii contra quos diſputo, laborarunt, vt olim nonniſi poſt pœnitentiam diuturnam & moleſtam pœnitentes abſolutos fuiſſe probarent. Nec enim inde conficient ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, eum qui poſt Baptiſmum in peccatum mortale quoduis lapſus erat, non potuiſſe ad Euchariſtiam accedere, niſi diutiùs in pœnitentia luctuoſa iacuiſſet, quia nemo peccator ritè eam ſumit, niſi gratiæ ſit reſtitutus per abſolutionem ſacramentalem, quam tunc non niſi poſt illam pœnitentiam peractam accepiſſe, iuniores iſti Doctores contendunt. Et verò ſæpiùs iſti hoc potiſſimùm vnum pugnant, ita Sacramentum pœnitentiæ primis duodecim, aut ſaltem, vt ſe poſtea correxerunt, octo ſæculis adminiſtratum fuiſſe, vt confeſſionem peccati exciperet iniunctio pœnitentiæ, nec niſi poſt eiuſdem actionem, ſolutionémque perfectam abſolutio ſacramentalis ſequeretur.

Ego verò contendo ritum hunc nonniſi in ublica pœnitentia ſeruatum fuiſſe, quódque mpliùs eſt, & multos latuiſſe fateor, illam qua ota pœnitentiæ publicæ actio, & diſciplina clauebatur, abſolutionem ſacramentalem non fuiſ:, nec per eam tunc primùm à peccatis pœitentem abſolutum, nec cum Deo, ſed cum Ecleſia tantùm reconciliatum, eundémque an:a à peccatis ſacramentaliter abſolutum fuiſſe. Quandonam, quóue ritu abſolutio ſacramentas publicè pœnitenti data tunc fuerit, poſtea inicabo; id modò pro meo inſtituto minimè ne:ſſarium eſt, cùm id vnum tantùm probare ſas habeam, abſolutionem illam, quæ pœnitenæ publicæ quaſi clauſula erat, eccleſiaſticam, on à Chriſto inſtitutam pro peccatorum remiſone, nec ſacramentalem fuiſſe. XI.

Doctrinam hanc triplici teſtimoniorum ge:re probo. Primum eſt, quo diſertè aiunt Paes viaticum Euchariſtiæ datum pœnitentibus iſſe ſine reconciliatoria manus impoſitione, uæ alia quàm noſtra hæc vltima abſolutio inlligi non poteſt. Alterius generis teſtimoniis onſtat, eos qui abſque illa abſolutione viaticum mpſerant, adhuc pœnitentiam agere debuiſſe, tandem reconciliarentur, & perfectè abſol:rentur; quod argumentum certiſſimum eſt, s priùs illa recõciliatione abſolutos non fuiſſe. :rtii & vltimi generis teſtimonia fidem faciunt, um qui viaticum ſine illa abſolutione accepet, non fuiſſe reſtitutum perfectæ communio, quæ vltimæ illius abſolutionis effectus fuit. XII.

XIII. Hæc nonnullos aduerſariorum non latuerunt, qui vt eorum vim retunderent, viaticum tunc pro Euchariſtia ſumptum fuiſſe negarunt. Ita Dominus Albaſpineus lib. 1. obſer. 11. ſed ne qua dubitandi occaſio foret, ſæpiùs viaticum Euchariſtiæ dictum eſt, nulluſque locus affertur in quo viaticum aliter ſumi neceſſe ſit, quod quia, ni fallor, antea obſeruaui, & probaui, idcirco nunc omitto, maximè cum diſputatio mihi ſit cum illis qui viaticum pro Euchariſtia intellectum fatentur.

Primum igitur viatici ſine illa abſolutione dati argumentum ſuppeditat iſte Concilii Carthag. 4. Canon 78. *Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint,* can. proximè ſuperiori Concilium decreuerat, *vt pœnitentes, qui in infirmitate ſunt viaticum accipiant*, & can. 76. vt qui in infirmitate pœnitentiam petit, accipiat . . . . & *ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia, & ſi ſuperuixerit ſubdatur ſanctis pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probauerit.* His enim ex verbis conſtat illum ante Euchariſtiæ viaticum pœnitentiam, & præterea quandam reconciliatoriam manus impoſitionem à Sacerdote præſente accepiſſe, eum tamen nondum perfectè abſolutum fuiſſe, donec poſt ſibi à Sacerdote qui pœnitentiam dederat, iniunctam ſatisfactionem, alia manus impoſitione abſolutus fuiſſet. Inde igitur habeo, etiamſi

ane præſens Sacerdos eſſet, abſque aliqua tamen ec ſanè alia quàm vltima, & perfecta reconciatione pœnitenti Eucharistiæ viaticum datum iiſſe. Aduertet Lector, Sacerdotem præſentem edisse pœnitentiam, & viaticum Euchariſtiæ, e quis fortè cauillari velit, & dicere tunc ſine la vltima abſolutione viaticum Euchariſtiæ daım fuiſſe, cum abſente Preſbytero, aderat Diaɔnus, qui viaticum quidem dare, ſed non ſacraıentaliter abſoluere poterat.

Alterum huius generis teſtimonium habetur ı Arauſicani I. can. 3. *Qui recedunt de corpo- pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliato- a manus impoſitione eis communicari, quòd orientis ſufficit conſolationi ſecundum definitio- ı Patrum, qui huiuſmodi communionem con- uenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſuper- xerint, ſtent in ordine pœnitentium, vt oſten- neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam mmunionem cum reconciliatoria manus impo- ione percipiant.* Arelatenſe II. can. 28. idem s verbis decernit. *De his qui in extremis pe- clitantur, pœnitentia accepta placuit ſine re- nciliatoria manus impoſitione eis communicari. uod ſi accepto viatico ſuperuixerint, ſtent in dine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſariis pœni- ntiæ fructibus legitimè reconciliatoriam ma- ıs impoſitionem accipiant.* Non diſputo an præ- datam pœnitentiam alia fuerit reconciliato- manus impoſitio, quam ante viatici ſumptio- m dari iubet Carthaginenſe Concilium. Id ıum obſeruo, præſente Preſbytero qui pœni- XIV.

tentiam dederat, pœnitentem accepiſſe viaticum abſque aliqua abſolutione, ea videlicet quæ legitimè poſt oſtenſos pœnitentiæ fructus dabatur. Ea porrò reconciliatio pro viatico data, nec fuit legitima, ſed ex Patrum clementia, vt Sanctus Gregorius Nyſſenus ad Letorium loquitur, nec à pœnitentiæ legibus pœnitentem illum exemit, quod ſignum euidentiſſimum eſt, eam non fuiſſe perfectam abſolutionem, de qua modò diſputatur.

Sectio Tertia.

Viaticum ſine abſolutione vltima datum fuiſſe, iterùm probatur.

XV. Eadem teſtimonia ſecundi generis ſunt, probantque non omnes qui Euchariſtiam acceperant à pœnitentiæ legibus liberatos fuiſſe, ſiquidem ſi ſuperſtites erant, in ordine pœnitentium, tertióque vel quarto gradu ſtabant, quod cum ſecundùm Patrum definitiones ſtatuere ſe dicunt, Nicænos potiſſimùm Patres intelligunt, quorum iſte illuſtris Canon 13. eſt, vt eum legit Balſamon. *De ijs qui excedunt antiqua & canonica lex nunc quidem ſeruabitur, vt ſi quis vita excedit, vltimo & maximè neceſſario viatico non priuetur. Si quis autem deploratus, & communionis particeps iterùm ſit in viuis, ſit cum ijs qui ſolam orationis communionem conſequan-*

ur. Generaliter autem cuilibet è vita excedenti, & petenti participationem Euchariſtiæ, Epiſcopus cum examinatione oblationem dabit. Tria in hoc Canone decreta animaduerto. Primum, ut nemo è vita excedens viatico, ſeu Euchariſtia viatici nomine data priuetur, quæ fuit antiqua, & canonica Eccleſiæ diſciplina. Quòd enim per viaticum vltimum intelligatur Euchariſtia, probatum eſt ſuperiùs ex Carthaginenſi IV. quod illud idem decretum repetens addidit *Euchariſtiæ viaticum.* Nec te moueat quod dicitur maximè neceſſarium. De Euchariſtiæ enim æquè ac de Baptiſmi neceſſitate Sanctos Patres loquutos fuiſſe, cuiuis antiquitatis non ignaro compertum eſt, legatur Sanctus Auguſtinus lib. I. de pecc. mer. cap. 20. & quomodo infantibus Euchariſtica communio neceſſaria ſit, Theologi conſulantur. Alterum Nicænæ Synodi decretum eſt, vt qui ob mortis diſcrimen viatici communionem adhuc in pœnitentia publica verſatus acceperit, ſi ſuperuixerit non cenſeatur omnino abſolutus, ſed in quarto pœnitentiæ gradu maneat, donec peracta pœnitētia plenè cum Eccleſia reconcilietur. Tertium, vt quantumuis cuilibet morituro, ſi popoſcerit Euchariſtiam, hæc neganda non ſit, etiam ſine alio Epiſcopi conſenſu, nulli tamen oblatio, ſeu perfecta communio, & conſequenter abſolutio vltima detur, niſi quem cauſa illius examinata, Epiſcopus ea dignum cenſuerit, quia communio viatici ei ad oblationem & perfectam communionem jus non acquiſiuit. Ex his porrò intelligitur qui viatici par-

ticeps factus fuerat, eum non accepiſſe abſolutionem illam de qua ſermo eſt, quæque ius ad communionem perfectam tribuebat.

XVI. Ad hunc Canonem attendens S. Gregorius Nyſſenus in epiſtola ad Letorium adhuc clariùs ſic loquitur. *Si quis pœnitens tempore non expleto, & Canonibus præſtituto vita excedit, Patrum clementia iubet, vt Sacramentorum* ἁγιασμάτων *particeps effectus, non vacuus viatico ad extremam illam & longam peregrinationem mittatur. Si autem poſtquàm Sacramenti particeps fuerit, rurſus ad vitam ſit reuerſus, ſtatutum tempus expectet in illo gradu exiſtens, in quo erat ante communionem illi ex neceſſitate datam.* Notabis idem eſſe viaticum, Sacramentorum participationem, & communionem ex neceſſitate datam, cuius particeps cùm adhuc ſit pœnitẽs, dubium non eſt quin abſolutione, quæ totius pœnitentiæ clauſula erat, caruerit. Nec eſt quod immorer in conciliando Sancto Gregorio cum Synodo, quæ cum eiuſmodi hominem in ſyſtaſi, ſeu quarto pœnitentiæ gradu ponat, ille in eodem in quo ante viaticum erat gradu, qui tertius eſſe poterat, collocet: id enim ad quæſtionem noſtram ſoluendam nihil confert. Obiter crediderim Sanctum Gregorium velle eum pœnitentem tamdiu in ſyſtaſi permanere, quandiu abſque viatico accepto permanſurus fuiſſet, vel in primo, vel in ſecundo, tertio, aut quarto gradu. Sanè ſi quis inter lamentantes adhuc vel audientes poſitus in periculo mortis pœnitentiam petebat, eam haud dubiè accipiebat,

tiam apud ſeueriſſimos illos qui morituris viacum aliquando negabant, nullúſque niſi priùs ccepta pœnitentia viatici particeps erat. Igitur oſtea ſuperſtes ad primum, aut ſecundum illum radum iterùm non retrudebatur, cùm per pœitentiæ actionem in tertio ordine poſitus fuiſt, ac licet non eundem in quo ante viaticum :at, locum repeteret, nihil tamen de ſpatio :mporis ei in gradibus illis traducendo remitbatur.

Idque totum colligo ex hoc Epaonenſis Conlii Canone 36. *Ne vllus ſine remedio, aut ſpe :niæ ab Eccleſia repellatur, néue vlli, ſi aut enituerit, aut ſe correxerit ad veniam redeun- aditus obſtruatur. Sed ſi cui forſitan diſcrien mortis immineat, damnationis conſtitutæ mpora relaxentur. Quod ſi ægrotum accepto atico reualeſcere fortaſſe contingit, ſtatuti nporis ſpatia obſeruare conueniet.* Hinc enim betur nemini veniæ ſpem interċipiendam eſſe, d quocumque in ſtatu, aut etiam gradu pœniıtiæ ſit, imminente mortis diſcrimine damnaınis temporibus relaxatis dandum eſſe viatim, ita ut poſtea quæ illi pœnitentiæ ſpatia in-ꝫta ſunt, in ſyſtaſi, & in quarto gradu ea coniat. Idem quoque tradit Bracarenſe II. can. . Nicænum ſic exponens. *Si quis de corpoe.xiens nouiſſimum, & neceſſarium commnis viaticum expetit, ei non denegetur. Quod n deſperatione poſitus poſt perceptam comınionem iterùm ſanus fuerit factus, tantùm tionis particeps fiat, & non accipiat Sacra-* XVII.

mentum (pro ſuo videlicet arbitrio, ſicut alii Chriſtiani non pœnitentes publicè) *donec conſtitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis ſunt, & deſiderant accipere Sacramentum, cum conſideratione, & approbatione Epiſcopi accipere debeant.* Quod ait hos non accipere Sacramentum ſine approbatione Epiſcopi, intelligit communionem perfectam cum oblatione, quam non erat neceſſe dari omnibus, qui viaticum acceperant. Alibi legitur ſi quis parùm admodum de tempore in pœnitenta ponendo reliquum habebat, & multum feruorem oſtenderat, cum eo indulgentiùs agi poſſe; ſic tamen vt hoc à ſolius Epiſcopi, qui pœnitentiam publicam impoſuerat, arbitrio penderet, nec id concederetur, aut permitteretur iudicio Preſbyterorum. qui tamen non alio Epiſcopi conſenſu expectato, Canonum eiuſmodi vi cuilibet morienti, & pœnitentiam, ac viaticum poſcenti vtrumque dare debebant.

XVIII. Ex his omnibus id ſaltem quòd mihi probandum erat, habetur viaticum pœnitenti datum aliquando fuiſſe, abſque præuia illa abſolutione legitima vltimáque, quandoquidem ſi eam ille accepiſſet ab omnibus pœnitentiæ publicæ oneribns liber dimiſſus fuiſſet. Ac ſi cuius animo fortè adhuc aliquis ſcrupulus hæret, eum radicitùs euellet Hincmarus Remenſis, qui in capitulorum ſectione tertia, capite 1. poſtquàm de peccatoribus publicis ad pœnitentiam hortandis Preſbyteros monuit, ſic concludit.

Hoc ta-

Hoc tamen omnimodis ab omnibus caueatur, vt nemo pœnitens, & cum deuotione petens vltimâ pœnitentia, vel vltimo viatico defraudetur, ea conniuentia, vt ſi conualuerit ſecundùm Eccleſiaſticas regulas pœnitentiam agat, & reconciliationem, quantùm Deus ſibi conceſſerit, in ordine pœnitentium expetat & expectet.

SECTIO QVARTA.

Viaticum ſine abſolutione perfecta aliquando datum pœnitenti fuiſſe tertio probatur.

TErtij, vt in ſectione ſecunda monui, generis teſtimonia ſunt, quæ cùm pœnitentem viatico Euchariſticæ donatum plenæ & perfectæ communioni reſtitutum non fuiſſe probent, eadem ſuadent tunccum eodem viatico non fuiſſe conceſſam illam, de qua noſter ſermo eſt, quámque ſacramentalem fuiſſe nego abſolutionem perfectam, quia huius effectus erat perfecta pœnitentis cum Eccleſia reconciliatio, abſolutiſſima, legitima, fructus communicationis & pacis, vt eam ſuperiùs ex S. Cypriano, Arauſicani primi can. III. & Valenſis primi can. II. diuerſam à communione viatici, aut etiam communione corporis Chriſti pro viatico data appellaui. XIX.

Ne verò quis incautus in errorem inducatur,

Obſeruandum eſt non eadem ſemper cum indulgẽtia habitos fuiſſe peccatores, nec iſtorum omnium in mortis diſcrimine pœnitentiam petentium conditionem parem & eandem ſemper fuiſſe. Si qui enim ante illud tempus pœnitentiam aut contempſerant, aut neglexerant, duriùs excepti ſunt, & aliquando, non quidem vbique, ſed aliquibus in Eccleſiis, aut certè ex nonnullorum Epiſcoporum rigidiore diſciplina viatico caruerunt, quod poſtea per Concilium Nicęnum vetitum, ſeueriórque illa diſciplina damnata fuiſſe videtur. At qui antequam in morbum, aut vitæ periculum incidiſſent, iam pœnitentiæ publicæ legibus colla ſubmiſerant, iј viaticum, & alia ſacramenta, vt oleum ſacrum accipiebant, & facilè conſentiebat Epiſcopus, vt ſi moriebantur eorum nomine ſacrificium fieret, iiſque iuſta omnia perſoluerentur, idque fieri ſolebat, ſi parùm agendæ pœnitentiæ ſupererat, iique magno cum pietatis ſenſu ſeſe geſſerant, quanquam ſine conſenſu Epiſcopi etiam abſentis id Preſbyteri concedere non poterant, qui tamen viaticum etiam inconſulto Epiſcopo dare debebant. Quamobrem, vt quod mihi probandum eſt, clariſſimè demonſtrem, non aliud præſtare me oportet, quàm ea proferre teſtimonia, quibus conſtet, nonnullos viatico donatos, aut mortuos, aut etiam ſuperſtites perfectam communionem ſuiſque omnibus numeris, ſeu reliquorum Chriſtianorum oblationis, pacis, aliiſque muneribus abſolutam non recuperaſſe, quia videlicet vltima & perfecta quæ illa omnia iura

pœnitentibus reſtituebat abſolutione & reconciliatione carebant, quodque obiter notatum velim, nemo vnquam licet ante mortis periculum procaciter ſe geſſiſſet, neglexiſſétque pœnitentiam, ſi tunc eam petiit, repulſam paſſus eſt, ſed licet viaticum, aliáque cætera beneficia negarentur, illud tamen pœnitentiæ donum & indulgentiam apud omnes ſemper accepit. Vnde poſtea colligam in ea abſolutionem ſacramentalem datam fuiſſe.

XXI.

Modò verò ne quid gratis dixiſſe videar, ſingula breuiter probo. Atque imprimis quod contemptoribus Eccleſiæ, pœnitentiæque eam in mortis diſcrimine conſequutis negata ſit aliquando viatici communio, disertè docet Innocentius I. in Epiſt. III. ad Exuperium capitulo II. *Et hoc, inquit, quæſitum eſt, quid de his obſeruari oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſeruatio prior durior, poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſequutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquàm Dominus noſter pacem Eccleſiis reddidit, iam depulſo terrore commu-*

nionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis, ne Nouatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem & duritiem ſubſequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, vt homines huiuſmodi, vel in ſupremis ſuis permittente Saluatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur. Innocentius à pœnitentia ſemper conceſſa etiam illis, quorum conditionem duriſſimam eſſe oportebat, reconciliationem, communionémque diſtinguit, hancque illis dari iubet non quidem perfectam, ſed tanquam viaticum, & extremam communionem.

XXII. Duriora verò illa tempora videntur fuiſſe ea, quæ præceſſerunt Zephirinum Papam; ab hoc enim mœchis pacem reiectis homicidis, & idololatris datam conqueritur Tertullianus in libro de pudicitia cap. 1. *Audio*, inquit, *edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptoriũ: Pontifex ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit. Ego mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Nota pacis non pœnitentiæ mentionem fieri, & per pacem non quamlibet, ſed perfectam abſolutionem ſignificari, nec enim alia functis pœnitentiâ dari debuit. Et cap. v. *Quid agis molliſſima & humaniſſima diſciplina; aut omnibus eis hoc eſſe debebis; beati enim pacifici; aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatrem quidem & homicidam ſemel damnas, mœchum verò de medio excipis, idololatræ ſucceſſorem, homicidæ anteceſſorem, vtriuſque collegam. Per-*

ſonæ acceptatio eſt, miſerabiliores pœnitentias reliquiſti. Ex quibus intelligitur tunc ſummum Pontificem indulgentiam & pacem quâ mœchis concedebat negaſſe idololatris & homicidis etiam pœnitentia perfunctis. Verùm vtrùm in mortis articulo viaticum negatum ab eo ſit, non conſtat. Certum eſt illud in Eliberitano cõcilio multis peccatoribus negatum eſſe. S. Cyprianus in Epiſt. LII. ad Antonianum circa medium apud nonnullos anteceſſores ſuos in Africa pacẽ mœchis negatam & in totũ pœnitentiæ locum contra adulteria clauſum ait, quos *tamen de duritia & cenſura obſtinatione redarguit.* Sed, quod noſtri inſtituti magis eſt, poſtea ſic ſtatuit. *Et idcirco, frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis profeſſione teſtantes prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum.* Quia in S. Cypriano non memini me legere communionis viatici à legitima, & perfecta pace diuerſitatem, non auſim affirmare, an his communionem omnem an verò ſolam perfectam dari vetet.

At quod nonnullis poſt viaticum ſumptum in ſola oratione communicare licitum fuerit, Siricius Papa in Epiſt. I. ad Himerium cap. V. ſic ait: *De his enim qui actâ pœnitentiâ tan-* XXIII.

quam canes ad ſuos vomitus redierunt, quia iam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione iungantur, ſacris myſteriorum celebritatibus, quamuis non mereantur, interſint, a Dominicæ autem menſæ conuiuio ſegregentur, vt hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere cùm ad Dominum cœperint proficiſci per communionis gratiam volumus ſubueniri. Hic non diſputo an de quibuſlibet publica pœnitentia functis loquatur, an verò de iis qui continentiam, & ſolennem illam de qua egimus pœnitentiam profeſſi *militiæ cingulum, noua coniugia, & inhibitos denuò appetiuere concubitus*, vt ipſemet ibidem ait, qui quia coniugio quantumuis illicitè, nihilominùs tamen validè contracto impediebantur, eam pœnitentiæ profeſſionem repetere non poterant, *iam ſuffugium pœnitendi non habere* dicuntur. Mihi ſatis eſt, quod hi viatici munere, & communionis gratia in mortis diſcrimine potiri, ſi ſuperſtites erant in ſola oratione communicabant. Inde enim conficio non omnes viatici communione accepta reconciliationem plenam ac perfectam recuperaſſe.

XXIV. Si qui verò ante quàm morbo corriperentur pœnitentiam popoſcerant, aut etiam acceperant, iis quia pœnitentiam honorauerant, reliqua ſacramenta, & ſi moriebantur, omnia cō-

ıunionis perfectæ munera aliquando cōceſſa ınt. Nicolaus enim Papa vult, vt *pœniten-ɛs in infirmitate poſiti abſque dilatione recon-ilientur, & viaticum viuentes accipiant; & enedictione ſacrati olei non careant*: quod ta-ıen perpetuo ſeruatum non fuiſſe habetur ex ;piſtola 1. Innocentij ad Decentium cap. VIII. bi enim oleum ſanctum chriſmatis in infirmi-ıte à Presbyteris dari ſolitum ait pœnitenti-us *fundi non poſſe; quia genus eſt ſacramenti. Jam quibus reliqua ſacramenta negantur, uomodò vnum genus putatur poſſe concedi?* Quæ ſacramenta negari ait, caue intelligas pœ-itentiam & viaticum, niſi Innocentium pu-nantia loquutum eſſe, & decreuiſſe velis; Nec erò hæc ſacramenta in rigore, ſeu pro ſacra-ıentis à Chriſto inſtitutis ſumere neceſſe eſt. æpè enim Patres ſacramenta ea quæ nos ſa-:amentalia, & ab Eccleſia inſtituta; ac inter ætera Catechumenorum ſacramenta appel-ınt.

Sed quidquid de oleo ſancto dixeris, certum ımen eſt ætate Innocentij eos qui ante infir-ıitatem pœnitentiam cum feruore agebant, ſi ıoriebantur perfectè cum Eccleſia reconci-ıtos fuiſſe. Nam iam tunc extabat decretum oc Carthag. IV. can. LXXIX. *Pœnitentes qui ttentè leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in inere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis ıbueniri non poſſit, memoria eorum & oratio-ibus, & oblationibus commendetur.* Et in vni-erſum de *his qui in pœnitentia poſiti vita ɛceſſerunt*, Arelatenſe II. cap. XII. *Placuit* XXV.

nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quòd honorauit pœnitentiam, oblatio illius ſuſcipiatur, quod perfectæ reconciliationis & communionis ſignum eſt. Hanc tamē erga iſtos pœnitentes clementiam ab omnibus, & vbique ſeruatam non fuiſſe, intelligitur ex capitularis Caroli Magni lib. 5. cap. LXV. quod Iſaac Lingonenſis tit. 1. can. XIV. refert. *De his qui acceptâ pœnitentiâ antequàm reconcilientur ab hac vita receſſerint, quanquam diuerſitas præceptorū de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nobis ſententia placuit, qui multiplices numero de huiuſmodi humaniùs decreuerunt, vt & memoria talium in Eccleſiis cōmendetur, & oblatio pro eorum dedicata ſpiritibus accipiatur.* Enimuerò licèt Eccleſia hac indulgentiâ erga pœnitentes mortuos vteretur, nihilominus tamen ex ſuperiùs dictis conſtat, ſi poſt viaticum acceptum conualeſcebant, eos non fuiſſe factos plenæ communionis participes, cum nec ad ipſum viaticum, & communionem in mortis periculo admitterentur niſi ἐπὶ ὅρῳ, vt loquitur Ancyranum, id eſt, cum modo, definitione, & conditione, vt ſi ſuperſtites forent, pœnitentiam inchoatam perficerent.

SECTIO QVINTA.

Pœnitentes præter viaticum aliquando Euchariſtiam ſine vltima reconciliatione ſumpſerunt.

TAnquam certum & ab aduerſariis ipſis conceſſum ſtatuo nullum in publica pœnitentia verſatum accepiſſe legitimam illam abſolutionem, & cum Eccleſia reconciliationem; hæc enim erat, vt ſæpiùs monui, totius pœnitentiæ actio vltima, & concluſio. Idque ſi reuocaretur in dubium eo ipſo omnia aduerſariorum arguméta ruerent. Cùm enim pœnitentem ante expleta omnia pœnitentiæ officia Euchariſtiam dignè ſuſcipere potuiſſe negant, id vnum maximè vrgent, tunc cum Deo illum non fuiſſe reconciliatum, nec à peccato mundatum. Ego verò in hoc capite contendo, illam abſolutionem nullo pacto ſacramentalem fuiſſe, quia abſque ea ab ipſis pœnitentibus Euchariſtia ſumpta eſt, quod cum de ea morientibus pro viatico data hactenus probauerim, nunc addo ampliùs extra mortis diſcrimen iiſdem pœnitentibus abſque illa quæ non niſi poſt totam pœnitentiam dabatur abſolutione, aliquando in anno Euchariſtiam conceſſam eſſe. Nonum hoc fortè & inauditum videbitur, ut ſaltem vltimis tantùm ſæculis vſurpatum, ſed quàm meritò, & non temerè id de prioribus XXVI.

illis octo ſæculis dicam, cum me audierint, iudicabunt. Priùs autem moneo pro multis, quæ inter ſe pugnare, videntur, Patrum dictis conciliandis, loqui me tantùm de tertij, quartique gradus pœnitentibus. Nec enim primi aut ſecundi ordinis pœnitentibus vnquam conceſſa eſt Euchariſtia, niſi priùs data pœnitentiâ & & impoſitione manus, quia illi in tertio gradu conſtituebantur. Quod ſi quis hoc Euchariſtiæ beneficium ſolis quarti gradus pœnitentibus conceſſum vellet, id vel vnicum ſatis mihi eſſet. Sic enim conficerem tunc datam fuiſſe Euchariſtiam, cùm adhuc illa abſolutio expectabatur. Vt autem pœnitentes quibuſdam diebus ſolennioribus, ac nominatim in Cœna Domini Euchariſtiam acciperent, adibant Epiſcopum, & præter pœnitentiam, ab eo accipiebant aliquam reconciliationem ad eum duntaxat effectum, quáque obtentâ adhuc inter pœnitentes cenſebantur, & vltimam illam de qua ſola nobis ſermo eſt abſolutionem expetitam expectabant.

XXVII. Nolo hîc fuſiùs refellere doctorem recentiorem qui lib. de freq. com. part. II. cap. X. pag. 315. aſſerit Presbyteros, alióſque, qui ſecretam pœnitentiam agebant, à communione Euchariſtiæ abſtinere iuſſos fuiſſe. Eum ſuperiùs à nobis relatus S. Baſilius ad Amphiloch. can. III. clariſſimè redarguit, nec referam teſtimonia ex quibus cõſtat eos qui ſolennem in monaſterio pœnitentiam agebant communionis Euchariſticæ participes fuiſſe. Sed tantùm eos teſtes proferam, qui pœnitentes pu-

licos tertij videlicet gradus, non pro ſuo ar-
itrio cum aliis Chriſtianis, ſed quibuſdam
untaxat diebus Euchariſtiam ſumpſiſſe pla-
iſſimè dicunt. Inter cæteros Theodulfus Au-
:lianenſis in tom. II. concil. Gall. ad annum
)omini 797. in capitularis ſui can. XLIV. ſic
)quitur. *Admonendus eſt populus, vt ad Sa-
ʳoſanctum Sacramentum corporis & ſangui-
is Domini nequaquam indifferenter accedat,
ec ab hoc nimium abſtineat; ſed cum omni
iligentia eligat tempus, quando aliquandiu
b opere coniugali abſtineat, & vitiis ſe
urget, virtutibus exornet, eleemoſynis, &
rationibus inſiſtat, & ſic ad tantum ſacra-
ɴentum accedat. Quia ſicut periculoſum eſt
npurum quemque ad tantum ſacramentum
ccedere: ita etiam periculoſum eſt ab hoc
rolixo tempore abſtinere: ſalua ratione eo-
um qui excommunicati non quando eis libet,
d certis temporibus communicant, & reli-
ioſis quibuſcumque ſanctè viuentibus, qui
ɪne omni die id faciunt.* Quinam excom-
ıunicati quàm pœnitentes noſtri ſint, diui-
ent, ſi poſſunt, aduerſarij, ſed ita, vt quidquid
ɔmmenti fuerint, fateantur nonnullos excom-
ıunicatos, & ab Euchariſtia reliquo tempore
)ſtentos aliquandò ad eam admiſſos fuiſſe
ite nonum ſæculum, ſeu primis illis octo ſæ-
ılis, quibus pœnitentiæ diſciplinam viguiſſe
ɔſtris etiam aduerſariis placet. Quænam
ɪtem fuerint illa certa indulgentiæ pœni-
ntibus conceſſæ tempora, intelligi poteſt

ex hoc eiuſdem can. XLI. *Singulis diebus Dominicis in quadrageſima præter hos qui excommunicati ſunt, ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt: & in Cœna Domini, & in paraſceue, & in vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum, & ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi ſunt.* Qui *penitùs ab omnibus* communicandum eſſe ait, nonne eos etiam quos pro diebus Dominicis quadrageſimæ exceperat excommunicatos complectitur?

XXVIII. Clariùs idem tradunt Iuo Carnotenſis in ſecunda parte Decreti cap. XXIX. & Burchardus lib. V. cap. XIX. qui hoc Siluerij atque ita antiquum Decretum referunt. *Singulis diebus Dominicis in quadrageſima, præter hos qui excommunicati ſunt, & præter illos qui in publica pœnitentia ſunt ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt: & in Cœna Domini, in vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini, & in Penteceſte, & in Natali Domini, penitus ab omnibus communicandum eſt.* Et ex Sothere Papa Iuo cap. XXX. & Burch. cap. XX. *In Cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro grauibus criminibus inhibitum eſt, percipienda ſit, vſus Eccleſiaſticus demonſtrat; cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis Dominici ſacramenta reconciliet.*

Non diſputo hîc an canones illi Sotheris & Siluerij verè ſint, certè quidquid de illorum Pontificum Epiſtolis dixeris, nunquam tamen ni fallor, clarè oſtendes canones illos traditione Eccleſiæ acceptos antiquiſſimos non fuiſſe. Ac licet Iuo & Burchardus ſæculis illis octo poſteriores ſint, certum tamen eſt canones ab illis in meliorem ordinem digeſtos iam octauo ſæculo ab Iſidoro quodam collectos fuiſſe, qui ſi eos excogitauit, aliquem ſaltem vetuſtatis fucum quo fidem & authoritatem conciliaret, adhibere debuit. Nemo igitur negare meritò poteſt, quin Eccleſiaſticus vſus octauo illo ſæculo habuerit, vt pœnitentes publici quibuſdam diebus ad Euchariſtiam admitterentur. Neque id in dubium reuocari ſinit Synodus Cabillonenſis ſecunda in tom. II. Concil. Galliæ ad annum Domini 813. quæ can. VII. illud Sotheris decretum iiſdem verbis conceptum refert.

Ne verò pugnare ſecum videantur illi Canones, dicendum exiſtimo per eos quibus ob grauia crimina communicare inhibitum erat intelligi lamentantes, & audientes, ſeu primi & ſecundi gradus, qui nondum acceperant pœnitentiam ſine qua nulli vnquam vel in morte Euchariſtia data legitur. Cùm autem his ſolummodò exceptis, ipſi etiam pœnitentes ad ſacramenta percipienda in die Cœnæ reconciliati dicuntur, haud dubiè iſti ab illis ob grauiora crimina repulſis diſcernûtur. Nec dicas intelligi pœnitentes qui iam peracta pœni- XXX.

tentia cum Eccleſia reconciliabantur, quo etiam modo nonnulli interpretantur illud Innocentij ad Decentium can. VII. *De pœnitentibus, qui ſine ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam* (id eſt velimperatam, vel ſpontaneam) *gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romana Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterùm de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum demùm debere dimitti cùm viderit congruam ſatisfactionem.* Sed pace eorum dixerim hæc eorum interpretatio multa incommoda habet. Innocentius enim loquitur de remiſſione quæ indulgentiam aliquam miſericordem potius ſignificat, quàm iuſtam retributionem, quæ tunc fiebat, cùm perſolutis pœnis & condigna ſatisfactione exhibita pœnitens reconciliabatur. Deinde duo hæc Innocentius diſtinguit, *remittere quinta illa feria, & tum demùm dimittere cum fuerit congrua ſatisfactio.* Igitur hac etiam nondum completa eis in Paſchate remittebatur.

XXX

Præterea cum de pœnitentibus etiam ob leuiora Innocentius loquatur, potuitne iuſtè decernere, vt nemo illorum niſi in Cœna Domini reconciliaretur pleniſſimè, cùm facilè contingere potuerit, vt aliquis poſt Paſchales ferias in peccatum aliquod inciderit propter quod non annum integrum, ſed aliquot dun-

Digitized by Google

taxat menſes à communione repellendus eſſet; id enim ex canonibus pœnitentialibus probare facillimum eſt. Quare longè probabilius eſt, iam tum Innocentij tempore Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe, vt pœnitentes in Paſchate ex indulgentia Euchariſtiam acciperent, & ad eum finem ab Epiſcopo reconciliarentur, non eâ qua poſt congruam ſatisfactionem omninò liberi dimittebantur, ſed alia minore, quaque non obſtante poſt dies illos feſtos in eodem pœnitentiæ gradu manebant.

Nec alium ſenſum admittit ille canon Synodi Cabillonenſis; quia alioqui fruſtrà, vt ab omnibus communicandum in Cœna Domini eſſe probaret, adderet etiam pœnitentes eadem die reconciliari, cùm nihil noui eſſet, ſi pœnitentes decurſo pœnitentiæ ſpatio, & pœnâ pleniſſimè perſolutâ tunc reconciliarentur, quandoquidem iſti tunc eiuſdem cum aliis Chriſtianis conditionis eſſe debebant. Interim Lector ex dictis iudicet, quàm verè recentiores iſti lib. de freq. comm. parte II. cap. XX. pag. 465. dixerint, Chriſtianos peccati mortalis conſcios initio Quadrageſimæ ex inſtituto Eccleſiæ ideò confeſſos fuiſſe, vt per quadragenariam pœnitentiam ad communionem Paſchalem ſe diſponerent, cùm iidem ipſi vt potè non excommunicati olim ſingulis diebus Dominicis Quadrageſimæ communionem acciperent; tantùm abeſt, vt, quod illi iidem aiunt, præcipua pœnitentiæ pars ſit communionis priuatio, cùm eo ipſo tempore quo XXXII.

Chriſtiani omnes pœnitentiæ officiis vacabant impenſiùs, nihilominus tamen ſæpiùs quàm reliquo anni tempore Euchariſtiam acciperent.

Denique hæc de pœnitentium communione in ſolennioribus feſtis, illis qui in primo & ſecundo gradu iacebant excluſis dicta confirmantur decreto Nicolai primi in Epiſtola ad Hincmarum Remenſem data anno Domini 867. vt in III. Tomo Concil. Gall., habetur. Ibi enim pœnitentiam duodecim annorum cuidam qui monachum Presbyterum occiderat, iniunctam ita diſtribuit, vt per tres annos ante fores Eccleſiæ inter lamentantes, primóque in gradu eum conſtituat, per duos ſequentes quartum ſcilicet & quintum in ſecundo gradu inter audientes ſine communione corporis, & ſanguinis Domini: *reſiduis verò ſeptem annorum curriculis communionẽ Dominici ſacramenti ſuſcipere liceat celeberrimis feſtiuitatũ diebus, oblationes quidem nullatenùs offerendo.* Lege quæ in capite proximè ſequente Sect. 3. ex Caroli M. capitularis lib. 7. can. 143. referentur. Ac demùm id quod in conciliis Regiis Tom. 17. ad annuum 745. habetur in excerptionibus Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi cuius in canone 39. Africanenſis canon iſte reperitur. *Pœnitentes ſecundùm canones non debent communicare ante conſummationem pœnitentiæ: nos autem pro miſericordia miſerantis Dei, poſt annum, vel duos, vel tres aliquibus licentiam damus.*

CAP.

CAP. IX.

Ex miniſtro abſolutionis publicè pœnitentium eam non fuiſſe Sacramentalem probatur.

SECTIO PRIMA.

Miniſter Sacramenti pœnitentiæ in mortis articulo eſt quilibet & ſolus ſacerdos.

HÆC eſt altera cauſa abſolutionis, efficiens nimirùm, quam ego cum doctoribus miniſtrum appellabo. Apud catholicos autem certum eſt miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ, ſeu abſolutionis, & formę illius non eſſe doctorem, aut magiſtrum morum, nec verbum Sacramentale eſſe verbum doctrinæ, ſed quod vi ſua, & energiâ ipſum etiam phreneticum nullius inſtitutionis, aut doctrinæ capacem ſanctificat, eique gratiam ſanctificantem confert. Vnde ſcio pleróſque grauiter offenſos multis recentiorum, contra quos potiſſimùm hæc diſputatio inſtituta eſt, dictis, quibus vix alias quàm doctoris, magiſtri, directoríſque partes ſuæ pœnitentiæ, quam Sacramentalem eſſe volunt, mi-

niſtro tribuunt. In Præfat. libri de Freq. Com. pag.49. nulla in re Sacerdotis excellentia magis eluceret, quàm in eo iure, quo ſibi per miniſterium ſuum conceſſo tot modis varias pro variis pœnitentis affectionibus pœnitentias imponere poteſt, & poſtea, hoc ipſo artem animas regendi artium artem diuinam effici. Ad idem facit, quod ibidem valdè & tanquam præcipua miniſtri actio commendatur poteſtas pœnitentem ligandi, eique pœnitentiam iniungendi. Alibi pag. 50. verbum ſacerdotis dicitur verbum gratiæ, quo Deus ſemper ad infideles ab infidelitate conuertendos, eodemque vt plurimùm ad peccatores à vita praua ad meliorem reuocandos, vtitur; quod verbum haud dubiè doctrinæ eſt, concionis, & prædicationis Euangelij: idque confirmat, quod ibidem ſubditur gratiam per prædicationem in anima pœnitentis recipi, & conſequenter à miniſtro pœnitentiæ effici & produci. Taceo quæ in tota pag. 51. adduntur, eaq; omnia diſſimulo, quia hoc in opere non aliorum errores carpere, ſed doctrinam veram nudè & ſimpliciter repræſentare volo, ideóque breuiter ſic diſputo.

II. Abſolutio illa Sacramentalis non fuit, quam alius quàm preſbyter & conſequenter Epiſcopus dare potuit, ſeu in qua muneris partem aliquam habuere alij quàm preſbyteri, quamque in mortis articulo pœnitentis paſtor, ſeu parochus ei dare non potuit ſine conſenſu Epiſcopi priùs admoniti. Atqui eiuſmodi fuit abſolutio quæ publicè pœnitentibus poſt pœ-

nitentiam actam, & ſatisfactionem Eccleſiæ datam olim tribuebatur; igitur hæc abſolutio Sacramentalis non fuit.

Maiorem propoſitionem duæ partes componunt, ambæ cuilibet catholico exploratæ, & omninò certæ. Priore enim abſolutionis Sacramentalis danda poteſtas, ſeu Sacramenti pœnitentiæ miniſterium alteri quàm presbytero, & Sacerdotalis ordinis poteſtate prædito conuenire negat. Quod diſertè docet decretum Eugenij in ſynodo Florentina *Miniſter*, inquit, *huius Sacramenti eſt ſacerdos habens authoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris.* Nec addit quemquam alium diaconum vel clericum in aliquo caſu poſſe illo munere fungi, ſicut de baptiſmi & confirmationis miniſtro dixerat. Et Tridentina Seſſ. 14. cap. 6. *Declarat falſas eſſe, & à veritate Euangelij penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes clauium miniſterium pernicioſè extendunt*: & poſtea docet *Sacerdotes per virtutem Spiritus ſancti in ordinatione collatam tanquam Chriſti miniſtros functionem remittendi peccata exercere*, & can. 10. dánat eũ qui dixerit *non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis.* Si igitur illius abſolutionis miniſter aliquis non ſacerdos eſſe potuit, aut eius conferendæ, & per eam peccata remittendi quoquo modo functionem habuit, omnino negandum eſt illam fuiſſe formam Sacramenti pœnitentiæ, aut quæ per eam peccati remiſſio publicè penitenti tribue- III.

batur culpæ remiſſionē Sacramentalem fuiſſe.

IV. Poſteriore maioris illius propoſitionis parte negabam eam abſolutionem eſſe Sacramentalem, quam pœnitenti in articulo mortis ſine conſilio & conſenſu Epiſcopi proprius illius, aut potiùs quilibet ſacerdos olim dare non poterat. Hîc non diſputo an vi ſuæ ordinationis, an verò ex tacito, aut expreſſo Eccleſiæ placito quiuis ſacerdos quemlibet peccatorem in mortis diſcrimine ſacramentaliter abſoluere poſſit. Id vnum modò mihi ſatis eſt, hanc Eccleſiæ praxim ſemper fuiſſe, vt abſq; alio Epiſcopi, aut ſacerdotis proprij & paſtoris, ſi abeſt, conſenſu in vrgentis mortis periculo quemlibet peccatorem quiuis ſacerdos abſoluat, nec conſuetudinem aliam aut diſciplinam ab Eccleſia induci potuiſſe, vt pote pietati contrariam. Quod habeo ex ſynodo Tridentina, quæ Seſſ. 14. cap. 7. loquuta de poteſtate qua pontifices *in ædificationem tamen non in deſtructionem grauiores cauſas* & nonnulla peccata *præſertim quoad illa quibus excommunicationis cenſura* annexa eſt, peculiari ſuo iudicio reſeruare poſſunt, rectè notat illos ea poteſtate vti poſſe in ædificationem non in deſtructionem, qualis haud dubiè eſſet reſeruatio in mortis neceſſitate, addit enim. *Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque ideò omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* Quamobrem niſi ſynodo

fidem hac in parte abrogandam putes, fatendum tibi eſt illius abſolutionis beneficium, quod à presbytero morienti pœnitenti conferri non potuit, niſi priùs conſulto Epiſcopo, & eius qui excommunicauerat, ſeu pœnitentiam publicá iniunxerat conſenſu expectato, abſolutionis Sacramentalis & peccatorum quoad culpas remiſſionis beneficium non fuiſſe.

SECTIO SECVNDA.

In abſolutione vltima pœnitentium publicorum miniſtri munere functi ſunt Diaconi, atque adeò laici aliquam in ea partem habuerunt.

QVod Diaconus ex imperio Epiſcopi pœnitentem publicè aliquando cum Eccleſia reconciliarit, eique Euchariſtiam ſaltem in mortis articulo dederit, clariſſimè docet S. Cyprianus Epiſt. 13. *Qui libellos*, inquit, *à martyribus acceperunt, & prærogatiua eorum apud Deum adiuuari poſſunt, ſi incõmodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra apud presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, vt manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum* V.

pace, quam dari martyres litteris ad nos factis deſiderauerunt. Quod iſta abſolutio vltima intelligatur, patet ex eo quod non niſi facta exomologeſi, quę portrema pœnitentiæ actio erat, dari debuit. Quod verò nec iſta abſolutio, quam diaconus dare potuit, nec apud eum facta exomologeſis fuerit Sacramentalis, aliæ quoque eius decreti circumſtantiæ perſuadent. Ea enim abſolutio erat quam martyres dari poſtulauerant, eos ſua apud Deum prærogatiua iuuantes. Vt pœnitens aliquis verè contritus Sacramentaliter abſoluatur nullo martyrum ſubſidio eget, nec hac in re vllam martyr prærogatiuam ſpecialem habet. Quare quoad pœnæ temporalis remiſſionem, & indulgentiam, pro qua martyres apud Deum prę-rogatiuam quandam habuiſſe vſus indulgentiarum docet, abſolutio illa, non verò quoad peccati culpam intelligenda eſt. Deinde S. Cyprianus vult eam pœnitentibus, quos martyres libellis commendauerant in articulo mortis, abſolutionem dari, quam reliquis ea martyrum commendatione carentibus negat. Ea igitur abſolutio Sacramentalis non fuit; quam omnibus pœnitentiam poſcentibus, cum viatico dari antiqua & canonica lege decretum ait Nicæna Synodus.

VI. Addo ampliùs in ea abſolutione vltima non ſolum Diaconos ſed etiam clerum, martyréſque laicos cum Epiſcopis partem aliquam habuiſſe, nec enim manum ſuper pœnitentes abſoluendos impoſuiſſent, niſi vt ratam illam habere ſe teſtarentur. Apud S. Cyprianum Epiſt. 10. *In minoribus* etiam quàm ſit

idololatria, eiuſmodi ſunt adulterium, & alia ob quæ fiebat publica pœnitentia, *peccatis peccatores agunt pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniunt, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & cleri, ius communicationis accipiunt.* Vnde idem S. Pater conqueritur quod idololatriæ rei *ad cōmunicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & clero impoſita, Euchariſtia illis datur.* Dubitari ne poteſt an alia quàm noſtra hæc vltima pœnitentium publicorum legitima abſolutio fuerit ea, quâ nonniſi poſt pœnitentiam iuſto tempore actam, poſt exomologeſim ſecundùm diſciplinæ ordinem data, ius perfectæ communionis, Euchariſtiæ, & oblationis abſoluto acquirebatur? At in ea clerum cum Epiſcopo manum impoſuiſſe, & ita in ea reconciliatione partem aliquam habuiſſe non ſemel, ſed iterum in eadem Epiſtola S. Cyprianus teſtatur: & in Epiſt. 11. cùm *manum ab Epiſcopo & clero in pœnitentiam impoſitam* ait, non poteſt intelligere eam, qua dabatur pœnitentia poſtea agenda, quia eā *poſt actā pœnitentiā, poſt exomologeſim grauiſſimi atq; extremi delicti*, videlicet idololatriæ *factam* refert.

VII. In Epiſtola 30. ad eundem S. Cyprianum clerus Romanus de lapſorum in idololatriam reconciliatione reſcribens monet, *Eccleſia pacem ſuſtinendam, deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, presbyteris, diaconis,*

confeſſoribus, pariter ac ſtantibus laicis facta, lapſorum tractare rationem: perquam enim nobis & inuidioſum & oneroſum videtur, non per multos examinare, quod per multos commiſſum videatur fuiſſe, & vnum ſententiam dicere, cùm tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe, quoniam nec firmum decretum eſſe poteſt, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum. Quis pœnitentiæ Sacramenti tribunal, ſententiam, & abſolutionem eam fuiſſe dixerit, in quibus confeſſores reliquíque ſtantes laici, ſeu non pœnitentes publicè conſilium ineunt, lapſorum rationem tractant, cauſam examinant, ſententiam dicunt, & ſine quorum conſenſu decretum firmum eſſe nequit? Legatur S. ipſe Cyprianus Epiſt. 54. & 55. ad Cornelium PP. noſtrique aduerſarij iudicent an ſine confeſſione publica, & cognitione cauſarum, ob quas pœnitentes in ius illud vocati erant, à plebè legitimæ abſolutionis ſuffragia obtinere potuerint, vt vel ex hoc loco corrigant, quod ſine confeſſione publica omnes peccati alicuius mortalis reos publicam pœnitentiam egiſſe dicunt, cùm ſine plebis conſenſu, & iudicio, & conſequenter peccatorum cognitione legitimè abſolui non potuerint: ſed hoc obiter perſtricto, ad inſtitutum ſermonem redeo, ſicque diſputo.

VIII. Si martyres quantumuis laici, nullam in pœnitentium illorum abſolutione, & cum Eccleſia reconciliatione functionem habuerunt, ſi eam nullo modo pœnitentibus concedere po-

tuerunt, quo tandem iure, ſollicitè, & cautè petentium deſideria ponderantes, inſpicientes & actum, & opera, & ſingula meritorum, ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitantes lapſis nominatim deſignatis dari pacem deſiderant, eámque promittunt, vt idem S. Cyprianus Epiſt. 11. & 15. habet? Si in iudicio nullam iudicis partem tenent, ſi meri pœnitentium aduocati, patroníque ſunt, quid neceſſe eſt eos cautè & ſolicitè ſingulorum merita, delicta, & iam præſtitam ſatisfactionem examinare? quis niſi demens pacem & abſolutionem quam dare nequeat, illis promittat?

At martyres etiam laicos pacem & abſolutionem pœnitentibus illis non tantùm impetraſſe, & promiſiſſe, ſed etiam dediſſe ait Euſebius Cæſarienſ. lib. 5. hiſt. cap. 11. vbi loquitur de martyribus Lugdunenſibus *qui Eccleſiæ matri non angorem & moleſtiam, non fratribus bellum & ſeditionem, ſed gaudium, pacem, concordiam & charitatem reliquerunt.* Ibi ait ſe intelligere fratres qui in fide excidiſſent. Quod autem non pro culpæ, ſed pœnæ temporalis remiſſione illorum martyrum ſuffragia pœnitentibus podeſſent, ibidem plene 6. c. aſſerit Euſebius. *Non illi fratrum imbecillorum lapſu gloriabantur, ſed quæ dona ipſis per Dei gratiam affatim ſuppetebant, aliis qui maioris opis indigerent, benignè largiebantur, &c.* Quæ dona, beneficiaque ſibi ſuperflue peccatoribus eorum indigentibus communicare martyres potuerint, IX.

ſuperiùs docui, nec id muneris ſolis martyribus, vt ſuis ſuffragiis, aliis etiam adhuc viuis pœnæ remiſſionem impetrarent, ſed etiam monachis conceſſum ait S. Cæſarius Arelat. Homil. 18. cùm eos ſic alloquitur. *Taliter vos exhibere debetis, fratres, tam ſanctè, tam iuſte, tam piè, vt merita veſtra non ſolùm vobis ſufficere, ſed etiam peccantibus aliis in hoc ſæculo poſſint veniam impetrare.* Denique & pacem à martyribus datam probo ex Tertulliano, qui in lib. ad martyres, cap. 1. ad pacem & concordiam ſeruandam ſic adhortatur. *Quā pacem quidam in Eccleſia non habentes, à martyribus in carcere exorare conſueuerunt. Et ideò eam etiam propterea in vobis habere, & fouere, & cuſtodire debetis, vt ſi fortè & aliis præſtare poſſitis.*

Sectio Tertia.

Nunquam Presbyter abſolutionem illam vltimam, nec in ipſo mortis articulo ſine conſenſu Epiſcopi dare olim poterat.

X. HÆc eſt altera pars ſyllogiſmi, quem in ſectione prima huius capitis propoſui, eóque probaui abſolutionem, quæ publicè pœnitentibus poſt pœnitentiam peractam dabatur, Sacramentalem non fuiſſe, quia niſi conſultus Epiſcopus conſentiret, nullus eam pres-

byter pœnitenti etiam in mortis articulo dare poterat, quantumuis ne de ſalute ſua pericli-taretur, pœnitentiam & viaticum Euchariſtiæ acciperet; quod ſignum certiſſimum eſt, abſolutionem illam, quam Eccleſiaſticam duntaxat fuiſſe contendo, non tam peccatori neceſſariam, ac viaticum, nec conſequenter Sacramentalem & pro culpa peccati remittenda inſtitutam fuiſſe. Nunc ſupereſt, vt oſtendam, & productis teſtibus euincam, olim abſolutionem illam, etſi daretur viaticum, non fuiſſe nihilominùs datam pœnitenti, niſi abſens Epiſcopus cōſultus id ſibi gratum eſſe ſignificaſſet, aut potiùs iuberet ipſe pœnitentem ſuo nomine per presbyterum, aut etiam diaconum abſolui à cenſura, & cum Eccleſia reconciliatum ad religionis chriſtianæ beneficia accipienda admitti.

Hoc ni fallor clariſſimum habetur ex illo ſæpiùs prolato Nicæni concilij canone 13. poſtquam enim ex antiqua Patrum lege iuſſit omnem pœnitentem viatico vltimo muniri in mortis articulo, addit Epiſcopum re examinata, iudicaturum, an illi communio cum oblatione ſit concedenda: id eſt, an tribuenda ſit illi abſolutio, qua ei ius ad communionem illam perfectam acquiratur. Quod vltimum fruſtra additum eſt, niſi viaticum abſque illa reconciliatione dari potuerit: & licet illud abſque alia Epiſcopi licentia huius ſaltem decreti, vel, vt Concilium ſignificat, antiquæ & canonicæ regulæ vi dari poteſt, atque adeò debet ab omni presbytero; Communio tamen perfecta, & XI.

quæ ad eam ius dat abſolutio, abſque expreſſo Epiſcopi iudicio, & ſententia, concedi non potui. Sed ne id obſcurius quiſquam eſſe cauſetur, audiat quod Carthaginenſis ſecunda ſynodus tempore S. Auguſtini celebrata in can. 4. clariſſimè hac de re decernit. *Si quiſquam in periculo conſtitutus & ſe reconciliari diuinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtique presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic pœnitentem eius conſilio reconciliare.* Nec enim negligendum eſt quod ait de reconciliando diuinis altaribus pœnitente, ſeu communione cum oblatione concedenda, quæ quàm à viatico & reconciliatione pro eodem adhibita ſit diuerſa, ſuperiùs monui. Idem ipſum habet canon 69. libri 5. Capitularis Caroli Magni, cuius de publico pœnitente hoc ex Nicæno, vt ibidem in fine ait, decretum eſt, *Quod ſi vtpotè mortalis intra metas praſcripti temporis* (ſcilicet pœnitentię) *caperit vita finis vrgere, ſubuenìendum eſt implorantibus, ſeu ab Epiſcopo, qui pœnitentiam dedit, ſeu ab alio, qui tamen datam eſſe probauerit, aut ſimiliter à presbytero, iuſſu tamen, aut permiſſu proprij Epiſcopi, per manus impoſitionem abſolutione precum ſacerdotalium, viaticum abeuntibus de ſæculo non negetur.* Crediderim poſt *Sacerdotalium* ponendam eſſe interpunctionem, ita vt ſenſus ſit, quamquam ea abſolutio dari non debeat à presbytero ſine permiſſu proprij Epiſcopi, cauendum tamen, ne vlli prorſus viaticum negetur. Sed quocumque

modo ſententia tota intelligatur, clarum eſt presbyterum pœnitenti illi abſolutionem hanc abſque Epiſcopo, qui pœnitentiam impoſuit, dare non potuiſſe; quod mihi ſatis eſt, vt eam Sacramentalem fuiſſe negem.

XIII. Denique quis credat nullum presbyterum Parochionorum ſuorum alicuius peccati mortalis reorum extra mortis articulum confeſſiones audire, eis congruas pœnitentias iniungere, abſolutionem impertiri, atque, vt verbo dicam, Sacramentum pœnitentiæ miniſtrare potuiſſe? quod tamen dicere oportet eos qui non aliam quàm publicam de peccatis mortalibus pœnitentiam Sacramentalem, nec aliam quàm Sacramentalem publicè pœnitentium reconciliationem peracta pœnitentia conceſſam eſſe volunt. Certum enim eſt nulli presbytero publicè pœnitentes reconciliare licitum fuiſſe, idque adeò ſæpè in Conciliis vetatur, vt nihil frequentius occurrat. Agathenſe can. 44. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem in Eccleſia benedicere presbytero non licebit.* Quod de pœnitente publico intelligendum eſſe conſtat ex permultis canonibus, quibus cum Abbatibus & Monachis, vt abſque Epiſcoporum iuſſu quemquam pœnitentem abſoluant, aut eius confeſſionem audiant, vetitum eſt: iiſdem & aliis pleriſque omnino ſignificatur id licitum regulariter fuiſſe presbyteris cum Epiſcopi iuſſu, iis videlicet omnibus qui ab Epiſcopo Parochiis vrbanis, aut ruralibus præficiebantur; nec deſunt canones qui pœnitentes pu-

blicè & ſecreto diſtinguunt, ſeu cùm negent presbyterum pœnitentes publicè abſoluere poſſe, ijdem eum peccatorum confeſſiones audire, pœnitentias iniungere pœnitentes ſibi cõfeſſos ligare, ac proinde Sacramentaliter abſoluere poſſe dicunt.

XIV. Cabillonenſe can. 8. *De pœnitentia peccatorũ, quæ eſt medela animæ* (ac proinde Sacramentalis pro culpæ remiſſione) *vtilem hominibus eſſe cenſemus, & vt pœnitentibus à Sacerdotibus data confeſſione indicatur pœnitentia, vniuerſitas ſacerdotum noſcitur conſentire.* In Remenſi 11. anno 813. can. 13. *Ventilata eſt ratio pœnitentiæ, vt ſacerdotes certiùs intelligerent, quomodò confeſſiones recipere, & pœnitentiam ſecundùm canonicam inſtructionem pœnitentibus deberent iudicare.* Can. 15. *Vt Epiſcopi & presbyteri examinent qualiter confitentibus peccata diiudicent, & tẽpus pœnitentiæ conſtituant.* In Capitulari Herardi Turonenſis tom. 22. Concil. Reg. ad annum Domini 858. can. 59. Vt *presbyteri de occultis iuſſione Epiſcopi pœnitentes reconcilient, & ſicut præmiſimus, infirmantes abſoluant & communicent.* Can. 87. de presbyteris, *Vt regulariter pœnitentias dent, & in iudicando æquitatem habeant, & munera inde non exigãt.* In Capit. Caroli Mag. lib. 7. cap. 49. *Nullus ſacerdos in alterius ciuitate vel diæceſi pœnitẽtẽ, vel ſub manu poſitũ ſacerdotis, vel qui recõciliatũ ſe dixerit ſine cõſenſu & litteris Epiſcopi vel presbyteri in Parochia presbyter, aut Epiſcopus in ciuitate ſuſcipiat.* Qui presbyter nõ poteſt in aliena Parochia pœnitentem, in ſua

haud dubiè abſoluere poſſe dicitur, & can. 143. quòd presbyter pœnitenté abſoluere nõn poſſe dicitur id de publico intelligendum eſſe diſertè docet. *Statutum eſt in ſanctis canonibus prohibitum, vt nullus presbyter pœnitentem publicè inconſulto Epiſcopo reconciliare præſumat, niſi morte fortè periclitantem. Sed omnes publicè pœnitentes quinta feria ante Paſcha, quæ eſt Cena Domini, ad ciuitatem in cinere & cilicio in præſentiam Epiſcopi proſtrato vultu conueniant, & ibi ab Epiſcopo canonicè & ordinabiliter, ſicut in Sacramentario, & in Romano ordine continetur reconcilientur, atque diiudicentur, conſolentúrque & prædicentur, quid deinceps agere, quidue vitare debeant inſtruantur, atque inſuper diuinis precibus per manus impoſitionem ab Epiſcopo curentur. Nullo namque tempore presbytero in publica Miſſa pœnitentem reconciliare, ſine licentia Epiſcopi conceſſum eſt.* Quod decretum prohibet ne pœnitens publicè niſi morte periclitatur, à presbytero inconſulto Epiſcopo abſolua illud ſatis innuit, pœnitentem non publicum in mortis periculo inconſulto Epiſcopo abſolui poſſe. Et cùm *omnes publice pœnitentes* in Cæna Domini ab Epiſcopo reconciliandos ait, neminem publicè pœnitentem excipit; quodque ſuperiùs docui, non ſolùm eos pœnitentes qui iam pœnitentiæ tempus expleuerant, ſed quoſcumque alios in feſto illo ad Euchariſtiam admiſſos fuiſſe, ſic tamen vt quid deinceps agere, & an in pœni-

tentia perſeuerantes reliquo tempore à communione abſtinere deberent, inſtruerentur.

CAP. X.

Materia pœnitentiæ Sacramentalis non fuit eadem cum materia pœnitentiæ & abſolutionis publicæ.

Sectio Prima.

Abſolutio pœnitentiæ publicæ propria pro venialibus peccatis nunquam data fuit.

I. HOc eſt tertium & cauſæ materialis caput, ex quo argumentũ peto, vt probem abſolutionem illam quæ in publica pœnitentia poſt ſatisfactionem dabatur, Sacramentalem nonfuiſſe. Eſt autem duplex Sacramenti pœnitentiæ materia. Prior continet peccata à quibus peccator abſoluitur; poſterior actus pœnitentis, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. pro peccatis non malè peccator ipſe, quique poſt baptiſmum in peccatum aliquod lapſus eſt, accipi poteſt. Eſt quæ iſte duplex

Digitized by Google

plex, alter qui mortaliter, alter qui venialiter tantùm peccauit. Itẽ in peccatũ mortale lapſus vel eſt clericus, vel laicus, iſque vel primùm lapſus eſt, vel etiam poſt acceptam ſemel abſolutionem in idem, vel aliud capitale relapſus eſt. De hoc vltimo poſtea commodiùs ſermo erit, cum de iteratione pœnitentiæ diſputabitur.

Quod ad peccatorem attinet vt Tridentinum Seſſ. 14. cap. 5. docet, *ex inſtitutione Sacramenti pœnitentia vniuerſalis Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmũ lapſis iure diuino neceſſariã exiſtere.* Vnde *colligitur oportere à pœnitẽtibus omnia peccata mortalia ..... in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.* Addit venialia citra præſumptionem rectè & vtiliter in confeſſione dici, & citra culpam taceri poſſe, quia multis aliis remediis expiari poſſunt. Nullum autem peccatorem, vel clericum ab hac obligatione excipit, quæ cum ſit de iure diuino, ab ea nulla Eccleſiæ indulgentia, aut diſpenſatione vel laicus vel clericus eximi poteſt. Iam ſic diſputo. II.

Ea abſolutio Sacramentalis non fuit, ad quam poſtulandam, ſibíque facta confeſſione procurandam obligatus non fuit ſacerdos pro quibuſlibet peccatis mortalibus; nec laicus pro occultis; & quæ pro venialibus nulli data fuit. Quæ autem abſolutio in pœnitentia publica olim poſt ſatisfactionem dabatur fuit eiuſmodi, vt nec pro venialibus vnquam data fuerit, III.

aut etiam dari merito potuerit, nec pro ſe-cretis occultiſque peccatis laico, nec pro vllis etiam publicis criminibus ſacerdoti neceſſaria fuerit. Illa igitur abſolutio Sacramentalis non fuit.

IV. Maiorem certam omnino faciunt ea quæ ſuperiùs dicta ſunt. Certè niſi ſacerdoti in peccatum mortale lapſo neceſſaria eſſet abſo-lutio Sacramentalis, non eſſet cur peccata ſua ſacerdoti confiteri teneretur. Nec enim tribu-nal illud adire, ſeque alteri ſacerdoti tanquam iudici reum ſiſtere iubente Chriſto debet, niſi vt ab eo ſententiam abſolutionis, & peccato-rum remiſſionem accipiat Et quæcumque ſi-ue ſacerdos ſiue laicus peccata mortalia facit, ea omnia vno eodemque Sacramenti pœni-tentiæ remedio curanda ſunt, nec minùs pro occultis, quàm pro manifeſtis expiandis qui-uis chriſtianus Sacramento pœnitentiæ re ſuſ-cepto eget, vel ſaltem eius voto, quod nullum intelligi poteſt, niſi aliquando illud exequi, & quod contritus animo proponit verè efficiat, & confeſſus peccata pœnitentiam & abſolutio-nem petat.

V. Idem ipſum de venialibus clarum eſt; cur enim rectè & vtiliter quiſquam ea Sacramen-taliter confiteatur, ſi ab iis Sacramentaliter ab-ſolui nequit, cùm Sacramentalis peccatorum confeſſio de ſe inſtituta non ſit ad conſilium à confeſſario petendum, nec pro aliqua conſo-latione accipienda, aut quouis alio beneficio, quod extra confeſſionem, & à docto, rerum-que ſpiritualium perito magiſtro, æquè ac à

confeſſario ſperari poteſt? Quare confeſſionis venialium commodum & emolumentum proprium eſt eorumdem remiſſio quæ per abſolutionem & per virtutem clauium datur. Ne verò longior ſim, quod in illius meæ ratiocinationis minore propoſitione dixi, abſolutionem quæ pœnitentiæ publicæ clauſula erat pro venialibus dari iure ac legitimè non potuiſſe, facilè etiam in doctrina aduerſariorum probatur. Quia obſolutio illa erat reconciliatoria peccatoris cum Eccleſia, & ſolutio vinculi excommunicationis, ſupponebátque eum qui abſoluebatur antea excommunicatum ad Euchariſtiam ſumendam idoneum nõ fuiſſe priuſquàm abſolueretur. Quis autem dicat vllam veniali peccato excommunicationem annexam eſſe, aut qui eius reus eſt aliquo illius vinculo obligatum teneri, cum ex doctrina Concilij Tridentini ille non teneatur peccatum eiuſmodi veniale confiteri, quia multis illud remediis expiare poteſt? Eccleſia ex eo quod ſacerdos peccatum mortale non tantùm remittere, ſed etiam retinere, nec eius reum tantum modò ſoluere, ſed etiam ligare poteſt, optimè collegit confeſſionem cuiuſlibet peccati mortalis de iure diuino neceſſariam eſſe. Igitur ex eo quod iuſtus peccatum ſuum veniale confiteri non tenetur, optimè colligitur nec illud retineri, nec qui commiſit, ob ipſum merito ligari, excommunicari, ſeu ab Euchariſtia repelli poſſe. Quare cùm abſolutio illa, de qua ſermo eſt, excommunicationem aliquam & ſumendę Euchariſtiæ impedimentum ſupponeret, non

potuit meritò dari pro veniali cum quo excommunicatio illa coniungi non potuit.

Sectio Secunda.

De Confeſſione Sacramentali peccatorum venialium.

VI. Non me latet nonnullos exiſtimare, cùm de Sacramentali peccatorum venialiũ cõfeſſione diſceptatur, in poſteriorum quatuor ſæculorum vſu ſiſtendum eſſe, & cùm iſte vt pote ab Eccleſia iam commendatus, probatúſque à catholico nullo damnari poſſit, eum nihilominus parùm efficaciter, aut etiam prudenter afferri ſi de veteri diſciplina Eccleſiæ agitur, quia illi negant ante duodecimum ſæculum vſum peccata venialia confitendi ſacramentaliter viguiſſe, & quoties de illis manifeſtandis ſancti Patres, ac nominatim monachi, eorúmque magiſtri loquuntur, eos non intelligere confeſſionem ſacramentalem, quæ pro abſolutione eorum per Eccleſiæ claues conſequenda fieret, ſed tantum pro conſilio capiendo ſuadere conſcientiæ & defectuum manifeſtationem quam præpoſitis ſuis & magiſtris ſæpiſſime non ſacerdotibus monachi facerent.

VII. Quàm autem falſum ſit confeſſionem venialium Sacramentalem poſt duodecimum ſæculum cœpiſſe, non eſt conſilij mei, nec otij

liligentiùs diſſerendo demonſtrare. Ne tamen meam hac in parte diligentiam deſiderari patiar, nonnulla priorum temporum teſtimonia ea de re profero. Librum vſuum ſacri ſui ordinis Patres Ciſtertienſes agnoſcunt, eum duobus ab hinc annis in lucem ediderunt, & ex ipſo contextu eum valde antiquum, ac primis eius ordinis temporibus factùm eſſe conſtat. In capite 60. cui titulus eſt de capitulo & confeſſione, tractatis iis quæ in capitulo tractanda erant omnes iubentur exire, niſi aliquis remoretur cauſa confeſſionis, cuius vſus erat iſte; *poſtquam reſederint, dicat prior, benedicite. Et reſponſo, Dominus, ſubſequatur prior, Deus ſit nobiſcum: & reſponſo Amen, confiteatur breuiter culpas, pro quibus veniam petiit. Quibus dictis ſtatim ſubſequatur de his & omnibus aliis meis peccatis me reum confiteor, & veniam deprecor. Tunc prior facta ſuper eum abſolutione iniungat ei pœnitentiam. Deinde poteſt eum confortare, vel monere, vel increpare, prout viderit ei expedire ſi voluerit, breuiter tamen. Si quis cauſa confeſſionis aliquem eorum qui confeſſiones audiuit, poſt ſignum miſſæ detinuerit, vel de miſſa euocauerit in capitulo, vtróque ſtante breuiter confiteatur.* Hæc poſtrema pars ſatis indicat confeſſionem illam pro remiſſione peccatorum, & vt per eam ſe pœnitens ad Euchariſtiam digniùs ſumendam diſponeret non pro conſilio de vita inſtituenda capiendo factam fuiſſe. Nec enim tempus illud pro hoc conſilio opportunum fuiſſet, nec breuitas illa qua tunc vten-

dum erat confeſſionem aliam quàm Sacramentalem fuiſſe ſuadet. Præterea confortatio admonitio, increpatio ab abſolutione diſtinguitur, & illa poterat omitti, ſique adhibenda videbatur, non niſi breuis eſſe poterat, qualis modò in confeſſione Sacramentali vſurpari ſolet? Denique pro noſtro hodierno vſu probando valet quod facta confeſſione iniungitur pœnitentia, itaut nondum hac peracta pœnitens peccata confeſſus tunc ſtatim abſolueretur. Nō arbitror quemquã aut à religioſorũ inſtituto tantopere abhorrere, aut ſanctitatis morum quæ tunc in illius ſacri ordinis monaſteriis vigebat adeò ignarum eſſe, vt tunc neminem niſi peccati mortalis cōſcium cōfeſſionem illam feciſſe, & ſacerdotes qui eas audiebant adiuiſſe arbitretur. Quare tunc in vſu erat, vt religioſi illi culpas ſuas & peccata venialia confeſſi ſacramentaliter abſoluerentur.

VIII. S. Edmundus Cantuarienſis qui anno 1240. floruit, in ſpeculo Eccleſiæ cap. 14. non tanquam recens excogitatam, ſed antiquam Eccleſiæ doctrinam & diſciplinam referens, ait *tertium Sacramentum eſſe pœnitentiam, quæ delet omne peccatũ actuale & veniale & mortale.* ſuperiore ſæculo Petrus Cluniacenſis lib. 5. Epiſt. 39. ad Abbatem de Rupibus referens mortem Ioannis cuiuſdem ſui monachi, ait ſe pro ſuo officio illum ægrum adiuiſſe, audiuiſſe confitentem ipſa etiam quotidiana & puerilia & confeſſum abſoluiſſe. *A me*, inquit, *abſolutus pœnitentia indicta confeſſione fidei & dominica oratione me iubente præmiſſa,*

Nota abſolutum indicta non peracta pœnitentia. Idem Petrus lib. I. de miraculis cap. 5. vit fratrem quendam *grauiora & mortifera ſtulto pudore reticentem quotidiana tantùm & quæ leuia videbantur, timore Dei poſtpoſito faſſum fuiſſe*. Quinto ſæculo S. Cæſarius Arelatenſis in Homilia 32. quæ incipit, *quodſupplicante* monachos quos à criminibus capitalibus immunes ſupponit negligentes monet, vt *cum grandi compunctione celeriùs ad pœnitentiæ vel correctionis medicamenta confugiant*. Quis per hæc medicamenta, correctionem, & pœnitentiam Sacramentalem commodè intelligi poſſe neget? Quodque, in fallor, haud parui momenti eſt, licet animaduertere eundem S. Patrem S. Eligium, aliosque, cum peccata ab iis criminibus ob quæ tunc pœnitentia publica facienda erat diſcernunt mortalia cum venialibus cōfundere (quod noſtris aduerſariis errandi occaſio fuit) quia illa omnia iiſdem remediis quoad culpam, & quoad pœnam ſanari poterant, deque illis omnibus eadem pœnitentia Sacramentalis fieri ſolebat, itaut quod ad pœnitentiam attinet, non eſſet vllum inter peccata diſcrimen, niſi inter nonnulla publica, & enormia quæ cum Eccleſiæ ſcandalo commiſſa fuerant, & alia occulta vel etiam manifeſta quidem, ſed minora, ſiue ea iuſtorum quotidiana eſſent, & verè venialia, ſiue mortalia quæ etiam inter Chriſtianos crebriora erant & dicebantur. Nec obſcure fauet S. Auguſtinus eo in loco quo peſſimè hæretici abutuntur, vt probent ba-

ptiſmi virtute abſque alio Sacramento peccata poſt ipſum commiſſa remitti. Habetur in lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 33. Vbi ait *eodem lauacro regenerationis .... omnia prorſus mala .... ſanari*, etiam *quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur. Quid enim prodeſſet vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea niſi præcederet?* addit orationem dominicam & eleemoſynas. Igitur S. Auguſtinus pro omnibus peccatis quotidianis ignorantiæ, & infirmitatis, quę ſaltem venialia complectuntur, eandem poſt baptiſmum pœnitentiam valere, quam hic ab operibus bonis diſtinguit. Cumque, vt antea oſtendi, S. Auguſtinus Hom. 50. cap. 14. & Enchir. cap. 64. & 65. aliam quam publicam pœnitentiam, in qua per clauium Eccleſiæ miniſterium peccata remittuntur agnouerit; & hic eandem pro omnibus infirmitatis & ignorantiæ peccatis pœnitentiam tunc in vſu fuiſſe dicat, inde ni fallor rectè conficitur, S. Auguſtinum pœnitentiam Sacramentalem pro venialibus expiandis admiſiſſe. In appendice Tomi 9. in tract. 15. cap. 5. deſcribitur methodus & ratio confeſſionis Sacramentalis deque venialibus ſic habetur. *Confitere.... quæ te remordent flagitia, detege ſpecialiter quæ ſcis ſpecialia, quotidiana de quibus non fuiſti mundus, ſaltem cogitatione in collecta generali appone, ſicque ex indulgentia confide.* Quod autem author ille antiquus ſit & tunc cùm adhuc canonum pœnitentialium ſeu pœnitentiæ

ublicę diſciplina ſeruabatur vixerit, intelligitur ex his cap. vltimi verbis de iis qui in mortis articulo abſoluuntur. *Si tamen tales conualuerint, canonum diuturnam non negligant ſubire cenſuram.* Sed vt hoc dubium ſit. S. Petrus Damiani qui anno 1000. vixit ſermone 58. qui eſt ſecundus de S. Andrea docet tunc in vſu fuiſſe leuium peccatorum confeſſionem damnátque eos qui leuia confeſſi gratia diffitentur.

Quæ ſi dubiæ fidei alicui eſſe videbuntur, quod proferam teſtimonium adeò clarum eſt, vt nemo prudens illud reſpuere poſſit. Habetur in Tomo 17. Conciliorum regiorum ad annum Domini 747. libri 11. pœnitentialis ſeu excerptionum Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi canon iſte 34. *Si quis chriſtianus fabulis otioſis, ſtultiloquiis, verbis iocularibus, riſúmque monentibus ſtuduerit, quod ſecundùm Domini definitionem & S. Pauli Apoſtoli ius, peccatum eſſe dignoſcitur, ſacerdoti ſuo manifeſtet, & ſecundùm arbitrium eius modúmque delicti pœniteat*, & cætera quæ ibidem adiungit. Habes ſacerdotem proprium & pœnitentiam ſecundum huius arbitrium, & modum delicti actam, quæ duæ notæ euidentiſſimæ ſunt confeſſionis Sacramentalis & non pro conſilio, ſed pro abſolutione accipienda factæ. IX.

Sectio Tertia.

Pro multis peccatis mortalibus remittendis abſolutio pœnitentiæ publicæ propria olim vſurpata non fuit.

X. ID probare ſuperfluum videtur eſſe ſemel conſtitutis iis quæ in priore diſſertatione dicta ſunt. Cùm enim abſolutio hæc, de qua ſermo eſt, non niſi poſt publicam pœnitentiam factam data fuerit, de quibus peccatis mortalibus illa pœnitentia publica acta non fuit, nec pro illis remittendis abſolutio illa celebrata eſt. Quàm multa autem peccata mortalia pœnitentiæ illi obnoxia non fuerint, nec olim per eam expiata, abundè in illa diſſertatione dictum eſt; Nemo enim clericus, aut laicus pro vllo peccato mortali intra animum commiſſo, aut pro crimine non publico, nec pro alio publico, quàm inter mortalia grauiore expiando pœnitentiam publicam agere, & eius publicam abſolutionem procurare neceſſario debuit. Hæc igitur non fuit abſolutio, quæ vel in re vel in voto cuilibet in quoduis peccatum mortale poſt baptiſmum lapſo de iure diuino neceſſaria eſt.

XI. Quod Diaconi, Sacerdotes, & Epiſcopi pro nullo crimine pœnitentiam egerint, nihil in antiquis conciliis clarius eſt. celebre eſt illud S. Leonis Epiſt. 82. cap. 11. teſtimonium.

Alienum, inquit, *eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in presbyterali honore, aut in Diaconij gradu fuerint conſecrati, y pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi; quod ſine dubio ex apoſtolica traditione deſcendit, ſecundùm quod ſcriptum eſt: ſacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro eo? Vnde huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei priuata eſt expetenda ſeceſſio: vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* An quia illi per manus impoſitionem & reconciliationem publicam peccatorum remiſſionem non accipiebant, idcirco abſque abſolutione ſacramentali ab illis liberari potuerunt? Qui hoc diceret erroris à Tridentino manifeſti redargueretur. Quam autem rationem addit S. Leo, ſatis probat, quod antea dixi eam abſolutionem non pro culpæ reatu datam fuiſſe, ſed pro remittenda pœna, & ſoluendo excommunicationis Eccleſiaſticæ vinculo. Nec enim ad culpam, ſed pœnam remittendam valet Eccleſiæ oratio, & quæ huius impoſitionis manuum & remedij virtutem ſupplet ſacerdotis illius in ſeceſſione ſatisfactio, non pro culpæ, ſed pœnæ remiſſione valet.

Huc reuoca quod S. Auguſtinus Epiſt. 108. ad Seleucianam ferre non poteſt, vt S. Petrus de peccato quo Chriſtum negauit, quantumuis grauiſſimo, vt tract. 66. in Ioannem probat, *putetur egiſſe pœnitentiam quomodò agunt in Eccleſia, qui propriè pœnitentes dicuntur. Et quis hoc ferat, vt primum Apoſtolorum in-* XIII.

ter tales pœnitentes numerandum putemus? quod de pœnitentia ſacramentali nemo dixerit. Adde quod nulla eiuſmodi reconciliatoria abſolutione eguit ſacerdos lapſus, qui ob crimen depoſitus, in ſeceſſu & monaſterio ita pœnitentiam agere debuit, vt tamen excommunicatus, aut Euchariſtiæ expers non eſſet, vt alibi oſtenſum eſt.

XIII. Ad hæc præterea addo, ſi pueri aut puellæ impuberes crimen aliquod publica pœnitentia in adultis plectendum commiſiſſent, nec excommunicatos, nec publicæ pœnitentiæ ſubiectos, nec illa abſolutione à peccato mundatos fuiſſe. Innumera teſtimonia proferre cum poſſem, vnicum Fœlicis. P. III. qui S. Gregorij auus fuit, rem conficiet. Is enim in Epiſt. 7. vniuerſos Epiſcopos ſic alloquitur. *Pueris autem, quibus quod adhuc impuberes ſunt, à pubertate vocabulum eſt, ſeu clericis, ſiue laicis, aut etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiu ſub manus impoſitione detentis reddenda communio eſt, nec eorum expectanda pœnitentia, quos excipit à coercitione cenſura.* Denique ex laicis adultis quàm pauci inter pœnitentes publicos olim, etiam tunc cum Eccleſiæ diſciplina vigebat numerarentur, teſtis eſt S. Eligius qui in Homilia ſua 16. non niſi duos in die cænę ſe reconciliare ait. *Duos*, inquit, *præterea fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam coegit agere pœnitentiam.* Quos duos ſolummodò tunc in tota Eccleſia Nouiomenſi peccati alicuius mortalis reos & neminem alium præ-

erea ſacramentali pœnitentia eguiſſe qui omniaret, demens haud dubiè eſſet, & ex eatem S. Eligij Homilia facillimè refelleretur. cio antiquis illis temporibus puriùs vixiſſe Chriſtianos, at nihilominùs ſi tam rari peccatores fuiſſent, nec S. Paulus ad Philipp. cap. . conquereretur omnes quæ ſua ſunt, quærere, non quæ Ieſu Chriſti, nec cap. 3. flens liceret multos ambulare inimicos crucis Chriſti; nec ætate ſua quam Eccleſiæ virilem appellant aduerſarij S. Auguſtinus concione 3. n Pſal. 30. tot chriſtianos malè viuentes tunc uiſſe doleret, *vt inter multitudinem reorum*, nquit, *vix appareant boni*, vbi tamen (quod duerſarij diſciplinæ ſuæ ſi poſſunt accommolent, hæc addit, *& qui benè viuunt, & qui malè viuunt omnes vno charactere ſignantur, mnes ad vnum altare accedunt, omnes eodem aptiſmo abluuntur, omnes eandem orationem lominicam proferunt, omnes iiſdem myſteriis elebrandis interſunt*: Non igitur tot chriſtiai erant in pœnitentia publica, nec à ſacra communione prohibiti, nec excommunicati bſolutione illa egebant, vt oblationis participes ſacris myſteriis, quemadmodum alij enè viuentes intereſſent. XIV.

Viderint doctores iſti, an tunc alia quàm quæ modò eſt, Eccleſiæ in peccatoribus ad acra religionis chriſtianæ officia, muneráque admittendis diſciplina fuerit, noſtráque hæc enitas ſit perniciosiſſima indulgentia & ex norum corruptela, prauorúmque chriſtianoum multitudine longè, quàm tunc erat,

maiore nata tolerantia. Credunt videlicet & vt ſuum de illo rigidiſſimo vſu proque vel vnici peccati mortalis expiandi remedio multorum menſium pœnitentia,& à ſacris ſeparatione aut præceptum aut ſaltem conſilium tanquam apoſtolicæ traditionis, & ſolenne totius antiquæ Eccleſiæ inſtitutum nobis perſuadeant, fingunt ſibi animo,& nobis ſuis in ſcriptis commemorant aureum quoddam Eccleſiæ ſæculum & ætatem innocentiſſimam, in qua tam rara fuerint, quàm modo crebra ſunt crimina mortaliáque peccata. Quod niſi probauerint, quam vana ſint quæ de antiqua illa diſciplina in ſacramento pœnitentiæ de quo duntaxat, non de publica pœnitentia oratio mea eſt, adminiſtrando dicunt quiuis paulò perſpicacior facilè intelliget. At quàm falſum illud ſit vt probem, innumeris aliis omiſſis vnum profero Saluianum Maſſilienſem, qui ætate illa S. Auguſtini quam velut Eccleſiæ adoleſcentiam noſtri Doctores prædicant vixit, & non vnius prouinciæ, ſed totius ferè Europę mores deſcribit in ſuis de prouidentia libris, ac nominatim de Africanis Eccleſiis quæ S. Auguſtinum, totque alios ſanctiſſimos vigilantiſſimoſque paſtores habebant in libro ſeptimo ſub finem ſic loquitur. *Exceptis pauciſſimis Dei ſeruis vbi non omnia exſecratione digna? Gothorum gens perfida, ſed pudica eſt; Alanorum impudica, ſed minùs perfida: Franci mendaces, ſed hoſpitales: Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate venerandi. Omnes denique gentes habent*

cut peculiaria mala, ita etiam quædam bona.
a Afris penè omnibus neſcio quid non malum,
uod fuſiùs perſequutus, ita demùm con-
udit. *Quis non omnes omninò Afros impu-*
icos generaliter ſciat, niſi forte ad Deum con-
erſos, id eſt, fide ac religione mutatos. Sed
c tam rarum eſt, ac nouũ, quàm rarum videri
oteſt quemlibet ganeonem non eſſe ganeonem,
ut quemcumque ſanum non eſſe ſanum. Tam
ifrequens eſt enim hoc, & inuſitatum impu-
icum non eſſe Afrum, quàm nouum & inau-
itum Afrum non eſſe Afrum. Ita enim ge-
rale in eis malum impuritatis eſt, vt qui-
imque ex eis impudicus eſſe deſierit, Afer
on eſſe videatur. In tanta peccatorum col-
uie ſi quiuis peccati mortalis etiam occulti
us multos annos, aut menſes ab Eucha-
ſtia ſacróque miſſæ ſacrificio repulſus tunc
it], ſi ſemel ſuſcepta Sacramentalis pœni-
ntia nunquam, aut raró iterata tunc fuit;
ianta in Eccleſiis Africanis Euchariſtiæ par-
ipum ſolitudo eſſe debuit! niſi quis exiſti-
et innumeros prope chriſtianos non adhi-
to prius illo longioris pœnitentiæ remedio
ichariſtiam indignè ſumpſiſſe, ſuaque alia
imina horrendo communionis indignæ ſa-
ilegio cumulaſſe. Verùm id credere nos non
iit tanti peccati apud omnes etiam malè
ientes chriſtianos, & ſacrilegij horror, ve-
: illorum paſtorum vigilantia, qui certè ſi
:quens fuiſſet eiuſmodi crimen, longè aliter
ıàm fecerunt in ſuis concionibus inſectati
ſſent.

Sectio Qvarta.

An partes ſacramenti pœnitentiæ materiales, eſſentiales & integrales dicendæ ſint.

XV. Altera pœnitentiæ ſacramentalis materia complectitur tres pœnitentis actus contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem quibuſcum abſolutio ſacramentalis tanquam forma cum materia comparatur. Vnde nonnulli ſatisfactionem æquè ac alias actiones, ſacramento eſſentialem, ante abſolutionem æquè neceſſariò, ac illas præmittendam eſſe contendunt. Decepti ſunt ex parte, dúmque non ſatis partis integrantis, & eſſentialis rationes proprias diſtinxerunt, in errores à Doctoribus catholicis ipſiſque ſummis Pontificibus damnatos inciderunt. Nota eſt facultatis Pariſiēſis data anno promè ſuperiore 1644. die 23. Iunij cenſura nonnullarum propoſitionum quas ait eſſe *temerarias, hæreticas, & à Sixto IV. contra Petrum de Oſma illiúſque ſequaces prædamnatas bullâ datâ anno Domini* 1478. *quatenùs aſſerunt exequutionem pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis impoſitæ neceſſario, & ex inſtitutione Chriſti ac inuariabili ſacramenti natura ita prærequiri abſolutioni, vt alioqui abſolutio non ſit valida, niſi eiuſmodi ſatisfactio priùs completa fuerit.*

bulla verò Sixti cuius iſta cenſura memi-
t inter alias propoſitiones Petri de Oſma
citatur iſta. *Non peracta pœnitentia con-
tentes abſolui non debere.* Summus autem
ontifex declarat, *Omnes & ſingulas propoſi-
.ones prædictas falſas, ſancta Catholicæ fi-
ei contrarias, erroneas, & ſcandaloſas, &
b Euangelica veritate penitus alienas, ſan-
torum quoque Patrum decretis & aliis Apo-
ſtolicis conſtitutionibus contrarias fore, ac
manifeſtam hæreſim continere*: Qui omnes
& ſingulas damnat, illam determinatè, &
per ſe ſumptam damnat. nec, vt oppinor,
mentem ſummi Pontificis legitimè interpre-
tantur recentiores quidam cùm parte II. c. 15.
de Freq. Com. pag. 406. aiunt Petrum hunc
*iuſtè damnatum ob illam propoſitionem, præ-
ſertim quia coniuncta eſt cum aliis propoſi-
tionibus, &c.* Ea enim ſeorſim ſumpta nec tan-
tum cum aliis coniuncta damnata eſt.

Quę doctrina ne antiquis Patribus minùs consona videatur, & omnes qui in hac quæſtione committi poſſunt errores declinentur, quod ante annos duodeviginti in ſcholis publicè docui. Obſeruo (quod omnibus rebus quæ quantumuis ſpirituales cum materialibus aliquam analogiam habent, commune eſt) in contritione, confeſſione, æquè ac ſatisfactione ſacramentali partis eſſentialis & integrantis rationem duplicem diuerſámque reperiri. Certum eſt, niſi aliqua contritio, & de peccatis deteſtatio à peccatore ad Sa- XVI.

cramentum afferatur, iſtud eiúſque abſolutionem nullius fructus aut vtilitatis eſſe. Verùm cùm vera, & ad ſacramenti validitatem ſufficiens: contritio maior, & minor eſſe poſſit, nec in indiuiſibili ſicut abſolutio conſiſtat, eaque vel vehemens, & intenſa, vel intra eandem ſpeciem, remiſſa, & eadem vel diuturna, vel breuior, & vel vnico actu concepta, vel multis repetitis auctior eſſe queat: nemo catholicus doctor iam dubitat, quin contritio breuiſſima, & quaſi momentanea, eáque remiſſiſſima ad fructum ſacramenti, ſeu ad culpæ mortalis, & pœnæ æternæ reatum per abſolutionem abolendum ſufficiat; dummodò ſit ſpecificæ rationis illius & eſſentiæ quam ſacramentum requirit; atque hæc contritio ſecundùm rationem hanc ſpecificam ſacramenti pars materialis eſſentialis dicitur. Eadem autem quatenus vel intenſa, vel diuturna, vel ſæpiùs repetita eſt pars eiuſdem ſacramentalis integralis dicitur, quia ſic conſiderata confert aliquid ad integram, & perfectam peccatorum quoad pœnas videlicet temporales remiſſionem. Cùm enim contritio v.g. quam minima quoad gradus, ſeu remiſſiſſima ad culpam & æternam pœnam remittendam æquè ac eadem duplo, triploue maior valeat; hæc maior alium fructum pœnitenti non affert, quàm remiſſionem totius, vel partialis pœnæ temporalis, quæ non ſemper tota & indiuiſibiliter, ſicut culpa, & pœna æterna remittitur.

Confeſſionis ſacramentalis eadem quoque ratio eſt. Vt enim de ſola mortalium confeſſione loquar, ea & eſſentialis, & ingralis ſacramenti pœnitentiæ pars eſt. Niſi aliqua ſaltem in genere ſit confeſſio, ac in ipſo quoque mortis articulo pœnitens ſe peccatorem ſigno aliquo per ſe, aut per idoneos teſtes ſacerdoti ſignificet, ab hoc abſolui ſacramentaliter nullo modo poteſt, nec abſque aliqua confeſſione ſacramenti huius eſſentia haberi, aut intelligi. Nihilominùs tamen eadem confeſſio poteſt aliquando non integra ſufficere. Si quis enim poſt neceſſariam diligentiam adhibitam peccati alicuius mortalis non recordatur, aut ſi ob vrgens periculum aliquis confeſſionem totam perficere non poteſt, aliamve ob cauſã abſque culpa peccatum aliquod mortale non confitetur, dummodò aliqua peccata confiteatur, is partem ſacramenti eſſentialem, & confeſſionem ſufficientem quidem, ſed tamen imperfectam ponit, & integralem eius ſacramenti partem omittit, quæ ſi poneretur, haberet ſuum fructum, & ad pleniorem peccatorum quoad pœnas temporales reliquas remiſſionem valeret. XVII.

Idem verò ipſum de ſatisfactione ſacramentali, hancque ſacramenti partem & eſſentialem, & integralem dici poſſe arbitror; dummodò non reſtringatur ad eam duntaxat, quæ à ſacerdote pœnitenti peccata confeſſo imponitur. Quòd ſatisfactio etiam pars eſſentialis dici queat, probatur ex D. Thoma. XVIII.

qui in 3. p. q. 80. art. 2. & 3. eodem prorſus modo tres partes materiales ad ſacramentum pœnitentiæ pertinere ait, & in 4. diſt. 16. queſt. 1. art. 1. quæſt. 3. tres illas partes eſſentiales ſimul & intergrales appellat. *Dicendum*, inquit, *quòd ſunt partes integrales. Sed ſciendum quòd partes integrales ſunt duplices. Quædam ſunt partes quantitatis, quæ ſunt quandóque vnius rationis, vt in totis homogeneis; quandóque vero diuerſarum rationũ, vt in totis heterogeneis, quædã verò ſunt partes eſſentiæ, ſicut materia & forma non quãtitatis, & ſemper ſunt diuerſarum rationum, & habent ordinem naturæ ad inuicem, & quandoque etiam ordinem temporis in his quorum eſſe non eſt ſimul, & huiuſmodi partes ſunt de quibus loquimur, quia pœnitentiæ ſacramentum ſecundùm rationem ſpeciei ſuæ ex his tribus integratur.* Quibus verbis S. Thomas eodem modo tres illas partes ſacramenti pœnitentiæ conſiderat, & eas ita integrantes eſſe, vt tamen non ſint tantũ partes *quantitatis*, ſed etiã *eſſentiæ*, quemadmodum materia & forma ſunt alicuius partes, & ex his *ſacramentum pœnitentiæ ſecundùm rationem ſpeciei* ſuæ integrari docet.

SECTIO QVINTA.

In contritione & confeſſione ſatisfactio aliqua continetur, quæ abſolutionem ex rei natura antecedit.

DVbium non eſt, quin contritio & confeſſio ſacramenti pœnitentiæ pars eſſentialis ſit, & abſolutionem ex rei natura antecedat, nec in hoc probando, quod per ſe manifeſtum eſt, operam perdendam eſſe arbitror. Nunc aio in illis ſatisfactionem aliquam Deo à peccatore exhibitam contineri; Vnde conſequens eſt, ſatisfactionem aliquam abſolutione priorem eſſe, & quæ eam ſequitur non poſſe rectè eſſentialem dici, ſed integralem, quia pars eſt totius ſatisfactionis ſacramentalis homogenea, & eiuſdem cum ea quæ in contritione & confeſſione includitur rationis, ſi vt exhibita Deo pro offenſæ ſatisfacteo eſt conſideratur, nimirum pœnæ alicuius & moleſtiæ ſuſceptio voluntaria tanquam iuſta, Deo offenſo debita, & pro eo placando neceſſaria. S. Thomas laudatus ſuperiùs tres illas partes materiales Heterogeneas eſſe dixit, eáſque ita ſpectatas ſacramenti eſſentiam conſtituere, at præterea in ſingulis, vt & anteà notatum eſt partes quædam quantitauæ, ſeu quæ eas maiores & XX.

minores efficiunt conſiderandæ ſunt. Nunc verò aſſero ſatisfactionem, quæ à ſacerdote poſtea facienda imponitur in ratione ſatisfactionis, ſeu pœnitentiæ, pœnæque voluntariæ eſſe eandem cum illa quæ in contritione & confeſſione includitur. Vnde nunquam ſine aliqua ſatisfactione ſacramentum pœnitentiæ ſubſiſtit, & non tantùm pro pœna temporali poſt culpam deletam reliqua, ſed etiam pro culpæ ipſius, pœnæque æternæ remiſſione ſacramentaliter obtinenda neceſſario requiritur. Duo hic aſſero, prius in contritione & confeſſione ſatisfactionem aliquam haberi; Poſterius eam ad ſacramenti eſſentiam conſtituendam neceſſario ante abſolutionem æquè ac illas requiri; Ex priore poſito poſterius facile colligitur.

XXI. Illud autem diſertè aſſerit S. Thomas in 4. diſt. 16. Queſt. 1. art. 1. q. 1. vbi ſic loquitur. *Pœna quam pœnitens patitur, tota in rationem ſatisfactionis cadit, non enim ſola exteriori pœna homo ſatisfacit, ſed etiam interiori, aliàs oratio mentalis non eſſet ſatisfactoria. Vnde & pœna quæ eſt in contritione, & quæ eſt in confeſſione in partem ſatisfactionis cadit.* Et Alenſis 4. parte quæſt. 14. memb. 2. art. 1. §. 3. confeſſionem quia ratione erubeſcentiæ eſt magna pars pœnitentiæ, ait eſſe cauſam remiſſionis pœnæ, ſicut ſatisfactio quæ ſequitur eſt reliquæ pœnæ remittendæ cauſa. Et S. Bonauent. in 4. Diſt. 16. in expoſit. litt. ſic ait. *Satisfactio dicitur*

dupliciter. Vno modo ſatisfactio dicitur ipſa reconciliatio, & ſic quia omnes partes pœnitentiæ ſunt ad reconciliationem ordinata, quælibet dici poteſt ſatisfactoria. Alio modo dicitur ſatisfactio perſolutio pœnæ debitæ: & ſic competit propriè vni parti pœnitentiæ, quæ eſt aſſumptio, ſiue adimpletio pœnæ iniunctæ: nihilominùs tamen aliis partibus competit per accidens, vt pote contritioni ratione doloris coniuncti, qui eſt in parte ſenſibili, ſimiliter confeſſioni ratione erubeſcentiæ. Notatúmque velim dici ſatisfactionem iniunctam quæ contritioni & confeſſioni ineſt, quia videlicet imperatur pœnitenti, & niſi eam ipſe præſtet, & ſacerdoti notam faciat, non abſoluitur. Et Concilium Senonenſe anno 1528. celebratum in Decreto X. tit. de confeſſione, ait, *pœnitentem pudorem confeſſionis in ſatisfactionis partem de ſingulo quonis erraio pati.* Fuit autem hæc Patrum doctrina.

XXII. Tritum eſt quod ex S. Chryſoſt. Hom. de Pœnit. refertur in de pœnit. diſt. 3. cap. *Perfecta pœnitentia*, vbi de pœnitente ſic ait; *In corde eius contritio eſt, in ore eius confeſſio, in opere tota humilitas, hæc eſt perfecta & fructifera pœnitentia.* Cùm igitur in omnibus tribus illis partibus ſit humilitas, eas omnes ſatisfactorias etiam pro pœna eſſe fatendum eſt. Tertullianus in lib. de pœnit. cap. 9. in ipſo dolore & confeſſione ſatisfactionem agnoſcit. *Huius ſecunda pœnitentia .... tan-*

to operoſior probatio eſt, vt non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus .... exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur; non quidem vt ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pænitentia naſcitur, pænitentia Deus mitigatur. Cum prouoluit hominem magis releuat; cum ſqualidum facit, magis mundatũ reddit, cum accuſat, excuſat; cum condemnat abſoluit. In quantum non peperceris tibi, Deus, crede, parcet. Quis neget dum peccator ſibi non parcit, Deo aliquatenus ſatisfacere? at id facit dum confeſſione ſe accuſat, delictum Deo ſuum confitetur, & condemnat. S. Cyprianus Epiſt. 55. *amplector prompta & plena dilectione cum pænitentia reuertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili & ſimplicè confitentes.* Nondum igitur plena ſatisfactione ſibique à ſacerdotibus iniuncta functos reuertentes, & confitentes humilem & ſimplicem ſatiſfactionem præſtare exiſtimat. S. Ambroſius lib. 2. de Pœn. cap. 1. *Pudor eſt vt vnuſquiſque crimina ſua prodat, ſed ille pudor agrum ſuum arat, ſpinas tollit perpetuas, ſentes amputat, fructus adolet, quos inter mortuos eſſe credebas.* Alludit ad fructus pœnitentiæ, quos iam in confeſſione humili agnoſcit, atque ita ſatisfactionem. Quis enim negat eum aliquam ſatisfactionis partem Deo exhibere, quem adolere fructus fatetur? Denique lib. 2. de Abel & Cain cap. 9. *Confeſſio pœna,*

rum compendium eſt, de pœnitentiæ portio crimen fateri. Nec minus clarè loquitur S. Auguſtinus homilia illa adeò celebri 50. cap. 5. *Non ſufficit*, inquit, *mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis, &c.* En de contritione. Serm. 66. confeſſionis virtutem ait deſcribi hoc Chriſti elogio *pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ, &c.* Facere autem fructus dignos pœnitentiæ, quid aliud eſt quàm Deo ſatisfacere? Et apud eundem author de vera & falſa pœnit. à Theologis antiquis ſæpe laudatus cap. 10. de confeſſione multa habet, atque inter cætera: *Multum*, inquit, *ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum quæ commiſit nuncio Dei denegavit..... dignus miſericordia eſt, qui ſpiritali labore petit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubeſcentiam. Et quoniam verecundia magna pœna eſt, qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordia.* S. Bacchiarius in Epiſt. ad Ianuarium confeſſionis ſatisfactionem appellat. S. denique Eligius Homil. 4. docet *agi condignam ſatisfactionem per confeſſionem, & pœnitentiam.*

Sed etiamſi Patres omnes & Doctores tacerent, res per ſeipſam clariſſimè id teſtaretur. Cur enim cor pœnitentis qui peccata cum dolore, & verecundia ſacerdoti confi-

tetur contritum humiliatúmque dicitur niſi quia dolor iſte, & pudor confeſſionis magna de ſe eſt afflictio, humilitas, & pars exomologeſeos, quæ quia proſternendi, humilificandíque hominus diſciplina eſt, diuinam miſericordiam allicit, & conciliat, vt cum Tertulliano loquar. Nec quemquam humani ſenſus compotem, ſi ſe ipſum conſulat, audiátque inficiari poſſe arbitror, quin vix vllum reperias, qui confeſſionis pudorem moleſtiſſimum multis ieiuniis, & eleemoſynis libentiſſimè non redimat, maximè ſi crimina per ſe pudenda magis & turpia ſunt. Vnde magnopere miratus ſum quomodò vnquam quibuſcum nobis eſt concertatio, in mentem venerit ſcribere, niſi ſacerdos multorum annorum, aut certè menſium experimento pœnitentis ſui animum exploratum habuerit, eum prudenter de iſtius interno dolore, & emendationis propoſito nec iudicium ferre, nec ſacramentaliter abſoluere poſſe. Si Patribus ac nominatim S. Auguſtino credimus, reus ipſe in iſto tribunali, accuſator, teſtis, atque adeò carnifex eſt, nec tam rei, quàm accuſatoris, & teſtis partes ſuſtinet. Quis verò vnquam accuſatori, aut teſti à iudice niſi priùs per ſupplicia quæſtione habita, credi prudenter poſſe neget? Ecquis vnquam adeò iniquus iudex fuit, vt reum ipſum crimen ingenuè confeſſum torqueri iuſſerit? In foro ſanguinis, & meræ iuſtitiæ accuſatori, teſti, reóque ipſi crimen confeſſo abſque

tormentis creditur, in foro autem miſericordiæ, clementiæque diuiuæ, & in iudicio, in quo nihil aliud ſpectatur quàm rei abſolutio, venia peccatorum, & remiſſio cum aliqua ſatisfactione, vt miſericordia & veritas obuient ſibi, iuſtitia & pax ſe oſculentur, nec merè gratuita, vt in baptiſmo, ſed aliqua iuſtitiæ diuinæ ratione ſeruata iuſta ſimul & miſericors peccatoris cum Deo reconciliatio fiat; & tu adeò immitis & ſeuerus es, vt niſi pœna tota perſoluta, reum abſolui poſſe neges, quia, inquis, alioqui eum ad veniam accipiendam idoneum prudenter exiſtimari poſſe negas?

Hæc autem accuſatio & verecunda peccatorum confeſſio tanti à Patribus & Catholicis omnibus habita eſt, & cordis verè contriti argumentum tam certum ſinceræque ad Deum conuerſionis effectus, aut certe nota & ſignum, vt non dubitent eum à Deo miſericordiam, & peccatorum veniam obtinerè, qui alteri etiam non ſacerdoti peccata confiteri, atque ita iuſtam Deo ſatisfactionem dare voluerit. Hinc emanauit vſus ille antiquorum chriſtianorum quo in mortis diſcrimine conſtituti, ſi ſacerdos deerat, ſociis confiteri erant ſoliti, ſequuti conſilium hoc authoris illius de vera & falſa pœnit. cap. 10. *Tanta vis confeſſionis eſt, vt ſi deeſt ſacerdos confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quòd pœnitens non poteſt confiteri coram ſacerdote, quem deſideranti nec locus* XXIV.

nec tempus offert. Et ſi ille cui confitebitur poteſtatem ſoluendi non habet, fit tamen dignus venia ex deſiderio ſacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim ſunt leproſi, dum irent oſtendere ora ſacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet Dominum ad cor reſpicere, dum ex neceſſitate prohibentur ad ſacerdotes peruenire .... ſed Dei miſericordia eſt vbique, qui & iuſtis nouit parcere, etſi non tam citò ſicut ſi ſoluerentur à ſacerdote. Quaſi cum Theologis dicat, longè faciliorem eſſe ſacramenti virtute, quàm abſque ea datam peccatorum remiſſionem. In ſacramento enim ſufficit attritio, cùm extra illud contritio perfecta poſtuletur, & vi ſacramenti opere ipſo, vt aiunt, operato pœnitens iuſtificatur, quare ſi extra ſacramentum confeſſio tanti apud Deum meriti ſæpe eſt, vt peccatorum veniam obtineat, quid de eadem in ſacramento facta, vt abſolutionem promereatur cenſendum eſt?

XXV. Nam quod at in parte 2. de Freq. Com. cap. 7. pag. 281. negatur pœnitentiam ſacramenti partem eſſe, niſi cum à ſacerdote imponitur, & ex eius imperio totam illius benedictionem fructúmque peti, parùm Theologicè negatur. Nec enim latere debuit contritionem, & confeſſionem ſi propriè loqui volumus à ſacerdote non imperari, cum iſte non niſi vt iudex, nec priúſquam ſtatum pœnitentis notum habuerit, prudenter quid-

quam decernere poſſit, eas tamen eſſe verè & propriè partes ſacramenti pœnitentię materiales. Minúſque adhuc theologum ſapit ratio, qua id probatur, quia pœnitentia antequam à ſacerdote iniuncta ſit, quantumuis magna, aliud nihil quam virtutis pœnitentiæ actio eſt, quaſi verò aliud quidquam ſacramenti pars materialis ſit, quàm actio quædam virtutis pœnitentiæ, & quæ contritio, & confeſſio virtutis illius actio & effectus eſſe dicitur, eo ipſo non habenda ſit verum & ſufficiens eiuſdem internæ pœnitentiæ ſignum, æquè ac ignis ſignum fumus eſt, iræ internæ excandeſcentia, oriſque mutatio, & in vniuerſum omnis effectus proprius cauſæ ſuæ ſignum, indicium, & teſtimonium omnino certum eſt.

Ex his porrò intelligitur quàm vere ſancti Patres aliquam operis ſatisfactionem pro ipſius culpæ & pœnæ æternæ remiſſione obtinenda, nec tantùm pro reliqua pœna temporali expungenda præuiam popoſcerant. Eam enim quæ in contritione ipſa, & confeſſione habetur potiſſimùm intellexerunt, & præterea voluerunt, vt pœnitens ſacerdotis imperium accipiat, & omninò ſtatuat peccatum in ſeipſo vlciſci, damnantes, vt exiſtimo, eos qui ita animo parati eſſent, vt de peccatis dolere, eáque confiteri vellent, ſed cætero qui quidquam pro ſatisfaciendo pati detrectarent, quia mallent in igne purgatorio pati, quàm hac in vita facere ſatis. Horum, ni fal- XXVI.

ſor, mancā & omnino imperfectam pœnitentiā Patres reprobant, quia folia floreſque tantummodo, & abſque dignis fructibus pœnitentia ſterilis foret, ſiquidem cùm contritio pœnitentiæ flos, confeſſio folia ſint, opera ipſa fructus eiuſdem digni quos facere nos Deus iubet, dicenda ſunt. In dictis Patrum referendis nón moror, quia paſſim obuia ſunt, & id monuiſſe ſatis eſſe arbitror. Memineris quæ de S. Leone ex Hincmaro Remenſi allatum eſt, & attendas velim quod Innocentius I. ad Decentium ait, *de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſſe ita iudicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum demum iubere dimitti cum viderit congruam ſatisfactionem.* Hæc enim ſi de ſacramentali remiſſione ſermonem continent ita commode intelligi poſſunt, vt hæc congrua ſatisfactio in ipſa confeſſione, fletibus & lacrymis pœnitentis habeatur.

SECTIO SEXTA.

Satisfactio à Sacerdote impoſita pœnitenti, abſolutionem ſacramentalem ſequitur, non antecedit.

HAnc doctrinam breuiter ſic demonſtro. XXVII.
Quæ ſatisfactio ſupponit peccatorem iam à Deo iuſtificatum accepta culpæ, & pœnæ æternæ remiſſione, ea abſolutionem ſacramentalem ex ſe, naturáque ſacramenti ſequitur, non antecedit. Eiuſmodi eſt ſatisfactio pœnitenti à ſacerdote in ſacramento pœnitentiæ iniuncta. Ea igitur ex ſe, & ex natura ſacramenti abſolutionem ſequitur, non antecedit. Syllogiſmi maior propoſitio nititur hoc communi, & per ſe euidentiſſimo axiomate, quæ res ad alicuius cauſæ proprium effectum, velut natura priorem, ſuámque cauſam refertur, ſeu effectum illum ſupponit, eadem quoque ipſam cauſam ſupponit, ſeu, vt, loquuntur alij, cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati. Cùm enim iuſtificatio pœnitentis, quæ ſacramenti pœnitentiæ virtute fit, abſolutionem ipſam tanquam cauſam ſuam reſpiciat, ſi, vt oſtendam, ſatisfactio à ſacerdote impoſita iuſtificationem illam ſupponit, ſeu ſequitur, eadem quoque abſolutionem illam

ſequitur, non antecedit. Cùm igitur ſatisfactionis illius actio abſolutionem ſupponat, & ſequatur ex natura, ratione & inſtitutione ſacramenti, eam antecedere non poteſt.

XXVIII. Obſeruabis autem quatuor, primùm me loqui de ſatisfactionis ſacramentalis parte illa, quæ à ſacerdote imponitur, non autem de ea quæ in ipſa contritione, aut in confeſſione includitur. Deinde me loqui de actione ipſa ſatiſfactionis, non de propoſito, iniunctione, & acceptatione quę omnia abſolutionem antecedere fateor. Rurſus ſermo eſt de hoc partium ſacramenti, ſpeciatímque de abſolutionis & ſatisfactionis ordine, non qui per accidens contingere poteſt, ſed quem ſacramenti ratio, naturáque poſtulat. Cùm enim partes omnes tam materiales interſe, quàm cum formali ſeu abſolutione comparatæ quia heterogeneæ ſunt, aliquem inter ſe ordinem ſeruare debeant, aio abſolutionem, & ſatisfactionem ita ſe habere, vt ſatisfactionis propoſitum abſolutionem antecedere, actio vero illius hanc ſequi debeat. Verbi gratia contingere aliquando poteſt, vt ſacerdos prudenter dubitet, an pœnitens ſeriò, & verè in animo conuerſus ſe adeat, & confiteatur, vt ex. g. in iis locis in quibus homo ſub excommunicationis, & pœnæ etiam temporalis interminatione, vel in Paſchate, vel in infirmitate vt medicum habere poſſit, confiteri cogitur, & aliunde ob mores inueteratos in vitiis, fidem ſæpiùs violauit; tunc ſacerdos pœnitenti

tenti prudenter imperare poteſt aliquam ſatisfactionem, non quia eſt pars integralis ſacramenti, ſed quia conuerſionis alioqui dubiæ teſtimonium eſt; ſed id omninò accidentarium eſt, nec de eo, ſed tantùm de connaturali ordine abſolutionis & ſatisfactionis loquor. Denique obſerua abſolutionem & ſatisfactionem hîc conſiderari in ordine vnius & eiuſdem generis cauſæ efficientis, quæque cauſæ exiſtentiam ſupponit, ne forte quis cauillatus dicat res duas ſibi viciſſim cauſas, & priorem ſimul ac poſteriorem eſſe poſſe, ita materia & forma mutuam ſibi cauſæ operam præſtant, & finis ac efficiens ſunt mutuò prior & poſterior. At abſolutio iuſtificationis cauſa efficiens eſt ſiue moralis, ſiue phyſica, ipſaque iuſtificatio, ſatisfactionis eiuſdem cauſa efficiens eſt, vt oſtendam.

Minor demonſtrationis meæ propoſitio, quâ dico ſatisfactionis à ſacerdote pœnitenti confeſſo impoſitæ actionem ſupponere ipſum pœnitentem iuſtum eſſe, & à reatu culpæ, æternæque pœnæ liberum; probatur euidenter ex ſynodo Tridentina, aliiſque prouincialibus quæ contra Lutherum & Caluinum ſatisfactionem illam defendunt. Omnes enim aiunt hanc niſi alio fidei noſtræ dogmatæ, quod nimirum in ſacramento pœnitentiæ non ſemper tota pœna temporalis remittitur cum culpa, quemadmodum fit in baptiſmo, & diſtincto in peccatore reatu pœnæ duplici, altero æternæ, altero temporalis, aiunt æter- XXIX.

nam pœnam cum culpa vi ſacramenti re, aut voto ſuſcepti remitti; manere autem poſſe reatum alicuius pœnæ temporalis, cui ſoluendo ſeruit illa ſatisfactio. Quare cùm pœna æterna non mutetur in temporalem, nec ea remiſſa hæc relinquatur, niſi cùm ipſa culpa remittitur, quod non niſi iuſtificato ſacramentaliterque abſoluto pœnitente contingit; inde manifeſtè intelligitur ſatisfactionis illius actionem, valorem & fructum ſupponere hominis iuſtificationem. Idque confirmatur ex eo quod indulgentiæ quæ ſatisfactionis vim ſupplent, homini non proſunt, niſi iam à culpa iuſtificato. Audiantur concilia.

XXX. Tridentinum in Seſſ. 6. cap. 14. deſcribens reparationem lapſi in peccatum poſt baptiſmum, ait in ea contineri non ſolùm deteſtationem, & cor contritum & humiliatum, verumetiam peccatorum ſacramentalem confeſſionem, ſacerdotalem abſolutionem, itémque ſatisfactionem, qui ordo manifeſtè ſignificat abſolutionem priùs dari, quàm ſatisfactio illa peragatur. At quod addit longè adhuc clarius eſt; ait enim ſatisfactionē hāc *eſſe non quidē pro pœna æterna, quæ vel ſacramento, vel ſacramenti voto vnà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, vt ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, vt in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei ingrati fuerunt.* Qui enim clariùs exprimere poteſt, quod doceo, ſatisfactionem illam non pro æterna pœna, ſed pro temporali iniungi, illámque

iam cum culpa ſacramento vel ſacramenti voto remiſſam eſſe? Non potuit culpa hæc ſacramento remitti, niſi per abſolutionem. Igitur hanc omninò ſupponit illa ſatisfactio. In Seſſ. 14. cap. 8. de ſatisfactionis neceſſitate & fructu diſſerens, *declarat imprimis falſum omninò eſſe, & à verbo Dei alienum culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur.* Deinde eius fructus enarrans ſemper ſupponit eum qui ſatisfacit iuſtum eſſe: *Hæ*, inquit, *ſatisfactionis pœnæ cautiores & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, malè viuendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt, &c. Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre.* Hiſque ita conſtitutis concludit *debere ſacerdotes .... ſatisfactiones iniungere.* Nemo niſi iuſtus in futurum cautior fit, nec medetur reliquiis peccatorum niſi iam à culpa mortali liberatus, nec niſi iuſtus in Chriſto viuit, meretur, & ſatisfacit, nec niſi iam viuens vitâ gratiæ fert fructus, qui ex Chriſto uim habeant, nec alias ob cauſas ſacerdotes Domini ſatisfactiones iniungere debent. Igitur hæ iuſtificationem pœnitentis ſequuntur, non antecedunt.

Idem Concilium in Seſſ. illius canonibus XXXI.

idem omnino docet; ac 12. pro ſtatuenda ſa-tisfactione pœnitentium negat, *totam pœnam ſimul cum pœna remitti ſemper à Deo.* Can. 13. damnat negantes pro *peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis. . . . à ſacerdote iniunctis,* & can. 15. ait, *ſacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus non agere contra finem clauium, & contra inſtitutionem Chriſti*, & damnat dicentes, *fictionem eſſe quod virtute clauium, ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exoluenda remaneat.* Concil. Senonenſe anno Domini 1528. Decr. 12. de ſatisfactione. *firmiter tenendum decreuimus culpâ per pœnitentiam abolitâ frequenter ſupereſſe temporalis pœnæ reatum, veluti ſuperſtites quaſdam peccati reliquias, quæ per dignos pœnitentiæ fructus veniant expiandæ, adeout iniquitate & culpa peccati dimiſsâ peccator adhuc temporali pœnæ ſit obnoxius.* Idem habet Moguntinum an. 1549. de fide cap. 23.

XXXII. Denique Trident. Seſſ. 6. can. 29. ait, *lapſum recuperare iuſtitiam ſacramento pœnitentiæ, prout ſancta Romana, & vniuerſalis Eccleſia à Chriſto Domino & eius Apoſtolis edocta, huc vſque profeſſa eſt, ſeruauit & docuit.* Quem igitur ritum in conferenda abſolutione ante pœnitentiæ perſolutionem modò Eccleſia ſeruat, eum à Chriſto Domino & Apoſtolis accepit. De ordine abſolutionis & ſatisfactionis antea doctrinam Tridentini retuli; addo ſynodum Colonienſem quę eundem

ritum imperat cap. 39. In Auguſtana anno 1548. eſt index caſuum in quibus aliquando pœnitenti communione interdicendum eſt, at ſemper publici peccatores notantur, nec ob aliam cauſam præter fidem aliud teſtimonium ab iis requiritur, quàm *vt reipſa & factis teſtatum reddant, ſe ſuis omninò valefeciſſe criminibus, & pœnitentiæ ſatisfactionem recepiſſe.* Satis igitur eſt ſacerdoti noſſe, quod pœnitens verè contritus accipit ſatisfactionem poſtea perſoluendam. Idem colligitur ex Medionalenſi 1. §. Caneant confeſſores pag. 457. Quodque ritus iſte ſit antiquus habetur ex Hugone Victor. in inſtit. Monaſt. 11. cap. 53. *Munere*, inquit, *ſatisdationis oblato indulgentiam peccati obtinemus.* Et ne in re facili longior ſim, abſolutionem ante ſatisfactionis & pœnitentiæ ſolutionem olim datam eſſe teſtatur Theodulfus Aurelian. in capitularis ſuis cap. 36. Vbi morem antiquum peccata ante initium quadrageſimæ confitendi referens, non eum reuocat ad id quod recentiores iſti exiſtimant, vt videlicet facta confeſſione detur pœnitentia toto quadrageſimæ tempore facienda, vt hoc pacto in fine pœnitens ſacramentaliter abſolui poſſit, ſed vt homo iam iuſtificatus curſum quadrageſimalis pœnitentiæ ſatisfactorium ineat, ſtadiúmque decurrat. Sic enim loquitur. *Hebdomada vna ante initium quadrageſimæ confeſſiones ſacerdotibus dandæ ſunt, pœnitentia accipienda, & ſic ingredientes in beata qua-*

drageſimæ tempus mundis & purificatis mentibus ad ſanctum Paſcha accedant, & per pœnitentiam ſe renouent, quæ eſt ſecundus baptiſmus, ſicut enim baptiſmus peccata, ita pœnitentia purgat. Taceo per pœnitentiam acceptam intelligi abſolutionem cum iniuncta ſatisfactione; id enim poſtea probandum erit, & tantùm animaduerto iam mundis & purificatis mentibus ingredientes quadrageſimam, renouari per pœnitentiam. Si enim mundis & purificatis mentibus ſunt, à culpæ macula mundati iuſtique ſunt, nec aliter renouantur per pœnitentiam ſicut per baptiſmum, quàm quia plenam etiam pœnæ remiſſionem accipiunt. Idque ita accipiendum eſſe probat idem canon qui refert ſeptem modos quibus peccatorum venia obtineri poteſt: & inter eos vltimum pœnitentiam, quos tamen omnes non pro culpæ, ſed pœnæ remiſſione valere poſſe dicendum eſt.

CAP. XI.

Ex ritibus quibus abſolutio ſacramentalis neceſſario danda eſt, probatur eam quæ in publica pœnitentia ſatisfactionem ſequebatur, ſacramentalem non fuiſſe.

SECTIO PRIMA.

Abſolutio abſenti data Sacramentalis eſſe non potuit.

TRes abſolutionis ſacramentalis cauſas finalem, efficientem, & materialem hactenus conſiderauimus, & ex illis argumenta ſumpſimus, quibus abſolutionem, quæ in publica pœnitentia nunquam niſi poſt iniunctæ ab antiſtite ſatisfactionis actionem dabatur pœnitenti, húncque ab omni impedimento liberum in omnia chriſtianorum iura & munera reſtituebat, à ſacramentali penitùs diuerſam fuiſſe probatum eſt. Supereſt cauſa formalis, I.

quæ hîc proprie locum non habet. Abſolutio enim ipſa ſacramenti pœnitentiæ forma eſt, nec conſequenter cauſam aliam formalem habere poteſt. Nihilominùs tamen ad cauſæ formalis genus, & rationem reuoco ritus quoſdam quibuſcum abſoluto. Sacramentalis datur, quos cum in illa pœnitentiæ publicæ abſolutione, & reconciliatione ſeruatos non fuiſſe probauero, euicero manifeſtè, duas illas abſolutiones non confundendas, ſed omnino tanquam diuerſas diſtinguendas eſſe, quod eſt totius huius diſſertationis poſterioris argumentum.

Atque imprimis modò apud catholicos indubitatum eſt, abſolutionem ſacramentalem nec nutu, nec ſcripto, ſed ſolo verbo validè dari poſſe, & pronuntiari pœnitenti præſenti, itaut in rigore vera ſit iſta demonſtratiua propoſitio, *Ego te abſoluo*, nec alia valida ſit, niſi aut verbis ipſis per ſe ſumptis, aut certè cum circumſtantiis ſumpta illi propoſitioni penitus æquiualeat. Doctrinam hanc certam facit Clementis VIII. decretum Romæ datum die 19. Iulij anno 1599. alij 1603. notant, quo Clemens hanc propoſitionem, *Licere per litteras ſiue per internuncium confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minùs vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit*, precepítque ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſibique reſeruata, *ne deinceps iſta pro-*

poſitio publicis priuatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, néue vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Hoc decretum Theologi referunt, interque cæteros Suares in Tract. de Pœnit. diſp. 19. ſect. 3. aduertit ſummi Pontificis mentem eſſe, abſolutionem ſacramentalem abſenti datam non ſolùm tanquam illicitam, ſed etiam tanquam inualidam proſcribere, & quamuis propoſitio damnata ſit copulatiua, & non ſolùm abſolutionem, ſed etiam confeſſionem abſenti datam complectatur, poſſétque forte aliquis cauillari, & dicere neutram diſiunctam damnari; videtur tamen omninò certum, ſummum Pontificem abſolutionem ſcripto, aut abſenti pœnitenti datam nullam declarare, & tanquam inualidam damnare.

Enimuerò abſolutionem illam publicæ pœnitentiæ, & quâ pœnitens poſt datam ſatisfactionem ab excommunicatione liberatus ad ſacramenta Euchariſtiæ aliaque admittebatur abſenti pœnitenti datam olim fuiſſe, conſtat primo ex S. Paulo, qui *quem abſens corpore, præſens autem ſpiritu in nomine Domini congregatis chriſtianis cum virtute eiuſdem Domini Satanæ tradiderat.* 1. Corinth. cap. 5. eundem 2. Corinth. cap. 11. abſoluit, quodque Corinthij donauerant, ipſe propter eos in perſona Chriſti donat. Quod enim ea abſolutio eiuſdem cum reconciliatione noſtra III.

rationis fuerit, eius circunſtantiis intelligitur. In ea enim acceſſit ſuffragium populi, datáque eſt poſt excommunicationem, ob graue & publicum crimen inflictam. Deque illa abſolutione ita ſentiunt ſancti Patres. S. Pacianus in Epiſt. 1. S. Ambroſ. lib. 1. de Pœnit. cap. 6. & 14. vbi de S. Paulo ſic loquitur. *Venit in virga, quia à communione ſacra conuictum remouit. Et benè dicitur tradi Satanæ, qui ſeparatur à Chriſti corpore. Venit etiam in charitate, ſpiritúque manſuetudinis, vel quia ſic tradidit, vt ſpiritum eius ſaluum faceret, vel quia eum quem ſequeſtrauerat, poſteà ſacramentis reddidit.* Et S. Auguſtinus lib. 3. contra Epiſt. Parmen. cap. 1. & 2. vtrumque S. Pauli locum fusè exponit, obſeruátque de vindicta agi, ad quam *cùm neceſſitas cogit, humilitas lugentium debet impetrare miſericordiam, quam repellit ſuperbia*, & Satanæ illum peccatorem traditum fuiſſe, vt *per pœnitentiam interimeret in ſe ſceleratam carnis concupiſcentiam*; & poſtea contra Tertullianum Montæuiſtam lib. de pudicit. cap. 13. & 14. docet de eodem fornicatore S. Paulum ſcribere in 2. Epiſt. ad Corinth. cap. 2. qui *ſicut peccanti adhibet damnationem, ſic correcto atque contrementi, atque humilianti in pœnitentia cor ſuum, vult reddere conſolationem, ne maiori*, inquit, *triſtitia abſorbeatur.*

IV. Secundo idipſum non malè colligitur ex libellis quibus martyres pœnitentibus abſo-

lutionem procurare ſolebant. Verùm quia hoc argumentum antea tractatum eſt, nec me latet reſponderi poſſe martyres non abſoluiſſe pœnitentes, ſed ſolùm rogaſſe antiſtites, vt quos commendabant ſuffragiiſque ſuis iuuabant, eos abſoluerent; idcirco hoc omiſſo longè clariora teſtimonia profero, in quibus eiuſmodi abſolutio ad abſentes miſſa eſt; multa exempla eiuſmodi extant in Epiſtolis Gregorij VII. vt in lib. 2. Epiſt. 61. ad Leodicenſem Epiſcopum; Lib. 6. Epiſt. 13. ad Olaum Noruecchorum Regem Ep. 14. ad Vuelfonem ducem, Ep. 15. ad Fratres Maſſilienſes, lib. 9. Ep. 2. ad Regem Hiſpaniæ, quæ omnes abſolutiones quoad pœnam, non culpam, ſeu indulgentiarum conceſſiones fuerunt. Et ante Gregorium VII. Hincmarus in Epiſt. 40. ad Hildeboldum Sueſſionenſem Epiſcopum ſignificat ſe eius ægrotantis confeſſionis breuiculum accepiſſe, & quas petierat abſolutorias litteras mittere, in quibus ſic loquitur, *confitenti tibi peccata tua per Eccleſiaſticam apoſtolicæ authoritatis poteſtatem quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis, & apoſtolis ſuis dicens, Accipite ſpiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis..... virtute ſpiritus ſancti, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſeruet in omni bono*.... Monet autem vt præter generalem confeſſionem omnium, quæ ab ineunte æ-

tare commiſerat ſpecialiter, ac ſingillatim Deo, & ſacerdoti ſatagat confiteri, &c. Vnde habeo primo illam confeſſionem ſcripto miſſam non fuiſſe ſacramentalem, cum moneat eundem, vt ſua peccata ſpecialiter, ac ſingillatim ſacerdoti confiteatur. Secundo eam abſolutionem licet iiſdem quibus ſacramentalis ſolebat concipi verbis data fuerit, minimè tamen ſacramentalem fuiſſe, nec quoad culpam ſed pœnam duntaxat. Tertio eam fuiſſe eiuſmodi, qualis in pœnitentia publica dabatur. Nec enim Epiſcopus ille eam ab Hincmaro Archiepiſcopo per Presbyterum tanto cum ſtudio efflagitaſſet, niſi talis fuiſſet quam preſbyter authoritate ſua etiam in mortis articulo pœnitenti concedere non poterat. Nec dicas pœnitentiam publicam eiúſque propriam abſolutionem Epiſcopo datam olim non fuiſſe. Cùm enim imperari non poſſet, vltrò petenti concedi ſolitam fuiſſe oſtendi alibi, & ex Gaudentio in ſynodo Toletana XIII. probaui. Cuiuſmodi fuit & ea, cuius ad annum 873. in tertio tomo Concil. Gall. mentio eſt quam ad Robertum Cænomanenſem multi abſentes Epiſcopi ſcripto miſerunt.

SECTIO SECVNDA.

Abſolutio diu dilata ſacramentalis non fuit.

ALtera circumſtantia, ex qua vtriúſque abſolutionis ſacramentalis, & illius publicæ diuerſitas colligitur, eſt temporis breuitas, aut dilatio. Nam conſtat publicè pœnitentem non niſi poſt longam ſatisfactionem, & pœnitentiam moleſtam fuiſſe cum Eccleſia reconciliatum, cùm abſolutio ſacramentalis ſtatim poſt confeſſionem, & acceptam pœnitentiam poſtea exoluendam iiſdem illis tẽporibus data fuerit. S. Auguſtinus Serm. 58. de tempore *ſi ſemel aliquis, vel ſecundo peccauerit, & ſine aliqua diſſimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem ſine mora; & forſitan aliqua fœditate recipiet.* Quod pœnitentiæ medicamentum iterum atque iterum ſine mora priſtinam incolumitatem tribuebat, illud haud dubiè aliud quàm ſacramentalis abſolutio eſſe non potuit. Nec enim, vt dicam poſtea, tunc publica pœnitentia tam facile iterabatur, nec, vt puto, vult aliud idem S. Pater ſerm. 57. de Temp. cum eos quos aduertit communionem Eccleſiaſticam deuitare ex conſcientia grauium, atque ingentium peccatorum reprehendit, quia id quod prauum eſt, inſalubri conſilio duplicant, quia reatum congregant & remedium deuitant, & ſi quis conſcius criminum ſuorum V.

indignum ſe communione Eccleſiaſtica putat, vt dignum ſe eſſe faciat, aliud ab eo nihil poſtulat, quàm vt errores priſtinos relinquat, & pœnitentiam petat, vt qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt, exomologeſis ſatisfactione mundetur. Vt enim poſtea dicam, pœnitentiam petere, idem eſt ac abſolutionem ſacramentalem poſcere, quam vt obtineat confitetur, & accipit ſatisfactionem; vnde non malè exomologeſis ſeu confeſſionis ſatisfactione mundari dicitur. Alibi retuli Tertullianum qui lib. de pudicit. cap. 7. à mœchia, *quæ ſimul apparuit, ſtatim homo de Eccleſia expellitur*, diſcernit alia delicta, *quæ in Eccleſia deliteſcentia mox ibidem & reperta, ſtatim ibidem cum gaudio emendationis tranſigantur*, indéque collegi aliquorum delictorum reum ſine illa diuturna pœnitentia ſtatim à confeſſione olim abſolutum fuiſſe. Denique vt pleráque alia taceam idipſum, teſtatur Iuo Carnotenſis in Epiſt. 230. cuius teſtimonio quia aduerſarij lib. 2. cap. 12. pag. 368. abvtuntur, vt abſolutionem ſacramentalem, quam cum Euchariſtiæ communione coniunctam ſemper fuiſſe volunt non niſi poſt pœnitentiam peractam olim datam fuiſſe probent, illud totum refero. Ab Iuone preſbyter quidã quæſierat, cur celeriùs Chriſtus reum à peccato liberet, quàm Eccleſia, & quomodo cum prophetica ſententia conueniat ſynodalis; ſi quidem illa peccatorem in quacumque hora ingemuerit, ſaluum fore ait, iſta verò crimina

ſua confitentes aliquandiu à communione corporis & ſanguinis Chriſti ſuſpendit. *Repugnare enim videntur diſſentiréque ſententiæ capitis & corporis, vt quos caput, id eſt, Chriſtus celeriter à peccato liberat, eos corpus Chriſti, id eſt, Eccleſia ſub pœna peccati diu ligatos retineat.* Reſpondet autem Iuo *criminali culpa delinquentem ſeparari à capite & corpore, ordiniſque rationem exigere, vt internus iudex tanto remittat celeriùs, quanto ſolus magis videt interius. Iudex verò qui tantùm videt in facie, vſque adeò delinquentes ſub peccati pœna detineat, donec per manifeſtum pœnitentiæ fructum qui ſit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum ſatisfit interno iudici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remiſsio, cui manifeſta eſt interna conuerſio. Eccleſia verò quia occulta cordis ignorat, non ſoluit ligatum licet ſuſcitatum, niſi de monumento elatum, id eſt, publica ſatisfactione purgatum. Hinc eſt quod Eccleſia ſua crimina confitentes à ſacramentorum communione ſuſpendit, & in cinere & cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, vt per hoc experiatur, ſi iam ſunt intus viuificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati.* Hactenus Iuo qui duplicem peccatoris alteram cum Deo, Chriſtóque, alteram, cũ Eccleſia reconciliationẽ Iuo ita diſtinguit, vt illa *ſit indilata, & detur celeriùs*; Hæc verò non niſi poſtquam Eccleſia ſub pœna peccati peccatorem diu ligatum retinuit. At conten-

Viderit igitur Lector quam aduerſarij in proferendo Iuone fidem mereantur, quámque incautè, & imprudenter eum ſicut & pleroſq; alios, ac nominatim S. Bernardum eodem in cap. XII. proferant, vt probent abſolutionem ſacramentalem nonniſi longa ſatisfactione pœnitentiáque diuturna præparatis, ac diſpoſitis rectè concedi poſſe. Ibi enim volunt S. Bernardum in Epiſt. 8. loqui de conuerſione peccatoris neceſſaria ad reconciliationem, déque innocentia ſeu peccatoris iuſtificatione, quam ſi abſque *diuturna pœnitentia efficacior Dei clementia velòxq; reſtituerit, non tam exemplum, quàm miraculum*, habendum ſit vt loquitur S. Bernardus, cum tamen de innocentia quam Epiſcopalis ſanctitas poſtulat, ſermonem habeat. *Quæris*, inquit, *à me conſilium vir illuſtris Bruno* electus Colonienſis Epiſcopus, *an volentibus te promouere ad Epiſcopatum acquieſcere debeas..... Magis dubium reddit conſilium illa in litteris tuis humilis, ſed terribilis confeſſio, quâ vitam tuam grauiter, & vt credo, non niſi veraciter accuſas. Nec enim negandum eſt huiuſcemodi vitam eſſe indignam tam ſacri dignitate miniſterij ..... Horreo conſiderans vnde, & quò vocaris, præſertim cùm nullum intercurrerit pœnitentia tempus, per quod vtcunque perículoſiſſimus tranſitus fiat....* Deinde ſubiicit ea quæ ab aduerſariis proferuntur mutilata. *Sed quid ſi ſuam Deus acceleret tibi gratiam, & multiplicet miſericordiam: & ſit ad reſtituendam innocentiam efficacior velox clementia,*

VII.

quàm diuturna pœnitentia? Hæc enim ſupprimuntur. *Beatus ſiquidem cui non imputabit Dominus peccatum. Nam quis accuſabit aduerſus electum Dei? ſi Deus iuſtificat quis eſt qui condemnet?* S. igitur Bernardus loquitur non de qualibet innocentia, ſed de ea qua electum Domini prȩditum eſſe oportet. Si autem meminit conuerſionem latronis, non quamlibet ſignificat, ſed eam *qua vno eodémque die ſimul & confeſſus latrocinia, & introductus eſt in gloriam... & de luto fœcis in paradiſum voluptatis*, ſicut & illa peccatrix non tantùm à peccatis liberata eſt, *ſed abundante gratia, in breui meruit charitatis accipere latitudinem.* Poſtea verò ab iiſdem aduerſariis, quonam animo, quaue fide Lector iudicet, hæc omiſſa ſunt. *Sed aliud eſt celerem adipiſci veniam peccatorum: & aliud de ipſis ſceleribus ad infulas mox prouehi dignitatum.* Ac demùm allato exemplo Sauli, *qui factus eſt repentè Paulus, repentè vas electionis, repentè doctor gentium* ſubiiciuntur ea quæ aduerſarij ſuam in rem afferunt. *Quanquam ſi tale quidpiam quandóque benè & vtiliter factum fuiſſe agnoſcitur: de quo dici veraciter poſſit, hæc eſt mutatio dexteræ excelſi, non tam exemplum, quàm miraculum afferre debeat.* Quo etiam loco manifeſtè refutatur inanis illa aduerſariorum in Præfat. pag. 27. coniectura de S. Pauli ſeceſſu in Arabiam pro agenda pœnitentia.

SECTIO III.

An vnquam poſt ſatisfactionem abſolutio ſacramentalis dilata fuerit?

VT eam differendam probent recentiores Theologi lib. de freq. com. p. II. c. XII. pag. 358. & ſequent. ita ratiocinantur. Sacerdos in tribunali pœnitentiæ ſedet iudex, vt quorum peccata remittere, quorúmque retinere debeat prudenter iudicet. Id vt faciat, neceſſe eſt eum de interno animi affectu, déque contritione pœnitentis moraliter certum eſſe. Quæ certa perſuaſio non nudis verbis, & confeſſione pœnitẽtis, ſed aliis certioribus indiciis niti debet, hæcque alia quàm dignos pœnitẽtiæ fructus & ſatisfactionem ipſam à Sacerdote impoſitam eſſe negant. Addunt confeſſionem foliorum inſtar abſque fructibus, non niſi ſterilis, ac infructuoſæ pœnitentiæ ſignum eſſe, cum quo ſolo nemo peccator ſit abſoluendus. Quæ ratiocinatio debet omninò ſupponere non poſſe aliter pœnitentis animum Sacerdoti notum fieri, quàm per opera quæ à Sacerdote imperata pœnitens fideliter exequatur. Deinde ex ea ſi bona eſt, omninò conficitur nullo in caſu etiam mortis imminentis peccatorem iuridicè ac legitimè abſolui poſſe ſine illis ſignis contritionis, quæ ſola ſufficere niſi probent aduerſarij, nihil efficiunt. VIII.

At quàm multa inde abſurdæ, quámque

falſa loquantur quiuis paulò perſpicacior aduertere poteſt. Hac enim doctrinâ poſitâ, tanta ſatisfactionis, quanta confeſſionis neceſſitas eſt, tamque illa quàm iſta abſolutionem antecedere debet. Sententia enim Sacerdotis in hoc tribunali nulla eſt, ſi in ea ferenda ius non ſeruat, nec niſi prudẽter eam fert. Cùm autem contritio pœnitentis æquè, ac peccata iudici illi explorata eſſe debeat; ſi non aliis, quàm ſatisfactionis teſtimoniis idoneis Sacerdoti nota fieri poteſt, nullo prorſus in caſu abſque prœuia ſatisfactione abſolutio legitima eſſe poteſt.

X. Quàm autem falſum ſit, non aliter quàm per ſatisfactionem actam de animo pœnitentis à Sacerdote iudiciũ ferri poſſe antea oſtendi, cùm in ipſa confeſſione ſatisfactionem aliquam ineſſe, & contineri docui. Deinde ex vnanimi Patrum conſenſu, vt Sacerdos congruam ſatisfactionem iniungat, ad pœnitentis animum, dolorem, internámque pœnitentiam attendere, eiúſque rationem habere debet. Igitur etiam antè ſatisfactionis impoſitionem, pœnitentis dolorem, & ad abſolutionis beneficium accipiendum neceſſariam diſpoſitionem perſpectam habere debet. Denique ex dictis conſtat, Patres pœnitentem & publicè, & ob grauiſſima crimina aliquando in primo & ſecundo gradu detinuiſſe; ſæpius autem abſque eiuſmodi mora eundẽm ſtatum in tertio gradu conſtituiſſe. At vt Deo dante oſtendam, cùm in tertio gradu pœnitentiam poſtea faciendam Epiſcopus dabat, tunc abſque mora abſolu-

tionem ſacramentalem concedebat, nec eam ſicut communionem differebat quòd recentiores iſtos in errorem induxit.

At enim, inquiunt, pag. 548. Sacerdos non poteſt pœnitentem abſoluere, niſi exiſtimet probabiliter fore, vt in propoſito vitæ melioris conſtans ſit, nec in eadem peccata relabatur, quod non niſi aliquo diuturniore experimento ſciri poteſt. At grauiter falluntur, dum ſtatum futurum cum præſenti confundunt. Si enim Sacerdos certus eſt pœnitentem tunc verè contritum eſſe, & habere propoſitum de vita emendanda; licet aliundè ſit certus, eum pro animi leuitate, & fragilitate ſua in peccata relapſurum, quia ex futuro euentu non pendet abſolutio, ſed cum ſolo pœnitentis ſtatu præſenti connectitur, illum verè contritum, abſoluere debet imitatus Chriſtum Dominum, qui Diſcipulis ſuis, ac nominatim S. Petro paulò poſt ſe negaturo quémque peccaturum, non tantùm præſciebat, ſed etiam prædicebat ipſam Euchariſtiam dedit, teſtatus eos hoc beneficio dignos eſſe, & ita mundos, vt nihil in illis puritatis deſiderari poſſet. XI.

Præterea ex hiſce Doctoribus quæro, an quando (vt eorum pietas credere me iubet) leues animi motus, diſtractionem mentis, aliáque eiuſmodi peccata quotidiana confitentur, eáque verè deteſtati abſolutionem petunt, moraliter certi ſint, eadem ſe nunquam, nec ipſamet hebdomada commiſſuros? Viderint an catholicè id credant; ſi verò non credunt, cur abſolutionem de iis, aut etiam à Deo eorum XII.

veniam petunt, quam niſi pœnitentes ſint ſperare, atque adeò rogare non debeant? Aliud videlicet eſt certum me eſſe de mea animi affectione, déque meo emendationis propoſito præſenti, aliud quid futurum de me ſit exploratum habere. Certè cum timore & tremore ſalutem meam operari debeo, ac licet de Dei miſericordia confidam, de me ipſo tamen diffiſus, qui iurare poſſum me verè peccata deteſtari, impoſterum vitare velle, vix tamen auſim aſſeuerare me in hoc quod animo conceptum habere me ſcio, vitæ melioris ſtudio & affectu perſeueraturum.

XIII. Atque vt iiſdem, quibus aduerſarij authoribus, ac nominatim S. Carolo vtar, aio nunquam eos cum de differenda nonnullis in caſibus abſolutions aliquid præcipiunt, vel leuiter inſinuare expectandam eſſe pœnitentiæ iniunctæ actionem, vt ea doloris & internæ diſpoſitionis pœnitentis Sacerdoti fidem faciat. Quotquot caſus ab illis notantur, ſunt extraordinarij, cùm videlicet ob quaſdam circumſtantias Sacerdos prudenter dubitare poteſt, non quidem an pœnitens impoſterùm in bono propoſito, vitæque melioris ſtudio conſtans futurus ſit, ſed an tunc verè ſinceréque emendationem velit, eáque exequi quæ niſi velit, cum peccati verè non pœniteat. Eiuſmodi circumſtantiæ ſunt, cùm dubitatur, an metu pœnæ alicuius temporalis, dedecoris, excommunicationis, coactus, alióve affectu minùs laudabili impulſus Sacerdotem adeat. Deinde cùm occaſiones aliquæ tollendæ ſunt, reſtituenda fama aliena,

aut res iniquè vſurpata], idque non cùm primùm promittit ſe ea quæ debet effecturum, ſed cum antea promiſit, fidémque feſellit. Lege attentè ſingulos S. Caroli ab aduerſariis laudati verſiculos, ſi vel leuiſſimam ſatisfactionis huius implendæ mentionem fieri animaduerteris, mihi non credas velim. Niſi fortè cùm S. Carolus iubet aliquando exigi à pœnitente ſatisfactionem pro damnis iniuſtè illatis, Doctores iſti pœnitentiam ſacramentalem intelligi velint. At quis niſi ſtupidè ignarus illam cum reſtitutione, & iniuriæ alteri illatæ reparatione confundat? Multa hic de aduerſariorum in referendis authoribus, ac nominatim S. Carolo, oſcitantia, aut fide mala dicere haberem, ſi mihi eſſet animus non tantum doctrinam veram repræſentare, ſed etiam aliorum errores carpere, quod cùm minimè cogitem, id vnum duntaxat moneo in hac quam de ſatisfactionis, & abſolutionis ordine tractamus quæſtione, tria duntaxat capita eſſe, ad quæ niſi quæ aduerſarij proferunt, ſpectent, parerga ſunt, & prorſus futilia, & inania dicta. Primùm eſt an ſatisfactionem & pœnitentiam à Sacerdote impoſitam peccator priuſquàm abſoluatur non tantùm accipere, ſed etiam agere debeat. Secundum an confeſſarius vt legitimè abſoluat pœnitentem, moraliter certus eſſe debeat, non tantùm de præſenti eius affectu, ſe emendandi propoſito, & in eodem perſeuerandi voluntate, ſed etiam de futura ipſa emendatione, & perſeuerantia. Tertium denique an pœnitens propoſiti illius & internæ conuerſionis ſuæ te-

ſtimonium idoneum aliud, quàm pœnitentiæ iniunctæ actionem, exequutionémque dare nequeat. Quas tres propoſitiones à me negatas, nec S. Carolus, nec quiuis vllus Doctor Catholicus vnquam tanquam probabiles docuit, & quidquid de abſolutione aliquando differenda dixerunt, nec leuiter vllum trium illorum capitulorum ſpectat, vt facilè intelliget qui ea quæ hac de re S. Carolus in Concil. Mediolan. 1. §. caueant in 11. parte tit. de Sacram. pœnit. §. Epiſcopus. In iv. parte actorum, in inſtructione pœnit. tit. de iis quæ in miniſtratione Sacramenti obſeruanda ſunt, tam Latina, quàm Italica paulò attentiùs legerit.

Sectio Qvarta.

Abſolutio Sacramentalis olim ſæpiùs iterata eſt.

XIV. Cviuis antiquæ diſciplinæ penitus non ignaro exploratum eſt aliquam abſolutionem olim ſemel tantùm, aut raró conceſſam, & in eadem crimina relapſo negatam fuiſſe. Nec alia quàm publicæ humillimæque pœnitentiæ propria abſolutio & reconciliatio iſta fuit. Id cùm nonnulli Doctores fateantur, quia illam abſolutionem cum ſacramentali confundunt, & pro quolibet etiam occulto mortali peccato pœnitentiam illam olim ne-

ceſſario factam fuiſſe contendunt, hinc volunt effici, vt ſi quis olim poſt baptiſmum lapſus in peccatum mortale per pœnitentiæ ſacramentalis remedium ab eo ſanatus, iterum in aliquod aliud cecidiſſet, eum reliquo vitæ ſuæ tempore à ſacramento pœnitentiæ, & communionis, & ſi cohærenter loqui volunt, à ſacrificio, omnique alio publico religionis Chriſtianæ officio, niſi fortè conciones exceperis, prohibitum fuiſſe. Ego vero dico abſolutionem ſacramentalem in peccata relapſo ſæpiùs ſemper conceſſam fuiſſe, ac proinde ab ea quæ iterari non eſt ſolita, publicæ humillimæque pœnitentiæ abſolutione diſtingui oportere.

XV. Peccatores mortalium peccatorum veniam ſæpiùs in Eccleſia, & clauium miniſterio obtinuiſſe vt probem, vix aliis authoribus vtar, quàm quos pro ſe aduerſarij proferunt, quos quàm meritò mihi vendicem, æquioris Lectoris iudicio permitto. Atque imprimis non eſt, vt opinor improbabile, quos ſæpiùs ad pœnitentiam Eccleſia ad miſit iiſdem quoque illius fructum abſolutionem conceſſiſſe. Id vt aſſeram facit authoritas S. Ambroſij, qui lib. 1. de pœnit. cap. 1. contra Nouatianos diſputans abſurdum fore ait, ſi quem Eccleſia ad pœnitentiam hortetur, cui indulgentiam non promittat. *Quid*, inquit, *durius, quàm vt indicant pœnitentiam, quàm non relaxent, cùm vtique veniam negando, incentiuum auferant pœnitentiæ? Nemo enim poteſt benè agere pœnitentiam, niſi qui ſperauerit indulgentiam. Dominus crimen nullum excepit,*

qui peccata donauit omnia. Nec dicas aliud nihil velle S. Ambroſium, quàm non fruſtrà agi pœnitentiam, quia hoc pacto faciliùs à Deo obtinetur peccatorum venia. Nunquam enim Nouatiani negarunt peccatorem à Deo veniam illam ſperare debere, ſed tantùm eum ab Eccleſia abſoluendum. Quamobrem S. Ambroſius non aliam quàm quæ Eccleſiæ miniſterio datur indulgentiam intellexit. Deinde ait relaxandam eſſe illam quæ indicta eſt, pœnitentiam, quam nimirum Eccleſia indicit, & ad eam peccatores obligat, vt tandem eos abſoluat. Idque patet ex cap. 11. his verbis. *Sed aiunt* ſe *Domino deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruent,* eóſque refellit, *quia Chriſtus Apoſtolis dixit, quorum remiſeritis peccata... additq; Eccleſiam in vtróque obſeruare obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet,* quod ius *ſolis permiſſum Sacerdotibus eſſe* ſubiungit. Quamobrem ſi probatum fuerit Eccleſiam peccatores omnes abſque vllo diſcrimine etiam relapſos ad pœnitentiam agendam adhortari, & excommunicationis minis intentatis compellere, inde fiet omninò manifeſtum Eccleſiã ſæpiùs promiſiſſe, & dediſſe abſolutioné ſaltem ſacramentalem, iiſque ipſis quibus in tota vita communionem negandam eſſe cenſuit. Huiuſmodi autem adhortationum, comminationúmque plena ſunt Patrum ſcripta & canones, quæ vt breuior ſim prætermitto. Et vt propiùs rem attingam, propono doctrinam Tridentini, eámque clariſſimis Patrum teſtimoniis confir-

mo. Illud in ſeſſ. 14. cap. 11. de Sacramento Pœnitentiæ, eiúſque cum baptiſmo comparatione ſic loquitur. Chriſtus baptizatos, *ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed antè hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, vt per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſint liberari.* Et can. 1. docet in Eccleſia *pœnitentiam eſſe ſacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſis Deo reconciliandis à Chriſto Domino noſtro inſtitutum.* Quia igitur hoc ſacramentum à Chriſto inſtitutum eſt, vt Chriſtiani non ſemel, ſed quoties lapſi fuerint cum Deo reconcilientur, ſi Eccleſia ſemel tantùm aliquando illud remedium adhibuit, contra Chriſti inſtitutionem egiſſe dicenda eſt, quod nemo Catholicus conceſſerit.

Idque ipſum laudatus à me S. Ambroſius docet, cùm de obedientia quam in peccatis relaxandis Eccleſia obſeruare debet, loquutus ait, *Dominum crimen nullum excepiſſe, qui peccata donauit omnia.* Et S. Auguſtinus Homil. 27. peccatores ne deſperent hortatur propoſito Iudæ exemplo, *quem non tam ſcelus quod commiſit, quàm indulgentiæ deſperatio fecit penitùs interire.* Quodque de ſacramentalis pœnitentiæ remedio loquatur, facilè intelligitur ex his, quæ ſubiungit, *ſolent inde Chriſtianis pagani inſultare de pœnitentia* XVI.

qua inſtituta eſt in Eccleſia: & contra nonnullas hæreſes tenuit Eccleſia Catholica iſtam veritatem de pœnitentia agenda. Fuerunt enim qui dicerent quibuſdam peccatis non eſſe dandam pœnitentiam, & excluſi ſunt de Eccleſia, & hæretici facti ſunt. In quibuſcumque peccatis non perdit viſcera pia mater Eccleſia. Et paganis Chriſtianos ſic accuſantibus. *Vos facitis, vt peccent homines, cùm illis promittitis veniam, ſi pœnitentiam egerint*, reſpondet, contra deſperationem apertum in Eccleſia eſſe portum pœnitentiæ, *cuius aditus ſi clauderetur, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis ſibi deſperaret ignoſci*, nec in Eccleſia charitatem inuenturum, vt loquitur, ſe ſciret? *Et quia quomodò revera auget peccata qui deſperauerit, ſic poteſt augere peccata, & qui veniam ſperauerit, vt dicat ſibi, faciam quod volo, Deus bonus eſt, quando me conuertero, ignoſcet mihi..... Ecce ad vtrumque vigilauit pro nobis prouidentia Dei. Ne deſperando augeamus peccata propoſitus eſt pœnitentiæ portus, rurſus ne ſperando augeamus, datus eſt mortis dies incertus.* S Auguſtinus loquitur de portu pœnitentiæ in Eccleſia aperto omnibus peccantibus contra deſperationem, nec de pœnitentia duntaxat, ſed de venia poſt pœnitentiam danda quod etiam de relapſis, cum hi æquè ac alij deſperare poſſint, intelligendum nemo non videt. Ne autem indulgentiæ ſpes eoſdem minùs cautos reddat, aliud

nihil quàm diem mortis incertum, & pœnitentiæ non faciendæ periculum affert, non profectò omiſſurus, quod ad Eccleſiam excuſandam multùm valuiſſet, ſeueram eiuſdem in relapſis omninò reiiciendis diſciplinam, ſi tunc eam ſeruaſſet, & pœnitentiæ ſacramentalis remedium illis negaſſet.

XVII. Et ſerm. LVIII. de temp. Chriſtianos monet, vt *ſi forte aliquis, vt ſe habet humana fragilitas, calliditate diaboli ſuperatus, & capitalibus criminibus inuolutus ſecundùm quod Apoſtolus ait, Templum Dei in ſe violando deſtruxerit, non deſperet, ſed conuertatur vt confitendo & pœnitendo curetur*, id eſt per confeſſionis ſacramentum, déque hac pœnitentia ſic ait. *Si ſemel aliquis vel ſecundo peccauerit, & ſine aliqua mora, & forſitan ſine aliqua fœditate recipiet.* Si de ſola animi pœnitentia ad Deum, non ad Eccleſiam directa loqueretur, non adderet, modò *fiat ſine aliqua diſſimulatione*, nec enim hæc locum habet niſi in externa, quæque Eccleſiæ Miniſtrorum ope eget, pœnitentiâ. Et poſteà. *Sed fortè cogitat aliquis tam grauia ſe admiſiſſe peccata, vt iam Dei miſericordiam promereri non poſſit. Abſit hoc à ſenſibus omnium peccatorum.... Nemo ergo nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimina de miſericordia diuina deſperet, ſic tamen non deſperet, vt ſine mora Deum ſibi repropitiari feſtinet*, nimirum ad pœnitentiæ medicamenta confugiens. Quódque externam aliquam pœnitentiam intelligat, probant hæc

eius verba. *Non erubeſcat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere*, quod de interna Deóque ſoli nota pœnitentia accipi non poteſt; nec tamen de quacumque externa loquitur, ad hanc enim hortatur eum, non ad aliam quàm agere non poteſt in militia poſitus, qui vxorem habet, & in qua pœnitens capillos auferre, & veſtimenta mutare debet, quæ eſt illa publica & luctuoſa. Quamobrem S. Auguſtinus præter hanc pœnitentiam publicam in Eccleſia aliam etiã pro criminibus agnoſcit, vultque in ea dari veniam illi qui non ſemel, ſed ſecundo, nec vnum, aut alterum, ſed centum, & longè plura crimina commiſit. Eundem ſermonem S. Cæſarius in ſua Homil. 14. inſertum habet, & S. Eligius Nouiomenſis in hom. 15. qua ad peccatorum confeſſionem pro Euchariſtia in Paſchate dignè accipienda ipſos quóque relapſos hortatur. *Quicúmque ergo veſtrum his quadragenûm dierum obſeruationibus pœnitentiam, & confeſſionis ſuæ debitum ſe exercuiſſe recolit, agat Domino gratias.* De eo igitur qui iam aliquando confeſſus peccata fuerat ſacramentaliter abſolutus, loquitur, additque. Et *quiſquis templum Dei violando in ſe deſtruxerit, non deſperet, ſed citò de malo iniquitatis ſuæ conſurgat*, ſcilicet iterum peccata confeſſus, addit enim. *Similiter quod dico omnibus vobis dico clericis, laicis, ac ſanctimonialibus: vt quidquid ſe recolit inuidiæ, aut detractionis, odij quoque & fornicationis, ſiue inceſtus, vel periurij cæterorumve vitiorum contagione attactum ſaltem hodiè per di-*

Digitized by Google

ninæ ſalutis medicamentum, in quantùm præualet, ſe purificare procuret, confiteatur aduerſum ſe iniuſtitiam ſuam Domino, &c. quo loquendi genere Sacerdotem Dei miniſtrum non excludi iam alibi monui ſanctúmque Epiſcopum tunc non alloqui publicè pœnitentes, quos poſtea alloquutus, ait: *Quia ergo maiora crimina admittentibus maiora ſunt adhibenda remedia, conuertam me ad vos, quos Eccleſia de more pœnitentes vocat.*

Eſt & hac de re manifeſtiſſimum teſtimoniũ in lib. 5. capitularis Caroli M. cap. 72. quod Iſaac Lingon. tit. 1. can. 18. refert: *Vt hi qui frequenti præuaricatione peccata vel pœnitentiam iterant, frequenti ſententiâ niſi per ſatisfactionem, quæ prauaricati ſunt, emendare nitantur, coërceantur, vel condemnentur, vt hæc quæ volũtariè non diluerunt, in vita emendent. Quod ſi hæc aliquis renuerit, & praeceptis ſui Sacerdotis inobediens apparuerit, ſecundùm modum culpæ excommunicetur ... Sacerdotes autem ad quos pertinere noſcuntur, ſi eos quolibet munere, vel fauore, aut negligentiâ admonere noluerint, aut per ſatisfactionem reuertentes non ſuſceperint, aut contemnentes de Eccleſia non reſecerint, ſimili ſententiâ plectantur, quouſque vel emendationis vel eorum damnationis ſententia promulgetur.* XVIII.
Notabit Lector hæc capitula antiquioris diſciplinæ inſtituta tunc renouata, non primùm decreta fuiſſe, & in his niſi frequenter præuaricati pœnitentiam iterent, & ſatisfactione peccata emendent excommunicari iuſſos eſſe

quemadmodum & Sacerdotes qui eos per ſatisfactionem reuertentes non ſuſceperint. S. Athanaſius ſermone contra omnes hæreſes, Nouatum, quod tolleret pœnitentiam, refutat ex eo quod S. Petro Chriſtum interroganti, num ad ſeptenas vices peccatori veniam daret, reſponſum eſt, vſque ſeptuagies ſepties, atque ita reuolutis vicibus, redintegratiſque ſemper perennare pœnitentiam. Non vt hæc audientes in peccatis permaneamus. Abſit, ſed vt declaretur illius bonitas.... Quod ſermonis illius author ſit S. Athanaſius, aut certè ipſi ætate par, ſatis intelligitur ex eo quod vltimam Apollinaris hæreſim numerat. Is autem non internam duntaxat, ſed quam Nouatus ablatam volebat pœnitentiam externam ſacramentalémque ſæpiùs repeti & perennari ex Chriſti mandato iubet. Denique quod nonnulli ſæpiùs à peccatis fuerint abſoluti, probatur maniſeſtè ex eo quod aut nulli relapſo viaticum negatum eſt, aut ſi quibus Eliberitanum Concilium in morte viaticum negauit, iiſdem pœnitentiam conceſſit, & conſequenter abſolutionem, vt ex S. Ambroſio collegi, & dicam poſtea, & vt iſta omittam Marcionem ſæpiùs in Eccleſiam admiſſum Tertullianus, & Arium Sozomenus lib. 1. hiſt. cap. 14. teſtantur. Quod ſi quis de abſolutione publicæ pœnitentiæ intelligit, potiori iure de Sacramenti idipſum dicere eum oportet.

Sect. 5.

SECTIO QVINTA.

Pro iterato Sacramento pœnitentiæ iidem qui opponi ſolent Patres proferuntur.

PRimus, & omnium antiquiſſimus, idémque nimiùm auſterus pœnitentiæ aſſertor Tertullianus hac de noſtra quæſtione tria docet, primùm pœnitentiam aliquam poſt Baptiſmum factam, non ſæpiùs quàm Baptiſmũ iterari poſſe, ſeu nonniſi ſemel tunc agi conſueuiſſe. Secundum eſt, neminem etiam ſæpiùs relapſum de Dei miſericordia deſperare debere, cùm à Deo ad agendam pœnitentiam excitetur. Tertium hanc pœnitentiam, quæ iterari potuit, in Eccleſia factam cum confeſſione, & ſatisfactione à miniſtris Chriſti, Petrique Succeſſoribus veniam obtinuiſſe, quæ ſacramentalis pœnitentiæ indicia non obſcura eſſe, nemo, vt opinor, inficiabitur. Quæ enim alia quàm ſacramentalis pœnitentia, eique coniuncta abſolutio ſępiùs data peccatori intelligi poteſt? Primùm illud ait in lib. de Pœnit. cap. 5. *Dico*, inquit, *pœnitentiam quæ per Dei gratiam oſtenſa, & indicta nobis in gratiam nos Domino reuocat, ſemel cognitam atque ſuſceptam, nunquam poſthac iteratione delicti reſignari oportere* cap. 7. *clauſâ licet ignoſcentiæ ianuâ, & intinctionis ſerâ obductâ, aliquid adhuc* Deus *permiſit patere. Collocauit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus pateſaciat, ſed iam ſemel, quia iam ſecun-* XIX.

do, ſed amplius nunquam, quia proximè fruſtra. Quæ dicta dupliciter interpretor, primò, itaut quemadmodum non eſt niſi vnus pro regenerandis hominibus Baptiſmus, ita pro Chriſtianis poſt Baptiſmum lapſis ſanandis non niſi vnicum pœnitentiæ remedium ſit à Chriſto inſtitutum; quanquam iſtud iteratis morbis iterum adhiberi poſſit, licet Baptiſmus non poſſit iterari, quia non niſi ſemel genitus homo, ſi ſæpiùs ægrotat, ſæpiùs curari, & ſanari poteſt, quæ interpretatio ſi minùs placet, alteram faciliorem & commodiorem addo, &

XX. Secundò ita Tertullianum interpretor, vt intelligat eam pœnitentiam non iterandam, in qua olim per Eccleſiæ ſuffragia, peccatorum indulgentia quoad culpam, & pœnam tribuebatur, itaut, quemadmodum abſque labore vllo perfectam in Baptiſmo peccati remiſſionem Chriſti paſſione pleniſſimè applicata homo conſequitur, eamque ob cauſam Baptiſmus à Tertulliano *ignoſcentia* dicitur, ita etiam Chriſtianus relapſus in peccatum per pœnitentiam cui indulgentia Eccleſiæ annectitur ſemel reſtituatur in ſtatum Baptiſmi, & in *gratiam Domino reuocetur.* Quod enim niſi turpiter ſibi contradicat Tertullianus, non neget qnamlibet pœnitentiam iterari poſſe, patet ex ſecundo eius dicto, quod in illo cap. 7. habetur. *Verùm non ſtatim ſuccidendus ac ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat ſanè peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat, pigeat iterùm periclitari, ſed non iterum liberari. Neminem pudeat iteratæ valetudinis, ite-*

randa medicina eſt. Gratus in Dominum extiteris, ſi quod tibi Dominus offert non recuſaueris, offendiſti. ſed reconciliari adhuc potes. Habes cui ſatisfacias, & quidem volentem, cap. 8. *Non comminaretur Deus non pœnitenti, ſi non ignoſceret pœnitenti.* Quódque de pœnitentia in Eccleſia facta loquatur, quod eſt dictum eius tertium, colligo ex his eiuſdem verbis. Vt enim explicet, quomodo pœnitens veniam ſperare debeat, vt affert exemplum filii prodigi, & ait, *ſi Patrem repetas vel offenſum, deliqui dicens Pater, nec dignus ego iam vocari tuus. Tantùm releuat confeſſio delictorum, quantùm diſſimulatio exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ.* In pœnitẽtia animi, mereq; interna, coràm Deo facta, non habet locum diſſimulatio, nec ei oppoſita confeſſio, de eccleſiaſtica igitur, ſeu coràm eius Miniſtris facta pœnitentia, confeſſione & ſatisfactione Tertullianus loquitur. Quàm aptè autem noſtram hodiernam diſciplinam inſinuat, cum *ſatisfactionis conſilium confeſſionem releuantem* appellat. Qui enim ſacramentaliter confitetur Sacerdoti, ſe in exequenda ſibi iniuncta ſatisfactione promptum profitetur, & ſuum de ſatisfaciendo conſilium, propoſitúmque teſtatur, quod Sacerdoti ſatis eſt, vt eum abſoluat, déque ſtatu peccati *releuet*, ſeu excitet.

Et longè clariùs in libro de Pudicit. cap. 21. cum Montaniſtis tribus mœchiæ, idololatriæ, & homicidii criminibus remiſſionem, ſeu communionem Eccleſiæ abnuens, reliqua peccata per claues Eccleſiæ non ſemel, nec iterum, ſed ſe- XXI.

ptuagies ſepties remittenda eſſe ait. *Nam tibi, quæ in te reatum habeant, etiam ſeptuagies ſepties iuberis indulgere in perſona Petri, cui poteſtatem ſoluendi, & ligandi emancipatam eſſe*, ibidem ait. Nunquam Montaniſta negauit mæchos à Deo veniam ſperare poſſe, illiſque ibidem ſæpiùs ſuggerit, vt coràm Deo agant pœnitentiam, nec aliâ quàm eccleſiaſticâ interdictum voluit. Quare cùm eam quam mæchis denegat, reliquis minorum peccatorum reis veniam, abſolutionem, & reconciliationem per Petrum, & ſucceſſores quibus ſoluendi ligandíque poteſtas à Chriſto conceſſa eſt, ſeptuagies ſepties dandam eſſe ait, haud dubiè ſacramentalem pœnitentiam iterari poſſe, tuncque ſæpiùs conceſſam eſſe ſignificat. De ſeptuagies ſepties remittendo fratri eadem habet in lib de Orat. cap. 7. meminitquę exomologeſeos, quam vocat petitionem veniæ, quia *qui petit veniam, delictum confitetur, ſic & pœnitentia demonſtratur acceptabilis Deo, quia magis vult eam quam mortē peccatoris*. Atq; ita Tertullianus pœnitentiam, exomologeſim, peccati confeſſionem eiuſq; fructum peccati remiſſionē ſeptuagies ſepties tunc in Eccleſia datam eſſe teſtatur. Denique idem in libro de præſcript. adu. hær. cap. 30. Marcionē & Valentinum ob inquietam curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel & iterùm eiectos fuiſſe ait, & Marcionem quantumuis iterùm eiectum, nihilominùs tamen poſtmodùm pœnitentiam confeſſum, niſi morte præuentus fuiſſet, pacem recepturum fuiſſe, ſi cæteros quoque, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret,

Alter antiquæ erga peccatores indulgentiæ ſeu repetitæ abſolutionis teſtis eſt Origenes, qui Homilia 15. in cap. 25. Leuitici de conſcientiæ lapſæ reparatione, quam cum redemptione domus vænundatæ comparat, ita loquitur. *Iſtas ergo domos ſi forte lapſus alicui acciderit, ſemper eſt recuperandi facultas, vt v. g. dicamus ſi nos aliqua culpa mortalis inuenerit, quæ non in crimine mortali, non in blaſphemia fidei, quæ muro Eccleſiaſtici & apoſtolici dogmatis cincta eſt, ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio conſiſtat: hoc eſt vendidiſſe domum, quæ in agro eſt, vel in vico cui murus non eſt. Hæc ergo venditio huiuſmodi culpa ſemper reparari poteſt; nec aliquando tibi interdicitur de huiuſmodi pænitudinem gerere. In grauioribus enim criminibus ſemel tantùm vel rarò pœnitentiæ conceditur locus: iſta verò communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.* Aduerſarii pœnitentiam illam ſæpiùs conceſſam ab Origene aliam, quàm de peccatis venialibus intelligi poſſe negant, ideoque *pro culpa mortali* culpam moralem legendam eſſe coniiciunt, & coniecturam probant, quia culpa illa opponitur crimini mortali, quæ, inquiunt, peccati mortalis appellatio tunc erat. Deinde ait ſe loqui de iſtis communibus peccatis quæ frequenter incurrimus. At valdè infælix, aut etiam imprudens eorum coniectura, & rationes quibus eam ſtatuere nituntur futiles & vanæ ſunt. Nam, vt ſuperiùs oſtẽdi, falſum eſt omne peccatum mortale ſemper crimen appellatum fuiſſe. Deinde Origenes cul-

XXII.

pam illam diſcernit à crimine mortali, non quolibet, ſed quod eſt blaſphemia fidei, & ſi crimen quodlibet intelligeret. fruſtrà poſtea grauiora crimina deſignaret. Cúmque crimina alia grauiora, alia communia appellet, ſitque inauditum venialia delicta vnquam appellata eſſe crimina, manifeſtum eſt Origenem in eo loco de peccatis mortalibus ſermonē facere Adde quod à crimine illo mortali quod ſemel aut rarò pœnitentiâ quadam expiatum negat, diſtinguit peccata quæ in ſermonibus, vel in motum vitio conſiſtunt. Hæccine verò omnia ita leuia arbitratus eſt Origenes, vt nullum ſermone ſolo admiſſum peccatum mortale exiſtimarit? Nec te moueat quod nominat peccata, ſeu crimina communia, quæ frequenter incurrimus. De pleriſque enim mortalibus Patres ita loquutos fuiſſe in priore diſſertatione oſtendi.

XXIII. Verùm vt hæc omnia argumenta inter coniecturas ſolas numerentur, dubium profectò non eſt, quin Origenes de peccatis verè mortalibus loquatur, cum ea ſemper pœnitentiam recipere, & ſine intermiſſione redimi ait, diſertè enim loquitur de peccato, cuius reus *domum, ſeu conſcientiam ſuam fœneratori crudeliſſimo vænundat, in eum labores ſuos transfundit*, ſeu merita ſua priora perdit, *domum quam habet non manufactam æternam in cælis*, id eſt, ius gloriæ æternæ, *in manus alterius dat, & vendit emptori peſſimo diabolo, à quo vnuſquiſq; peccantium peccati præmiū conſequitur, ſatisfactionem deſiderii ſui.* Quis verò exiſtimet qui peccatum veniale committit eum ſe diabolo mancipare &

ſeruum addicere, merita ſua, & quod ad gloriam ius habebat perdere?

Audio nonnullos tertio opponere Clementem Alexand. lib. 2. ſtrom. ante medium edit. Pariſ. anni 1629. pag. 385. vbi admittit pœnitentiam ſæpiùs agi, remiſſionem verò peccatorum non niſi ſemel tunc ſperari potuiſſe. Id quidem verum eſſe fateor, ſed manifeſtum eſt per remiſſionem intelligi Baptiſmum, ſeu quæ in eo datur ignoſcentia miſericors, & gratuita peccatorum venia, remiſſionem enim peccatorum vocat eam, *quæ eſt cum prima & ſola pœnitentia eorum videlicet peccatorum quæ in gentili, primáque vita, & in ignorantia*, & ante fidem acceptam eiuſque Sacramentum commiſſa ſunt. At quia Deus fragilitatem humanam, & fideles ipſos à diabolo deceptos peccaturos præuidit, *ſecundam illis pœnitentiam* pro ſua miſericordia dedit. *Ille autem ex gentibus & priore vita ad fidem incitatus remiſſionem peccatorum ſemel eſt conſequutus, qui verò poſtea peccauit, deinde pœnitentia ducitur, etiamſi veniam aſſequatur, debet erubeſcere, vt qui ampliùs non lauatur in remiſſionem peccatorum.* Ita Clemens, qui cùm remiſſionem in Baptiſmo acceptam ſemel tantùm obtineri, nihilque de ſecunda pœnitentia ſimile, ſed potiùs quoties lapſum verè pœnitet, toties veniam peccatorum conſequi dicat, nonne omnino noſter eſt, & pœnitentiam à Deo baptizatis peccatoribus propoſitam ſcilicet ſacramentalem in eorum poteſtate eſſe, vt ibidem loquitur, & ſæpiùs ab illis cum ſpe veniæ adiri poſſe ſignificat? XXIV.

XXV. Quartò proponitur hoc Siricii Papæ in epiſt. ad Himerium cap 5. reſponſum. *De his verò non incongruè dilectio tua Apoſtolicam ſedem credidit conſulendam, qui actâ pœnitentiâ tanquam canes, ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates & noua coniugia & inhibitos denuò appetiuere concubitus. Quorum incontinentiam profeſſam generati poſt abſolutionem filij prodiderunt. De quibus quia iam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione iungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamuis non mereantur, interſint, à Dominicæ autem menſæ conuiuio ſegregentur, vt hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubleuari.* At reſpondeo Siricium loqui de illis qui pœnitentiam ſolennem profeſſi contra ius & fas ad vitam ſæcularem redierant, qui quia coniugio quanquam illicito, vero tamen & valido impediebantur, ad illum pœnitentiæ ſtatum redire non poterant, nec iam ſuffugium pœnitendi habebant. Quamobrem in quarto gradu pœnitentiæ poſiti ſolam viatici, ſeu in morte communionem accipiebant: an verò vt & reliqui illi pœnitentes aliquoties in anno relaxatis ad tempus pœnitentiæ legibus Euchariſtiam ſumerent, nihil ex Siricio accipimus. Quod autem non lo-

quatur de pœnitentia ſacramentali facilè intelligitur ex ipſo contextu orationis. Sermo enim eſt de illa pœnitentia, quâ qui fungebātur, illis nec militiam adire, nec conuiuia, & alia etiam licita oblectamenta frequentare, nec cōiugia appetere licitum erat. Quàm autem falſum ſit, eum, qui ſemel peccata confeſſus, abſolutione accepta & à legibus pœnitētiæ, vel ſacramentalis, vel etiam publicæ liber erat, nunquam poſtea potuiſſe aut vxorem ducere, aut militare, aut mercaturam exercere, ſuperiùs demonſtratum eſt. Quare ex Siricio contra ſacramentalis pœnitentiæ iteratæ vſum nihil omnino confici poteſt. Huc reuoca quæ de ſolenni pœnitentia ex S. Leonis epiſt. 92. ad Ruſticum, & ex aliis ſuperiùs obſeruaui.

Quintò obiicitur Sanctus Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. ſed quantopere nobis faueat, quiuis facilè intelliget ex eius verbis, quibus *reprehendit eos qui ſæpiùs agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent, quia ſicut vnum Baptiſma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere delicti, ſed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum.* Si ergo exceperis ſolam pœnitentiam, quæ de grauioribus delictis vna ſeu ſemel fit; de reliquis quotidianam fieri poſſe docet. Nec verò hæc quotidiana eſſe ſolummodo iuſtorum delicta, nec de quibuſlibet peccatis mortalibus publicam pœnitētiam impetatam fuiſſe, alibi oſtendi. Deinde quod S. Ambroſius de ſacramentali in qua ſolus Presbyter rem cum pœnitente conficit, non loquatur, XXVI.

ſed de publica pro indulgentia peccatorum obtinenda, patet; quia loquitur de ea, in qua *patrocinium pœnitens ſibi ad Deum obſecrandum ſanctæ plebis requirit, & in qua pro pœnitente flet mater Eccleſia, eiuſque culpam lachrymis lauat.*

XXVII. Sextò opponitur S. Auguſtinus, qui epiſt 54. ait, *Cautè ſalubritèrque prouiſum, vt locus humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concederetur, ne medicina vilis minùs vtilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minùs contemptibilis fuerit.* At S. Auguſtinus non loquitur niſi de humillima pœnitentia, quam à ſacramentali diuerſam agnouit, quódque relapſis Sacramenti pœnitentiæ, & abſolutionis remedium præſto eſſet, ex eo ſuperiùs oſtendi; nec obſcurè ibidem inſinuat, cum eoſdem relapſos, ne deſperent hortatur, *quia Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum, nec minùs tribuit, quàm ante tribuebat largiſſima munera vitæ, ac ſalutis.* Niſi munera gratiæ, & ſalutis beneficia, ſeu ad ſalutem æternam pertinentia dona intelligat, vana eſt & irriſoria huiuſmodi adhortatio. Nec enim niſi de ſalute animæ relapſi huiuſmodi deſperare poterant, quibus autem ſalutis, quam non niſi gratiæ donum ſolet intelligere, munera Deus tribuit, quomodo Eccleſia neget donum Sacramenti pœnitentiæ, ſine quo vel voto eius nulli ſalus contingere poteſt, aut quod eius votum prudenter peccator habere poteſt, quod ſe omnino adepturum deſperet? Votum enim Sacramenti ſuſcipiendi propoſitum efficax eſt, idque nemo prudens efficaciter velle poteſt, quod ſibi poſſibile eſſe non exiſtimat.

Denique contra repetitæ pœnitentiæ ſacramentalis vſum obiicitur Concilium Toletan. 3. quod in Canone 11. ſic loquitur. *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm Canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam: vt quotieſcumque peccare libuerit: toties ſe à Presbytero reconciliari poſtulent: & ideò pro coërcenda tam execrabili præſumptione, id à ſancto Cōcilio iubetur, vt ſecundùm formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ, hoc eſt, vt prius eum quem ſui pœnitet facti, à communione ſuſpenſum faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere: expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicut ſacerdotalis contemplatio probauerit, eum communioni reſtituat. Hi verò qui ad priora vitia, vel infrà pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur, ſecundum priorum Canonum ſeueritatem damnentur.* At rogo aduerſarios an hodiernum Eccleſiæ vſum, & in abſoluendis ſæpiùs peccatoribus inſtitutū ex preſumptione execrabili ortum, quique iterum adeunt Sacerdotem, vt abſoluantur, eos fœdiſſimè pœnitentiam agere exiſtiment, itaut cùm Epiſcopi, Conciliaque à quadringentis annis ſæpiùs iam peccata confeſſos, & ab iis abſolutos hortantur, & cenſuris eccleſiaſticis ad confeſſionem annuam vrgent, eos ad rem per ſe ſe execrabilem, olimque fœdiſſimam compellant? Item aliquis magiſtro huius diſciplinæ doctore vſus qui ſæpiùs iam peccata confeſſus eſt, quia olim neminem poſt acceptam abſolutionem ſacramentalem relapſum ad eandem XXVIII.

iterum admiſſum fuiſſe, & non niſi ex præſumptione execrabili pœnitentiæ Sacramentum ſæpiùs repeti cœpiſſe, eiuſmodi pœnitentiam fœdiſſimè actam antiquos illos arbitratos fuiſſe perſuaſum habet, idcirco ſtatuit nunquam imposterum peccata confiteri, abſtinere à communione, & ſacrificio Miſſæ, & reliquum vitæ ſpatium in luctu & ſqualore conficere, eum laudaturi ſunt aduerſarii, an reprehenſuri?

XIX. Ego verò nego in Canone illo vllum de pœnitentia ſacramentali ſermonem fieri, ſed de publica aut imperata, aut conceſſa pro conſequenda indulgentia per Eccleſiæ ſuffragia. Addo ampliùs non prohiberi illo Canone, quominùs iteretur pœnitentia de qua ſermo eſt. Nec enim idem eſt quotieſcunque libuerit peccare, toties reconciliari, & hominem verè pœnitentem ſecundùm aut tertiùm reconciliari. Nonne etiamnum damnaretur ſacrilegii, qui impunè peccaret, quia quoties vellet adire Sacerdotem ſe abſoluendum certò ſciret? Non ita ſe modò gerit Eccleſia, nec quemquam abſoluit, niſi quem verè pœnitentem exiſtimat, iſque duntaxat verè pœnitens eſt, qui ita commiſſa plangit, vt plangenda nunquam committere ſtatuat. Decernit Canon, vt ſecundum ſeueritatem priorum Canonum relapſi damnentur. At etiamſi iterum admittantur ad reconciliationem, nonne adhuc longè acerbiore pœna quàm priùs damnari poſſunt? Denique reprehenduntur, qui non ſecundùm Canones agunt pœnitentiam. At quinam Canones ſint, non exprimit Concilium, atque adeò ſignificat eos contra Canones fœdiſſimè

agere pœnitentiam, qui ſine ſuſpenſione à communione, abſque impoſitione manuum, id eſt qui abſque tertii gradus pœnitentiæ pœnis, & cæremoniis ſtatim communioni reſtituebantur. Nec enim Canones iſtos renouaret Concilium, niſi quia ſupponit eos per illam prauam pœnitentiæ actionem violari. Quia verò non licebat tunc criminum quorumdam reum reſtituere communioni, niſi priùs pœnitentia functum, quomodo inde conficiatur illam pœnitentiam non niſi ſemel datam fuiſſe, fateor me nullomodo capere, nec quo iure poſt Canonem illum prolatum recentiores iſti doctores tanquam profligatis aduerſariis triumphent, ita ut hodiernum de repetendo ſæpiùs Sacramento pœnitentiæ vſum Eccleſiæ tanquam antiquæ diſciplinæ contrarium accuſare, & durioribus quàm Catholicos decere videatur, verborum aculeis perſtringere non dubitent.

Cap. XII.

Quandonam in publica pœnitentia olim data eſt abſolutio ſacramentalis.

Sectio Prima.

Nec in primo, nec in ſecundo gradu pœnitentiæ publicæ abſolutio ſacramentalis olim data fuit.

I. AD inſtitutum meum, & quem mihi in hac diſſertatione propoſui ſcopum attingendum, ſatis, vt opinor, mihi eſt oſtendiſſe abſolutionem quæ publicam pœnitentiam concludebat, nec niſi poſt eam peractam dabatur, non ſacramentalem, ſed tantùm eccleſiaſticam fuiſſe. Quia tamen antiquitatis ſtudioſus indagator meritò deſiderare poteſt, vt diſputem vtrum in ea publica pœnitentia abſolutio ſacramentalis, & quando, quóue ritu ea tribuebatur, id præſto cò libentiùs quod multùm lucis ad antiquam pœnitentiæ diſciplinam intelligendam afferet, cauſas quæ non paucos in errorem impulerunt aperiet, quodque controuerſiarum ſcriptoribus ſpiſſum admodum & obſcurum videtur, in antiqua Eccleſia Sacramenti pœnitentiæ eiuſque adminiſtrandi cum noſtro vſu conformem ratio

nem, & diſciplinam explicabit. Ac ne diutiùs Lectorem morer, cùm, vt ſupra vidim⁹, quatuor in pœnitentia antiqua publica gradus fuerint; exiſtimo nec in primo, nec in ſecundo gradu datam fuiſſe abſolutionem ſacramentalem, ſed in tertii gradus aditu, itaut tunc peccator ob publicum crimen excommunicatus conuerſionis ſuæ idoneo teſtimonio Eccleſiæ dato, ſiue duobus illis primo, & ſecundo gradibus confectis, ſiue etiam, quia criminis qualitas tantam ſeueritatem non requirebat, ab Epiſcopo eiuſue quoad hoc Vicario Preſbytero Pœnitētiario admiſſus ad confeſſionem ſacramentalem, tam criminis illius publici, quàm aliorum etiam occultorum, pro publicis illis, ſeu per canonas puniendis publicam pœnitentiam acciperet, & ſimul ab illis, omnibuſque aliis ſacramentaliter abſolueretur.

Duas hæc doctrina partes controuerſas habet, priorem, qua in primo, & ſecundo gradu abſolutionem ſacramentalem datam eſſe nego; poſteriorem verò qua eandē non poſt peractam pœnitentiam fuiſſe dilatam, ſed in ipſo tertio gradu, qui conuerſionis, ſubſtrationis, & pœnitentiæ dicebatur, datam fuiſſe contendo. Tu verò memineris me loqui de peccatis illis, ob quæ homo excommunicatus publicæ pœnitētiæ ſubiectus, nec niſi per eam cum Eccleſia reconciliabatur: vtrum enim anathemate percuſſus, & in primo, vel in ſecundo gradu poſitus, priuatim peccata confiteri, & ab iis abſolui ſoleret, dubito, nec id ad rem noſtram facit. Quantumuis enim ſi quis anathematis vinculo impediretur, arcebatur à communione fidelium, inde tamen II.

non ſequitur euidenter, eum à peccatis ſacramentaliter abſolutum non fuiſſe etiam à Presbytero qui ab eo vinculo illum abſoluere no poterat. Memini enim me legere in antiquis rituum nonnullarum Eccleſiarum, ac nominatim Pariſienſis libris, olim conceſſum fuiſſe, vt Parochus ſubditum ab omnibus peccatis etiam Epiſcopo reſeruatis, abſolueret cum obligatione ſiſtendi ſe Epiſcopo, vel qui ab hoc reſeruata remittendi licentiam habebat, vt ab iſto pro reſeruatis pœnitẽtiam acciperet, & abſolueretur non tamen à culpa, nec ſacramentaliter, ſed à cenſura, quæ olim cuilibet peccato reſeruato annexa erat. Nec dicas reum qui vinculo excommunicationis ligatus eſt, niſi priùs ſublato hoc vinculo ſacramentaliter abſolui non poſſe. Tunc enim cùm, vt omninò conſtat, omnium, aut ſaltem aliquorum criminum Epiſcopo reſeruatorum reus excommunicatus eſſet, fruſtrà aut etiam perperàm Parochus ab omnibus tam reſeruatis quàm non reſeruatis pœnitentem abſolueret, & mitteret ad Epiſcopum, à cenſuris penitùs abſoluendum, niſi ex conſenſu Epiſcopi habuiſſet poteſtatem eum ab illa excommunicatione, quoad illum ſacramentalis abſolutionis effectum, abſoluendi. Quare non eſt fortè improbabile quoſlibet primi etiam, & ſecundi gradus pœnitentes ſacramentaliter confeſſos, fuiſſe abſolutos, ſed ita vt per eam abſolutionem ius ad communionem, aut publicum Eccleſiæ munus nullum acquirerent. Ad idque fortè referri poteſt, quod quilibet Sacerdos, etiamſi nullam in caſus reſeruatos, aut cenſuras poteſtatem habeat, in abſo-
lutione

lutione dicit ſe pœnitentem ab omni vinculo excommunicationis, in quantùm poteſt, & ille indiget abſoluere, quæ erat antiqua forma. Scio Romanam conſuetudinem de peccatis reſeruatis aliud habere. Sed quod aio ſatis eſt ad probandum quod dixeram, non mihi omnino liquere, an primi, aut ſecundi gradus pœnitenti Sacramento pœnitentiæ, ſicut aliis omnibus eſſet interdictum Atque hæc obiter dicta ſi placet inter coniecturas meas habeantur, nec enim quid ſtatuatur, mea vllatenùs intereſt.

Iam verò priorem partem doctrinæ, qua nego in prioribus duobus gradibus pœnitentiæ vllam fuiſſe actionem, in qua abſolutio ſacramentalis data fuiſſe dicatur, vltrò fatentur omnes quibuſcum mihi eſt diſceptatio, quia in illis nulla fuit diuinæ gratiæ inuocatio, aut ſuper peccatores Sacerdotum ſupplicatio, nulla manuum impoſitio, ſine qua abſolutionem peccatorumque remiſſionem ab Eccleſia datam nemo ait, & omnino negat S. Leo epiſt. 92. ad Theodorum cap. 11. *Multiplex, inquit, miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolùm per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.* S. Leo à gratia Baptiſmi pœnitentiæ medicinam diſcernit; quia in hac non abſque dolore, & labore aliquo datur remiſſio peccatorum purè gratuita, nec merè miſericors, III.

ſed cum vindicta aliqua, & iuſtitiæ ordine ſeruato, quódq; proprio ſe iudicio condemnare peccatores ait, confeſſionem ſacramentalem ſignificat, ad quam niſi Sacerdotis ſupplicatio accedat, indulgentia peccatorum non habetur. Vnde ſubiicit *multùm vtile ac neceſſarium eſſe, vt peccatorum reatus ante vltimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſoluatur.* At in illis duobus gradibus, nullius impoſitionis manuum, nulliúſque Sacerdotum ſupplicationis peccatores participes factos fuiſſe, conſtat ex iis quæ de ſingulis gradibus diſſerentes diximus, vbi laudauimus S. Baſilium can. 2. ad Amphiloch. & S. Greg. Nyſſ. ad Letoium, dicentes, eos qui in primo gradu lamentantes erant, à precibus expulſos fuiſſe, quod ille repetit in can. 74. nec qui in ſecundo gradu inter audientes erat, eum oratione dignũ haberi.

Sectio Secunda.

Quoties olim dabatur pœnitentia, toties abſolutionis quoque ſacramentalis effectus proprius, ſeu peccati remiſſio conceſſa eſt.

IV. Omnes in antiquis Patrum monimentis verſati ſciunt in tertio gradu datam fuiſſe pœnitentiam publicis illis peccatoribus cum aliqua Presbyteri manus impoſitione, cilicio & cinere, túncque dictos fuiſſe pœnitentes, quia pœnitentiam acceperant. Nemo niſi ſupplex verè con-

uerſum ſe teſtaretur, illam accipiebat, nec proinde niſi peccata ſua confeſſus eſſet; addo tunc factam fuiſſe confeſſionem ſacramentalem, & reliqua quæ ante abſolutionem neceſſario præſtanda ſunt. Nunc probo per pœnitentiam datam intelligi impoſitionem pœnitentiæ poſteà faciendæ, tuncque ea acceptata pœnitentem fuiſſe abſolutum à culpa, ſed ita vt non reſtitueretur communioni, nec reconciliaretur Altari, niſi poſtquam ſatisfeciſſet. Quare quoad Sacramentum pœnitentiæ vſus antiquus erat omnino ſimilis hodierno, in quo facta confeſſione niſi extraordinarium aliquod impedimentum contingat, pœnitens pœnitentiam, & abſolutionem petitam accipit cum obligatione illam pœnitentiam poſtea exequendi.

Quòd pœnitentiæ actio abſolutionem complectatur exiſtimat gloſſa Gratiani 26. quæſt. 6. capit. *qui recedunt*. & cap. *is qui*. In illo enim pœnitentiam interpretatur fructum pœnitentiæ, & in iſto abſolutionem. Idque probo ex eo quod Patres actioni pœnitentiæ, ſeu huic datæ iuſtificationem à peccato, & eundem penitus effectum quem abſolutioni ſacramentali Florentini, Tridentiniq; Patres tribuunt. In Concilio Toletano 12. can. 2. excommunicationis annuæ damnatur Sacerdos, qui ægroto non ſentienti, neque petenti, aut aliquo ſaltem manuum indicio Sacerdotem inuitanti. *Pœnitentiam auſu temerario dederit. Non enim paſſim & licenter donum pœnitentiæ non petentibus prorogandum eſſe ait*, & illud cum Baptiſmo comparat, *vt enim hoc neſcientibus paruulis, ita & pœniten-* V.

tiæ donum neſcientibus illabitur. In hoc illapſu explicando valdè impediuntur, qui aliter ſentiunt, aut pœnitentiam datam aliter interpretantur.

VI. Aiunt recentiores tunc intimatam ægroto fuiſſe pœnitentiam quam ſi conualeſceret, agere deberet. At id eſſet ſurdo canere. Ægrotus enim ille ſenſu omni carebat. Alii preces interpretantur ſimiles iis, quibus ante quam Sacerdos pœnitentis confeſſionem excipiat, huic benè precatur, & à Deo ſpiritum compunctionis efflagitat. Sed cùm ægrotus ille ſui compos non eſſet, fruſtrà ei à Deo peteretur, quòd in eo ſtatu non prodeſſet. Deinde nemo alius quàm Preſbyter dabat pœnitentiam. At huiuſmodi pietatis ſenſus Chriſtiani alii exorare potuerunt, atque ita dare pœnitentiam, ſi hoc aliud non erat, quàm conuerſionis impetratio. Denique viderint illi quodnam aliud donum pœnitentiæ Baptiſmali gratiæ infantibus infuſæ ſimile, vel potiùs cum eaidem, quàm gratia iuſtificans ægroto neſcienti illabi queat. An qui baptizat infantem, ei à Deo petit rationis vſum, & pietatis ſenſum aliquem? an monet quid deinceps agere debeat, ac non potiùs per Baptiſmũ dat gratiam iuſtificantem? At Preſbyter ægroto non ſentienti, qui antea ſaltem nutu aliquo petierit, per pœnitentiã datam eius donum infundit. Omitto dicere ſi datio pœnitentiæ alia non eſt, quam petitio veniæ, aut compunctionis, qua peccator conuertatur, non tantùm non petenti abſque auſu temerario, ſed etiam prudentiſſimè dari poſſe, niſi quis damnet Eccleſiam, quæ quotidie

orat pro peccatoribus obduratis, vt conuertantur. Addo nonniſi imprudentiſſimè Sacerdotem ægroto cuius confeſſionem non audiit, nec crimina ipſius, & qualitates eorum exploratas habet, dare pœnitentiam, ſi id aliud nihil eſt, quàm intimare & pręſcribere pœnitentiam faciendam. Quantam enim, quamque diuturnam Sacerdos iniungere debeat, ſcire non poteſt, niſi non ſolùm crimina admiſſa, ſed etiam pœnitentis animum & humilitatem, cuius rationem haberi volunt canones, perſpecta habeat.

In Concilio Toletano 13. can. 10. de pœnitentia Epiſcopo nullum crimen mortale confeſſo, in mortis diſcrimine data dicitur, *ea ad hoc ſuſcipi, vt peccatum diluat, qui illam ſuſcipit. Ipſum confidere debere per eam peccata ſibi dimiſſa eſſe*, & in vniuerſum, *cùm pœnitentiam accipimus ad ſimilitudinem conditoris nos reformare conamur, quæ reformatio medicamentum eſt, quò delentur piacula. Si enim medicamentum iſtud aſſumitur rectè creatori ſuo anima reformatur, ſique medicamentum pœnitentiæ ſubtrahitur, quod in remiſſionem peccatorum accipitur, ad ſimilitudinem factoris vſpiam non venitur. Etenim pœnitentia, vt dictum eſt, in remedium peccati accipitur* ... ac demùm additur, *donum pœnitentiæ in peccati remedium fieri, & hoc donum per manus impoſitionem accipi.* Quæ omnia cùm abſolutioni ſacramentali optimè conueniant, de quouis alio dono, & in particulari, de ſola pœnitentiæ iniunctione nullomodo intelligi poſſunt. Nec enim hęc peccatum *diluit*, aut *dimittit*, nec peccatorem ad ſimilitudinem VII.

conditoris reformat, ſeu iuſtificat, non delet piacula, nec creatori animam reformat. Eodem prorſus ſenſu S. Cæleſtinus Papa in epiſt. 1. ad Epiſcopos Viennenſes cap. 2. pœnitentiam obitus tempore datam *remedium animæ* vocat, *quod periclitantem ſub onere peccatorum hominem pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberat*, ideoque qui morienti pœnitentiam negat, ait, *eum morienti mortem addere, eiuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poßit, occidere.* Qui igitur, morienti ſenſus iam omnis experti pœnitentiam dat, ei vitam reſtituit, animamque ipſius abſoluit.

VIII. S. Eligius Nouiomenſis Homilia 4. reconciliationē cum Eccleſia diuerſam facit à reconciliatione cum Deo, hac peccatorem ait *nouam creaturam fieri, & à peccatorum vetuſtate liberari*, tuncque id contingere, *cum per confeßionem, ac pœnitentiam condigna ſatisfactio fit*, quódque per pœnitentiam abſolutionem cum ſacramentali confeſſione proximè coniunctam intelligat, ſatis ſignificat, cum ſubiicit *homines per pœnitentiam nouos fieri, ſicut dudum per Baptiſmum facti fuerant*, id eſt iuſtificari à peccato, qui eſt abſolutionis ſacramentalis effectus. Quare non exiſtimat peccatorem per ſolam ſatisfactionem exequutioni mandatam iuſtificari, qui eſt nonnullorum recentiorum error, cùm contritio ipſa peccatorem cum Deo reconciliet, ſed aliud nihil S. Eligius dicit, quàm cum imponitur ſatisfactio poſtea agenda poſt confeſſionem, dari pœnitentiam, vel potiùs Deo ſatisfieri condignè pro culpa, hancque deleri, cùm

homò peccata confeſſus pœnitentiam ſimul & abſolutionem accipit, addit ibidem peccatorem ad pœnitentiam accedere debere, *quia per eam peccata relaxantur.* Quid porrò aliud eſt ad pœnitentiam accedere, quàm eius Sacramentum, & abſolutionem ſuſcipere? Et Homilia 6. *Cùm omnes homines pœnitentiam velint in fine vitæ ſuæ accipere, vix paucos videmus, eam ſecundùm quod deſiderant adipiſci. Quanti enim qui ſe ad extremum vitæ ſuæ pœnitentiam accepturos eſſe credebant, ita percuſſi ſunt, vt non ſolùm pœnitentiam petere, ſed etiam ſignare ſe, aut orationem Dominicam dicere omninò non poſſent.* Rogo te quiſquis es, quid eſt, quod pro peccatorum tuorum remedio in mortis articulo accipere maximè deſideras? an vt tibi Preſbyter indicet pœnitentiam, quam ſi ſuperſt[illegible] fueris agere debeas? At fieri poteſt, vt tu canonum diſciplinam illo melius calleas, an vt oret pro te, tibíque pœnitentiæ pium motum impetret? Id ſanè optandum eſt, at abſolutionem ipſam longè ardentius deſideras, idque ipſum eſt quod pœnitentiam datam appellat S. Eligius. Denique Theodulfus Capitularis can. 36. monet, *hebdomada vna ante initium Quadrageſimæ, confeſſiones Sacerdotibus dandas eſſe, & pœnitentiam accipiendam, vt ſic ingredientes in beatæ Quadrageſimæ tempus, mundis & purificatis mentibus, ad ſanctum Paſcha accedant, & per pœnitentiam ſe renouent, quæ eſt ſecundus Baptiſmus: ſicut enim Baptiſmus peccata, ita pœnitentia purgat.* Cùm igitur Patres datæ pœnitentiæ peccati veniam, conſcientiæ liberatio-

nem, innouationem, iuſtificationem, alióſque abſolutionis ſacramentalis proprios effectus tribuant, quis in illa data hanc comprehenſam fuiſſe, aut negare, aut etiam dubitare meritò queat, cum rei iudicium certius nullū eſſe queat, quàm peculiaris, & proprius eius effectus?

Sectio Tertia.

Alio argemento probatur in pœnitentia data, abſolutionem ſacramentalem intelligendam eſſe.

IX. Qvando data olim pœnitentia fuiſſe dicitur, in ea abſolutum fuiſſe pœnitentem, altero, ni fallor, clariſſimo argumento ex pœnitentia morienti phrenetico, ſi priùs eam popoſcerit, data petito probatur. Quid enim aliud quàm abſolutio ſacramentalis per eam intelligi poteſt? an, vt nonnulli aiunt, ſupplicatio Sacerdotis pro pœnitentiæ affectu ægro illi impetrando? At phreneticus erat, & niſi eum iam affectum, ſenſumque habuiſſet, pœnitentiam non popoſciſſet. An vt ei Sacerdos pœnitentiam poſtea agendam indicet, atque præcipiat? At phreneticus eſt, nec eam iuſtam & congruam, vt pote conſcientiæ illius ignarus Sacerdos decernere poteſt, quodq; notatum velim, ſi æger ille conualuerit, monendus eſt, vt adeat Sacerdotem, à quo pœnitentiam acccepiſſe dicitur, & ab eo de pœnitentia iuſta & legitima agenda præceptum

accipiat, quod manifeſtè probat iſtud, cùm ægroto & phrenetico data eſt pœnitentia, factum non fuiſſe Cùm igitur nullius alterius beneficij, quàm abſolutionis ſacramentalis ægrotus eo in ſtatu poſitus capax ſit, per tantopere expetitam, & tam diligenter à Sacerdotibus procurandam pœnitentiam tunc acceptam aliud nihil quàm abſolutionem illam accepit. Sed Patres audiamus.

S. Innocentius in epiſt. ad Exuperium cap. 11. ſciſcitatum *quid de his obſeruari oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt*: reſpondet, *obſeruationem duriorem, & conſuetudinem priorem tenuiſſe, vt concederetur eis pœnitentia, ſed negaretur communio*, quam poſtea viaticum appellat, aitque hac communione negata, pœnitentiam conceſſam fuiſſe, *ne totum penitus negaretur*. Vides pœnitentiam à viatico diuerſam durioribus, & auſterioribus illis temporibus in mortis articulo conceſſam peccatoribus, ne totum penitus negaretur. Quid obſecro iſtud eſſe poteſt aliud quàm abſolutio, cum qua ſola culpæ mortalis, & pœnæ æternæ, non autem aut plena pœnæ temporalis remiſſio, aut ad communionem etiam imperfectam & viatici ius habetur? Huc reuoca quod alibi Carthag. 4. can. 76. attuli decretum, *vt qui pœnitentiam in infirmitate petierit, ſi obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuò creditur* X.

moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem. & infundatur ori eius Euchariſtia. Quàm aptè hæc pœnitentia phrenetico, dummodo eam compos ſui petierit, ante communionem data cum abſolutione ſacramentali congruit, quámque aut falſa, aut inepta ſunt, quæcumque alia pro hac pœnitentia explicanda excogitari poſſunt.

XI. Nec obſcurè nobis fauet S. Auguſtinus ab aduerſariis contra pœnitentiam mortis tempore factam prolatus ex ſermone 57. de temp. & Homilia 41. In hac de pœnitentia in ægritudine facta, ſic loquitur. *Si quis poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus, quia benè hinc exit ..... pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum*, quia ſcilicet *dum ſanus fuit, impœnitens fuit ...... ſi ad vltimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit.* Aduerte coniungi confeſſionem, & pœnitentiam. *Quare ſecurus es? quia egiſti pœnitentiam eo tempore quo & peccare potuiſti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipſam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Non igitur defectu ſatisfactionis ſeram illam pœnitentiam dubiam habet S. Auguſtinus; alioqui non ſubdubitans, ſed certò, & apertè illam damnaret, quia nemo dubitare poteſt, quin ille tunc moriens nequeat pro pœna temporali in hac vita ſa-

tiſfacere, & agere pœnitentiam à Sacerdote imponendam; quare ſi ad abſolutionis valorem hæc ſatisfactio neceſſaria eſſet, vt ſignificant doctores illi, eiuſmodi morientium pœnitentia aut abſolutio prorſus reiicienda eſſet. Sed an verè eum abſoluat S. Auguſtinus dubitat, quia ille *dum ſanus erat, impœnitẽs fuit*, & cùm eo tantum tempore, quo iam peccare non poteſt, pœnitentiam agat, fieri facilè poteſt, vt eum peccata dimittant, non is illa, id eſt, verum de peccatis dolorem & emẽdandæ vitæ propoſitum non habeat; nihilominùs tamen morienti, ſi petierit, à Sacerdote poſt confeſſionem pœnitentia, id eſt, abſolutio datur. *Ideò tibi do pœnitentiam, quia neſcio. Nam ſi ſcirem nihil tibi prodeſſe, non tibi darem*. Quære ab aduerſariis, an Sacerdos dici queat dare pœnitentiam morienti, ſi tantùm Deum rogat, vt eum conuertat, certè pari iure cum peto alicui beneficium quod obtenturus non ſum, nihilominùs ei dare dicendus eſſem. Præterea viderit an pœnitentiam poſtea faciendam morienti imponens prudenter dicere poſſit, ſe dare pœnitentiam, quam, ſi nihil illi prodeſſe neſciret, non daret. At rectè de eo cuius conuerſio, & animi affectio dubia eſt, dicere poſſum me eum ſub dubio abſoluere, quem ſi ſcirem contritum non eſſe, haud dubiè non abſoluerem.

Sermone autem illo 57. qui ſe communione ecclesiaſtica indignum putat, monet, *vt dignum ſe eſſe faciat. Dicitis quomodo aliquis dignum ſe facere poſſit?* Reſponderet nouus Pœnitentiarius, & præciperet peccatori, vt Sacerdoti peccata confeſſus ab eo faciendam diuturnam, ſex vt XII.

minimùm menſium pœnitentiam, vel potiùs à communione ſeparationem ſibi imperatam acciperet, eam ageret, ac demùm ad eum rediret cùm Altari reconciliandus. At nihil prorſus tale S. Auguſtinus aut præcipit, aut ſuadet, ſed idipſum quod hodiernus Eccleſię vſus fert, & omnes Confeſſarii, Doctoreſque Catholici nunc docent. *Quomodo niſi vt errores priſtinos relinquat, & pœnitentiam petat, vt qui criminum ſuorum corde pollutus eſt, exomologeſis ſatisfactione mundetur.* In ipſa exomologeſi & confeſſionis actione ſatisfactionem agnoſcit, vt vidimus, nec aliam quàm quæ in petitione pœnitentiæ includitur, ita ut peccator mundetur, & abſoluatur qui errores priſtinos relinquens, ſeu verè contritus pœnitentiam petit. *Nec illud ſeruet, vt in extremo vitæ ſuæ tempore pœnitentiam petat, quando iam agere non poſſit. Inutilis eſt enim, dilectiſſimi, iſta perſuaſio. Parùm eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitẽtiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari, ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolui.* Quaſi dicat neſcio an qui ſic pœnitentiam petierit, ſeu abſolutionem, eam verè & coràm Deo accipiat, & mereatur abſolui à culpa & à pœna. *Quomodo enim agit pœnitentiam lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla iam pro ſe opera ſatisfactionis*

operari poteſt? Hîc verò exclamare aduerſarii, viciſſe ſe, & ex Sancto Auguſtino exploratum haberi, nullam eſſe pœnitentiam in morte datam, quia nulla ſatisfactionis opera fieri poſſunt. At ſi nulla eſt, cur ſub dubio datur? ſed Sanctus ipſe Auguſtinus mentem ſuam exponat, & cur illa opera ſatisfactionis requirat, planiſſimè dicat. *Et ideò*, inquit, *pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt, pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur.* Timet ne pœnitentia ſatisfactionis operum defectu mortua ſit, & nulla, quod autem ea non quidem nulla, ſed infirma ſit, non dubitat, non timet, ſed certus eſt, & aſſeueranter pronuntiat, quia licet, ſi adeſt contritio, peccatorem à culpa liberat, eum tamen pœnæ temporali, eique ob ingentia peccata, de quibus ſermonem habet, grauiſſima obnoxium relinquit. S. hic Pater timet ne morientis pœnitentia mortua, vitam illi ſpiritualem non reſtituat; at non id timere, ſed aſſeueranter eam mortuam pronunciare deberet, ſi pro reſtituenda peccatori gratia tam neceſſario ſatisfactionem illam operum, quàm cordis contritionem ei adiungendam eſſe crederet.

Sectio Qvarta.

Alia argumenta pro eadem doctrina confirmanda afferuntur.

XIII. Tertium eſt, quòd nunquam niſi præmiſſa, dataque pœnitentia viaticum Euchariſtiæ datum eſt, licet tunc reconciliatoria manuum impoſitio omitteretur. Hoc argumentum antea tractaui, cùm hanc reconciliationem non fuiſſe abſolutionem ſacramentalem probaui, quamobrem illud modò indicare mihi ſit ſatis, ſicut & quod antea obſeruaui, licet reconciliatoria manuum impoſitio vltima aliquando per Diaconum facta fuerit, nunquam me legiſſe pœnitentiam ab alio, quàm à Preſbytero datam fuiſſe. Memineris quod ex Arauſicano 1. can. 3. retuli, illos qui de corpore recedunt, pœnitentia accepta ſine reconciliatoria manus impoſitione, viaticum accipere.

Quartum hic non leue adiungo ex Sancto Auguſtino, epiſt. 180. ad Honoratum. Ab eo enim actio pœnitentiæ Sacramentum appellatur, & à communione Euchariſtica, reconciliationéque pœnitentis diſcernitur. Epiſcopos, & Preſbyteros in cladibus Chriſtianorum, & Barbarorum incurſionibus nec fugere, nec plebes ſuas deſerere poſſe ſic probat. *An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum peruenitur*

extrema, nec eſt poteſtas vlla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab vtroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliјs Baptiſmum flagitantibus, aliјs reconciliationem, aliјs etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Vbi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de ſæculo iſto, vel non regenerati exeunt, vel ligati .... Si Miniſtri adſint pro viribus, quas eis Dominus ſubminiſtrat, omnibus ſubuenitur, alij baptizantur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis cõmunione fraudantur. Nec baptizatos, nec reconciliatos Euchariſtia fraudari, quia vtriſque ea tribuebatur, & cum hac communione reconciliationem coniunctam eſſe ait, quodque meo inſtituto multùm fauet, Baptiſmi, reconciliationis, atque etiam pœnitentiæ actionem, Sacramentorum confectionem, & erogationem appellat, vultque eos quibus hæc ſubſidia in morte deſunt, non regeneratos, aut ligatos exire. Vnde conficio peccatorem per ipſam etiam pœnitentiæ actionẽ ab aliquo culpæ ſcilicet vinculo abſolui.

XIV. Quintum peto, ex eo quod ſæpè opponunt, eóque, vt opinor, manifeſtè redarguuntur, Sacerdotem in actione pœnitentiæ ligare ſimul & ſoluere pœnitentem, itaut liget imponendo pœnitentiam poſtea agendam, vt Tridentinum ſeſſione 14. can. 15. diſertè docet, ſoluat verò dum culpam, & ſimul æternam pœnam remittit. Quod vtrumque niſi hoc modo fueris interpretatus, ligandi & ſoluendi munus ſimul

coniunctum nunquam commodè explicabis. Ridiculus enim is eſt, qui Sacerdotem tunc pœnitentem ſoluere ait, cùm declarat eum feciſſe pœnitentiam, quam impoſitam exequi iuſſus fuerit. Hoc enim in caſu pœnitens ipſe ſe liberat, ſeu ſoluit à debito, data pœna, ſeu pœnitentia, & ſatisfactione repræſentata. Quemadmodum qui decem aureis multatus, & donec ſoluat carcere detentus, cum ipſe iudici pecuniam numerat, quod debet ſoluit, ſéque liberat & abſoluit potiùs quàm Iudex, qui ſententia ſua declarat eum nihil ampliùs debere, nec perſoluto multæ pretio, in carcere captiuum iuſtè detineri poſſe Deinde vt alibi notaui, Sacerdos non ſoluit peccatorem ab eo duntaxat vinculo pœnæ, quo eum obligarat, ſed à vinculo culpæ, & pœnæ æternæ, quod videlicet tollit ſimul ac pœnæ temporalis reum facit, & ad eam patiendam, atque adeò ſponte agendam obligat.

XV. Audiatur Sanctus Ambroſius ab aduerſariis laudatus lib. 1. de Pœn. cap. 2. vbi relato Chriſti dicto quorum remiſeritis &c. ita ait *Eccleſia in vtroque ſeruat obedientiam, vt peccatum & alliget, & relaxet .... Dominus par ius & ſoluendi eſſe voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione permiſit.* Nota Sanctum Ambroſium de ſoluendo peccato loqui, quòd ibidem ſæpiùs repetit. Si ergo tunc Sacerdos ligat, cùm pœnitentiam imponat, vt volunt aduerſarii, vt ſimul Sacerdos pœnitentiam liget & ſoluat, eo ipſo tempore quo pœnitentem obligat ad pœ-

ad pœnitentiam, eundem à peccati culpa per Sacramentalem abſolutionem ſoluere & liberare oportet. Quod ſi ligare Sacerdos tunc dicitur, quando peccata retinet, tunc ſimul & retinere, & ſoluere poteſt, atque etiam retinet & remittit, ſeu ligat, & ſoluit, qui eum à culpa non ſoluit, niſi cum reſtrictione, conditionéque appoſita, & obligatione ad eam quam indicit pœnitentiam faciendam.

XVI.

Denique hoc pacto pleraque Patrum de pœnitentia alioqui difficillima dicta facillimè explicantur, ac nominatim, quod ſæpenumero confeſſionis Sacramentum appellant, & ita de confeſſione peccatorum loquuntur, vt in ea peccatorem ſtatim iuſtificari velint, licet aliquando poſt diuturnam pœnitentiam, & ſatisfactionem reconciliatio eiuſdem differatur in publica videlicet pœnitentia. Confeſſionis verò Sacramentum dicitur, quia confeſſionem comitabatur actio pœnitentiæ, quæ ſuppoſita ea quæ iam in confeſſione præſtabatur ſatisfactione, & contritionis teſtimonio, ſimul cum pœnitentia poſtea facienda, abſolutio ſacramentalis dabatur, hæcque erat actio pœnitentiæ Nonnulla eorum dicta breuiter expendo.

Sanctus Eligius Homil. 11. *Ex eo vnuſquiſque iuſtus eſſe incipit, ex quo ſui accuſator extiterit. Confeſſio enim pœnitentiam monſtrat, pœnitentia ſatisfactionem oſtentat. Satisfactio veniam ſibi diuina pietate conciliat, nec enim poterit indulgentia tribui, niſi ira Dei poſt confeſſione placari.* Si vt volunt aduerſarii, peccator peccata confeſſus accipit tantùm pœni-

tentiam, nec niſi hac expleta abſoluitur ſacrãmẽtaliter, cùm iidem, publica & canonica cum ſacramentali confuſa peccatum quoduis mortale, longo moleſtóque labore expiandum eſſe velint, quo tandem pacto Sanctus Eligius verè dicere potuit, ex eo peccatorem iuſtum eſſe incipere, ex quo ſui accuſator exiſtit? Quomodo ira Dei confeſſione placatur, ſi ea minima pœnitentiæ agendæ pars eſt, nec niſi poſt multos annos ſacramentaliter abſolutus cum Deo reconciliatur? *Confeſſio*, inquit, *pœnitentiam monſtrat*, ſeu teſtis eſt internæ pœnitentiæ, & contritionis, nec, vt placet aduerſariis, expectanda eſt illa longa ſatisfactio, vt per eam Sacerdos de interno pœnitentis affectu certus fiat. *Pœnitentia ſatisfactionem oſtentat*, quia dolor, & verecunda confeſſio, iam eſt aliqua ſatisfactio, aliquod eius ſpecimen, & cautio, qua pœnitens ſatisfactionem à Sacerdote imperatam, ſe facturum promittit, eáque ſatisfactionis oſtentatione Sacerdos contentus abſoluit pœnitentem, & peccati ndulgentiam tribuit. Memineris autem quæ hac de re diſſerens dixi, & Tertullianum, à quo Sanctus Eligius ſententiam illam accepit, expoſui, cum libro de Pœnit. capite 9. ait confeſſionem delictorum releuare peccatorem, & lapſum, quia eſt *ſatisfactionis conſilium*, ſeu, vt ſubdit, *ſatisfactio confeſſione diſponitur*, & *confeſſione pœnitentia naſcitur*, qua *pœnitentia Deus mitigatur.*

XVII. Eandem confeſſionis & abſolutionis coniunctionem & nexum S. quoque Ambroſius libro 10. in Lucam, cùm de S. Petri negatione diſſerit,

ſignificat, quo tamen loco aduerſarii probari volunt, præproperam præcipitemque eſſe abſolutionem, quæ ante totius pœnitentiæ à Sacerdote iniunctæ actionem datur; quod quàm immeritò velint ex hac S. Ambroſii oratione quiuis poteſt intelligere. *Maluit ipſe* Petrus *ſuum accuſare peccatum, vt iuſtificaretur fatendo, quàm grauaretur negando. Iuſtus enim in principio accuſator eſt ſui, & ideò fleuit. Non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit. Lachrymas eius lego, ſatisfactionem non lego. Sed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lauant lachrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Et veniæ fletus conſulunt, & verecundiæ. Lachrymæ ſine horrore culpam loquuntur, lachrymæ crimen ſine offenſione verecundiæ confitentur. Lachrymæ veniam non poſtulant, & merentur. Inueni cur tacuit* Petrus, *ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum eſt, ſic precandum. Bonæ lachrymæ, quæ lauant culpam.* Ex his poſtremis verbis quibus Petrus dicitur tacuiſſe, ne tam citò veniæ petitio Deum plus offenderet, aduerſarii volunt damnari pœnitentem, qui ſtatim à confeſſione abſolutionem petit, & Sacerdotem qui eam tribuit, quia *flendum eſt, & ſic precandum*. At quis vnquam dubitauit, quin peccatorem, antequam abſoluatur, dolere, flere, confiteri, & gemitu, humilique confeſſione dolorem teſtari oporteat? S. Ambroſius diſertè ac planiſſimè ait, Petrum fatendo peccatum, fuiſſe iuſtificatum, ſe non legiſſe Petri ſatisfactionem, ſed tantùm lachrymas, quibus veniam, quam nec vt ſibi debitam poſtulas

bat meruerit, & nihilominùs Doctores iſti, S. Ambroſio teſte producto, pœnitentem quantumuis fleat, accuſet ſe, peccatum fateatur, emendationem vitæ promittat, & ſatisfactionem, multámque à Sacerdote ſibi iniunctam humilis, & ſupplex accipiat, abſoluendum negant, hancque abſolutionem appellant præcipitem, præpoſteram, iniquam, quæ peccatorem non ſoluat, ſed abſoluentem ſacrilegii, violatæque Sacramenti religionis crimine obſtringat.

Sectio Qvinta.

Sanctus Leo ab aduerſariis productus explicatur.

XVIII. Qvódque mirari ſatis non poſſum, idem ipſum S. Leo docet eo loco quo aduerſarii identidem prolatorem clariſſimè cõfici volunt, alióſque Doctores accuſant cæcitatis omninò ſtupendæ, qui tam illuſtri teſtimonio conuicti non intellexerint iure ipſo diuino, non Eccleſiaſtico, & Chriſti Domini decreto Sacramentum pœnitentiæ ita inſtitutum fuiſſe, vt non niſi poſt totam pœnitentiæ, & ſatisfactionis à Sacerdote iniunctæ actionem pœnitens abſoluatur, quia cùm peccatores, nonniſi ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admittendos eſſe dicat, aduerſarii * per reconciliationem, abſolutionem ſacramentalem, & per ſalubrem ſatisfa-

ctionem, eam quæ à Sacerdote impoſita eſt præſtitam intelligi volunt Nec iſti Doctores aduertunt hoc Sancti Leonis dicto ſic intellecto ſtatui errorem à Theologis, atque adeò ab Eccleſia damnatum, in nonnullis, vt M Antonio de Dominis, qui hac eadem Sancti Leonis ſententia abuſi, antequam peccator ſacramentaliter abſoluatur, iam à peccato mundatum eſſe debere, nec per abſolutionem Sacerdotis, peccatorem coràm Deo iuſtificari, ſed iam iuſtificatum, Euchariſtia dignum iuridicè declarari arbitrati ſunt. In eo autem ſolo illi, & noſter iſte Doctor differunt, quòd illi ante abſolutionem non poſtulant ſatisfactionem, ſed ſolam contritionem perfectam, quam remiſſio peccati ſemper comitatur; iſte verò præter contritionem quantumuis perfectam, requirit totius ſatisfactionis perſolutionem, ſiue quia ſola ſatisfactio mundat à peccato, ſiue quia contritio mundans conſcientiam, cruda adhuc, indigeſta, ſeu tantùm rudis & inchoata attritio eſt, nec, niſi per diuturnam pœnitentiam coquatur, matura, & ad animam expurgandam ſufficiens efficitur.

Ego verò per reconciliationem à S. Leone communionem Euchariſtiæ, non abſolutionem ſacramentalem intelligi, ac licet id quod volunt aduerſarii haberent, nihil tamen eos pro differenda poſt totam ſatisfactionem abſolutione euincere contendo, quia per illam ſatisfactionem nullo modo intelligitur eius quæ à Sacerdote iniungitur exequutio ſed tantùm acceptatio, aut potiùs ea quæ iam in ipſa confeſſione à pœnitente exhibetur. Itaut Sanctus Leo abſque XIX.

vlla mora ſtatim poſt ſacramentalem confeſſionem, pœnitentem à Sacerdote abſolui iubeat, ſeu à Chriſto Sacramentum inſtituente decretum eſſe dicat. Hoc ſi euicero, etiamſi ea omnia quæ hactenus attuli, argumenta deficerent, id vnicum ad os aduerſariis prorſus obſtruendum, & calumnias, quibus hodiernum Eccleſiæ vſum, tanquam veteri diſciplinæ contrarium, ab annis, vt ſummùm quadringentis per oſcitantiam, & negligentiam Prælatorum, aut nimiam erga peccatores impœnitentes indulgentiam, introductum damnant depellendas omninò ſufficeret.

XX. Totum Sancti Leonis hac de re ſermonem relatum breuiter expono, quidque de eo ſentiendum ſit, Lectoris arbitrio permitto. Sanctus igitur Leo epiſt. 91. ad Theodorum Epiſcopum, *quid de pœnitentium ſtatu eccleſiaſtica habeat regula*, ſic diſſerit. *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolùm per Baptiſmi, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri.* Non de quacunque pœnitentia loquitur, ſed de ea quæ poſt Baptiſmum lapſo in peccatum neceſſaria eſt pro reparanda vitæ æternæ ſpe, quam peccans mortaliter amiſerat. In ea habetur peccatoris accuſatio, & confeſſio, qua ſuo ille ſe iudicio condemnat, & Sacerdotis ſupplicatio, ſine qua in-

dulgentia Dei nequit obtineri. Quare hæc pœnitentia eſt ſacramentalis, in qua per Sacerdotis orationem, ſeu abſolutionem, & ſententiam peccator ſeipſum condemnans peccati indulgentiam accipit. Id vt probet Sanctus Leo hæc ſubiungit.

Mediator enim Dei, & hominum Homo CHRISTVS IESVS, *hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* XXI. Quodque per Miniſtros Chriſti fit, id ipſo interueniente inceſſabiliter per Spiritum ſanctum donatum eſſe ait. Quare de ſacramentali abſolutione per Chriſti Miniſtros data loquitur. Quid autem per reconciliationem Sanctus Leo intelligat, nondum diſcutio, ſed tantùm obſeruo, ſatis incommodè peccatorem proprio ſe iudicio condemnantem, per Sacerdotum ſupplicationes ad remiſſionem peccatorum peruenire dici, niſi iis abſque mora, & multorum annorum, aut certè menſium dilatione ſtatim poſtquam confeſſus peccata, ſe ſuo iudicio damnauit, à Sacerdote abſoluatur. Præterea confitenti datur actio pœnitentiæ, iſq; ſalubri ſatisfactione purgatus per reconciliationẽ admittitur ad communionem, quia niſi peccator probauerit ſeipſum, & Sacramẽto confeſſionis purgatus ſit, Euchariſtiam indignè ſumit. Verùm quæſtio eſt quænam ſit iſta actio pœnitentiæ, & ſalubris ſatisfactio? Reſpondeo ego actionem pœnitentiæ confitenti datam eſſe Sacerdotis ſupplica-

tionem, & peccatorem eo ipſo dici ſalubri ſatiſfactione purgatum, quod confeſſus actionem pœnitentiæ, id eſt Sacerdotis ſupplicationem, & abſolutionem accipit. Certum enim eſt pœnitentem per Sacerdotis Chriſti Miniſtri actionem in eo factam, à peccato purgari. Ea autem actio alia intelligi non poteſt, quàm primo inſtitutio, ſeu doctrinæ verbum, vel ſecundò pœnitentiæ agendæ impoſitio, & imperium, vel denique abſolutio. Primum damnat in hæreticis Eccleſia, ſecundum nonniſi ſtultè fingi poteſt: hac enim actione Sacerdos pœnitentem ligat potiùs, quàm ſoluit: ſupereſt igitur tertium, nec alia pœnitentiæ actio pœnitenti à Sacerdote data poteſt intelligi, quàm abſolutio ſacramentalis, quæ ſtatim à confeſſione datur, ſicque ſalubri ſatisfactione pœnitentem purgat.

XXII. Rectè autem pœnitens dicitur ſalubri ſatisfactione purgatus, quia confeſſus peccatum, ſéque ſuo iudicio condemnans, atque ſatisfaciens, à Sacerdote abſoluitur. Quódque ita ſentiendum ſit clariſſimè docet Hincmarus Remenſis in epiſtola 29. ad Carolum Caluum Regem, Christus Iesus, ex S. Leone inquit Hincmarus, *vt Catholica tenet, & docet Eccleſia, hanc præpoſitis eiuſdem Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos (quæ ſatisfactio pœnitentiæ, in ipſa iam cognoſcitur confeſſione peccati) per reconciliationis gratiam reſtituerent.* Ita iam tunc tenebat, & docebat Eccleſia, tanquam à Chriſto ipſo inſtitutum, vt videlicet ad communio-

nem, & officia ſacra quibus peccantes ſe indignos effecerant, de his enim ibidem Hincmarus loquitur, reſtituerentur pergratiam reconciliationis, quibus data eſſet actio pœnitentiæ, quique purgati eſſent ſatisfact one, non ea quæ impoſita poſtea facienda eſſet, vt comminiſcuntur Doctores iſti, ſed ea quæ pœnitentiæ eſt, quæque in ipſa iam confeſſione peccati cognoſcitur, atque ita ſufficit Sacerdoti, vt abſolutionis ſententiam legitimam ferat.

Quamobrem confeſſionis Sacramentum, & ſatisfactionis appellant Patres, & per confeſſionem, ſatisfactionemque purgari peccatorem aiunt, quia eadem eſt confeſſio, & ſalubris iſta ſatisfactio, eamque ſtatim ſequitur actio pœnitentiæ data à Sacerdote, ſeu huius ſupplicatio, & abſolutio, *qua peccatorum reatus ſoluuntur*, vt ibidem ait Sanctus Leo qui, quantùm ego exiſtimo, reconciliationem ibi pro abſolutione ſacramentali non accipit, ſed pro ipſa pœnitentis iam Sacramento pœnitentiæ purgati ad communionem admiſſione. Id colligo ex his eiuſdem verbis. *His autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda.* Poſteáque monet peccatorem, ne *ſatisfactionis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat &c.* Iam antea obſeruaui morienti aliud præſidium pœnitentiæ adhiberi non poſſe quàm abſolutionem, hæc autem eſt quam ſatisfactionem non interdicendam ait, quámque diſcernit à reconciliatione, quam cum gratia XXIII.

communionis eandem eſſe vult. Sic enim ſubiungit. *Verùm*, vt dixi, *etiam talium* (ſcilicet morientium) *neceſſitati ita auxiliandum eſt, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo eis vocis officio per indicium integri ſenſus quærere comprobentur. Quod ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* Sanctus Leo ait ſe dixiſſe, ſeu decreuiſſe, vt morientibus communionis gratia non denegetur; at ſuperiùs, hanc communionis gratiam non nominauit, ſed tantùm reconciliationem. Igitur hanc pro illa ſemper ſumpſit, & diſtinxit ab actione pœnitentiæ, quam appellat ſatisfactionem, pœnitentiæ præſidium & beneficium, quod quia morienti phrenetico dari quidem oportet, ſi tamen dum integri ſenſus erat, popoſcit, aliud quàm abſolutio ipſa ſacramentalis eſſe non poteſt, quia indictio, ſeu iniunctio pœnitentiæ phrenetico, niſi à demente iniungi non poteſt, &, vt dixi ſæpiùs, ſupplex oratio pro contritione, & conuerſione peccatori impœnitenti à Deo impetranda piè admodum fieri poteſt. Quare cùm per actionem pœnitentiæ aliud nihil intelligi poſſit, quàm vnum ex his tribus, primum ceremonia, aut oratio pro obtinenda à Deo peccatori pœnitentia: ſecundum pœnitentiæ condignæ, & à canonibus præſcriptæ iniunctio, aut certè intimatio: tertium abſolutio ſacramenta-

lis, quia morientis phrenetici ſtatus, ſecundum non admittit, nec primum conditio quam Sanctus Leo requirit, videlicet peccatoris ſui adhuc compotis deſiderium, & ſupplicatio; ſequitur per illam actionem pœnitentiæ, ſeu huius præſidium & beneficium, abſolutionem ipſam ſacramentalem à S. Leone intellectam fuiſſe.

Cap. XIII.

Vtrum aliquando ſacramentalis abſolutio peccatori alicui ab Eccleſia omnino negata fuerit.

Sectio Prima.

Qui abſolutionem ſacramentalem aliquando etiam in mortis articulo negatam fuiſſe volunt.

SI quando peccatori alicui pœnitentiæ ſacramentalis abſolutio negata eſt, id potiſſimùm tribus in caſibus, aut ſaltem in aliquo vno horum trium contigiſſe dicendum eſt. Primò negata dicetur ei qui peccati alicuius grauiſſimi, ac potiſſimùm trium illorum idololatriæ, homicidii, & mæchiæ reus erat. Id fortè crediderit aliquis à Tertulliano traditum in libro de Pudicitia, cùm hic videa- I.

tur Zephirinum Papam arguere, quod nouâ, & priùs inuſitatâ erga mœchos indulgentiâ vſus, eos ad pœnitentiam admitteret, idololatris, & homicidis etiam tum ab eodem Zephirino reiectis. Secundò, ſi quis ſemel abſolutus ſacramentaliter, in peccatum aliquod mortale iterum incidebat, eum nunquam poſtea nec in ipſo mortis articulo, ad Sacramentum pœnitentiæ admiſſum fuiſſe, arbitrari oportet eos qui nullam in Eccleſia primis illis ſæculis pœnitentiam ſacramentalem agnoſcunt, quàm publicam illam, luctuoſam, & humillimam, quam iterum datam eſſe negant, & Patres, vt vidimus, docuerunt. Tertiò denique, ſi quis toto vitæ tempore neglectam, aut etiam contemptam pœnitentiam in mortis diſcrimine poſitus petebat, eam illi negatam eſſe fortè crediderit aliquis, idque oportet fateri eos, qui viaticum, aut etiam communionem cum abſolutione ſacramentali confundunt, aut ab hac communionem nunquam ſeiunctam fuiſſe exiſtimant.

II. Quamobrem Illuſtriſſimus Albaſpineus Aurelianenſis Epiſcopus, in libro 2. obſeruat. 4. & ſequentibus, fusè nititur probare ante Synodum Nicænam, nonnullis in ipſo quoque mortis articulo, abſolutionem ſacramentalem negatam eſſe, in Africa potiſſimùm, & in Hiſpania ob Tertullianum, Sanctum Cyprianum, & Concilium Eliberitanum, ex quibus vſum illum & diſciplinæ ſeueritatem colligi poſſe exiſtimat. P. Petauius cùm in ſuis ad Epiphanium notis, de hæreſi Nouatianorum, ea de re dubitaſſet, quod tunc per pœnitentiam datam aliud nihil

intelligeret, quàm ritum quendam, & cæremoniam, qua ægro, ſi poſtea conualeſceret, ius ad agendam pœnitentiam, eáqueperactâ ad reconciliationem, quam abſolutionem ſacramentalem tunc eſſe volebat, accipiendam tribuebatur, poſtea in digreſſione de pœnitentia, quam ſuis ad Syneſium notis inſeruit, in noſtram poſtea proponendam ſententiam propendet, quia per pœnitentiam datam intelligi abſolutionem ſacramentalem longe probabiliùs exiſtimat.

At author libri de freq. Comm. parte 2. cap. 15. longè vlteriùs progreſſus, pag. 408. *omnes reconciliationes in morte, abſque præuiis pœnitentiæ fructibus datas*, vocat *præcipites*, & conſequenter imprudentes, temerarias, & contra Chriſti Domini legem diuinæque ſapientiæ ordinem conceſſas. Quis enim præcipitem non poſſe eſſe prudentiam, aut hanc præcipitationis inimicam eſſe, quodque abſque prudentia fit, id à lege diuina, ordine, & Chriſti Domini inſtituto alienum, & quæ ita tribuitur abſolutio ſacramentalis, nullam & prorſus irritam eſſe neſciat? Sed hæc alii aduerterint, mihi ſatis eſt obſeruare abſolutiones iſtas dici præcipites, ſeu præcipitatas, præmaturas, & alieno tempore datas, quia etiam in mortis articulo ſiue præuiis pœnitentiæ fructibus tribuuntur. III.

Addit ampliùs, *Eccleſiam has in morte factas conuerſiones adeò flocci feciſſe, vt per trecentos annos, & ampliùs, authoritatem ſui miniſterii à Chriſto acceptam, noluerit adhibere erga eos, qui totâ vitâ in vitiis traductâ, eam in vltima hora implorabant, idque tunc ab Ec-* IV.

cleſia factum eſt, cùm maiori zelo reſiſtebat inhumano rigori Nouatianorum, qui nimiâ ſeueritate (vt hæreſeos animus ad extrema ſemper fertur) peccatoribus ſpem omnem reſtitutæ communionis fidelium eripere volebant, cùmque hoc reſiſtendi illis ſtudio eadem Eccleſia plus compaſſionis, & teneri animi teſtabatur iis omnibus, qui à lapſibus reſurgere conabantur, ab ea tamen generali indulgentia, quam grauiorum criminum reis promittebat, excepit eos, qui nonniſi vi morbi preſſi, cùm pro peccatis ampliùs ſatisfacere nequibant, eam expoſcebant. Qua ex oratione omninò ſequitur authorem eum exiſtimaſſe per trecentos annos, & ampliùs, ab Eccleſia, abſolutionem ſacramentalem in qua ferè vnica remittendi peccata eius poteſtas exercetur, omnibus, qui nonniſi in mortis periculo eam petebant, negatam fuiſſe, quod cùm factum dicat, tunc temporis cum Eccleſia ob Nouatianos indulgentiſſima eſſe debuit, quid de hodierno Eccleſiæ vſu in concedenda facillimè eiuſmodi pœnitentia, & abſolutione ſentiat ille author, Lectori iudicandum relinquo.

V. Opinionem hanc ſuam conatur probare authoritate Sancti Cypriani, Concilii primi Arelatenſis, Innocentii primi ad Exuperium, ſempérque vrget, tunc peccatoribus illis negatam eſſe abſolutionem, quia per pœnitentiam peccata expiare, & dignos pœnitentiæ fructus facere non poterant, tantopere ad validitatem abſolutionis ſatisfactionem à Sacerdote impoſitam (eam enim ſolam valere ſæpiùs docet, & per

fructus pœnitentiæ dignos intelligit) neceſſariò præmittendam arbitratur.

Ad hæc pag. 411. addit, quod licet Eccleſia poſtea de priore illa diſciplina aliquid remiſerit, & in mortis articulo eos abſolutos, Euchariſtiæ participes fecerit, quantumuis tanto beneficio indignos, quia dum ſani erant, per dignos fructus pœnitentiæ ad illud accipiendum, ſe non diſpoſuerant, eadem tamen Eccleſia eiuſmodi reconciliationes, quas præcipitatas iterum appellat, adeò dubias habuit, vt nullam ſpem dederit peccatoribus fore, vt Chriſtus in cælo ratum haberet, quòd eius miniſtri in terris, nonniſi neceſſitate compulſi, vique coacti faciebant. Ait præterea pag. 414. Eccleſiam eas abſolutiones in mortis articulo non dediſſe, niſi cum ea perſuaſione, quod admodum incertum eſſet, vtrum illis eiuſmodi reconciliatio apud Deum quidquam opis conferret, iſque animas falleret, qui eas ſecuras redderet de peccatorum remiſſione hoc pacto accepta, id eſt, abſque prævia ſatisfactione à Sacerdote iniuncta. Huius enim ſolius defectus author ille ibidem & pag. 415. meminit, non verò interioris pœnitentiæ, aut contritionis debitæ, cuius tamen defectum non illius ſatisfactionis omnes Doctores Eccleſiæ, & ſi rectè intelliguntur Patres, eum vnicum timoris ſui, déque eorum peccatorum pœnitentia dubitationis cauſam afferunt. Rurſus, pag. 420. *reconciliationem eiuſmodi in morte datam, non niſi vi, & contra ſanctarum legum ordinem conceſſam, ab Eccleſia pro nihilo habitam eſſe*, nullumque inter eos ita abſolutos, & VI.

alios non abſolutos diſcrimen agnitum eſſe ait. Pag. 421. item eiuſmodi communionem, & ante fructus pœnitentiæ dignos abſolutionem datam, negat fuiſſe legitimam, id eſt conformem legi, & vero ſpiritui Eccleſiæ, quia erat communio vi extorta, data per indulgentiam, ſeu, vt loquitur, condeſcenſum, per neceſſitatem, per coactionem, quamque Eccleſia, ſi plena, & integra cum libertate ageret, nunquam concederet, & pag. 426. in mortis articulo peccatores abſolutos fuiſſe à Paſtoribus coactis, & ad id poſtea neceſſitate adactis, contra primum inſtitutum, verúmque Eccleſiæ ſpiritum Quæ autem neceſſitas iſta, viſque, & coactio fuerit, ibidem non explicat ille author, nec potuit intelligere, occaſionem indulgentiæ huius fuiſſe ſtudium reſiſtendi Nouatianis, cùm ibidem dixerit, tunc cum hæreſis illa orta eſt, & maximè viguit, Eccleſiam nihilominùs conſtanter negaſſe abſolutionem illis peccatoribus, qui toto vitæ tempore in incontinentia peracto, in morte illam poſcebant. Cap. autem 18. pag. 455. huius indulgentiæ vnicam cauſam ait eſſe temporum peruerſitatem, & cordium duritiem, ita tamen vt non poſſit oſtendi, quod mutationem hanc in diſciplina pœnitentiæ Eccleſia fecerit, per caput ſuum, id eſt Papam, quodque iſte, aut in priuato vllo Concilio, aut in œcumenico, ſeu totius Eccleſiæ Senatu id iuſſerit, & præceperit. Quamobrem author ille exiſtimat Eccleſiam primis illis quatuor ſæculis nunquam, ne quidem in morte, peccatoribus, niſi iam pœnitentia, & ſatisfactione impoſita functis abſolutionem

tionem ſacramentalem dediſſe, quique vſus contrarius poſtea irrepſit, legitimum non eſſe, ſed à Chriſti inſtituto, Eccleſiæ ſpiritu, legúmque ſanctarum præceptis alienum nullo ſummi Pontificis, conciliiue alicuius aut particularis, aut generalis authoritate defendi poſſe.

Sectio Secvnda.

Eccleſia pœnitentiam in mortis periculo poſcenti, nemini vnquam negauit.

Certum eſt ante Nicænam Synodum aliquibus in locis, peccatoribus nonnullis, in ipſo quoque mortis diſcrimine, negatam fuiſſe communionem legitimam, ſeu perfectam, atque adeò etiam viaticum Euchariſtiæ, ſeu communionem imperfectam. Id conſtat primo ex canone iſto Concilii primi Arelatenſis can. 12. de Apoſtatis, *De his qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Vtrum viatici communionem intelligat, meritò dubitari poteſt, negandúmque videtur, ſiquidem Nicęna Synodus conſuetudinem dandi morientibus viatici maximè neceſſarii, antiquam VII.

& canonicam appellat. Ita quoque intelligendum videtur, quòd Sardicenſis Epiſcopo ab vna ſede ad aliam commigranti, nec in fine Laïcam communionem concedit, & in Photii bibliotheca, cap. 52. de Synodo Sidetana contra Meſſalianos in epiſtola Synodica Neon Epiſcopus exclamauit, vt ſi quis poſt anathematiſmum vllo tempore deprehenſus fuerit, re, aut verbo in ſuſpicionem malæ huius ſectæ incidiſſe, nunquam locum poſtea teneat, nec ſi millies quidem pœnitentibus conſtitutas pœnas luiturum ſe pollicetur. Pari pœnæ & eum ſubiicit, qui illi conſentiat, applaudatue, ſiue Epiſcopus, ſiue quis alius ille fuerit. Quanquam non me latet, cùm de loco amittendo ſermo eſt, non tam de communione, quàm de dignitate, gradúque Cleri intelligendum eſſe. In Eliberino Concilio, non ſemel communio Dominica, & pax negata legitur, nunquam autem pœnitentia, aut etiam viaticum. Iſtud tamen ſi non aliquo Eccleſiæ decreto, ſaltem aliquorum priuato vſu, & conſuetudine, vt negatum eſſe probabile exiſtimem, facit authoritas Innocentii primi epiſt. ad Decentium cap. 2. qui erga eos qui poſt Baptiſmum, in incontinentia vitam duxerant, & in extremo eius fine pœnitentiam ſimul, & reconciliationis gratiam expoſcebant duplicem obſeruationem commemorat, itaut durior conceſſâ pœnitentiâ communionem negarit, cúmque inclinatiorem, quæ vtramque concedebat impoſterum ſeruandam iubeat, velítque cum pœnitentia extremam communionem quaſi viaticum profecturis concedi, inde ego colli-

go, quæ in illa duriore obſeruatione negata eſt communio, eam non tantùm plenam, ſed etiam viatici, & imperfectam fuiſſe.

Hoc verò poſito. Dico nemini vnquam ſaltem in morte pœnitentiam, & abſolutionem ſacramentalem fuiſſe negatam. Id probatur ex eodem Innocentio, qui in ipſa quoque duriſſima diſciplina pœnitentiam conceſſam fuiſſe ait, per datam autem pœnitentiam intelligi abſolutionem ſuperiùs oſtenſum eſt. Nec dicas Innocentium iubere communionem viatici dari, *ne Nouatiani hæretici negantis veniam, duritiem, & aſperitatem ſubſequi videatur*, atque ita tantùm id concedi, quod Nouatianus negauit, ſcilicet abſolutionem. Nam certum eſt Nouatianos maximè offenſos fuiſſe, quòd ad communionem lapſi in idololatriam reciperentur, ſuáque, vt aiebant, contagione communicantes alios, & Eccleſiam polluerent, quod de ſacramentaliter abſolutis quidem, ſed communionis expertibus dicere non poterant. Deinde non abſque ratione Innocentius ait id ſe facere, ne duritiem Nouatiani hæretici ſubſequi, id eſt, licet totum errorem non amplectatur, nihilominùs ei fauere, & ab eo minùs abhorrere videatur, ſi vel ex parte eius duritiem ſequatur. Ita ob varias exortas hæreſes, nonnulla, quæ antea ab Eccleſia laudabiliter vſurpabantur, cœperunt poſtea prohiberi, aut certè ſuſpecta eſſe, ſicut ob errorem Manichæorũ, vini abſtinentia, nonnullorum dierum ieiunia; cúmque digami initio pœnitentiæ legibus eſſent obnoxii, poſt errorem Montani, ab ea ſeueritate diſciplinæ liberati ſunt. VIII.

IX. Enimuerò, ſi quando aliquibus peccatoribus abſolutio ſacramentalis negata eſt, cur ſtatim ac Nouatus eam idololatris negandam cenſuit, ei adeò conſtanter Patres reſtiterunt, cur hæreſeos damnatus eſt, qui quod fiebat ex Chriſti inſtitutione, & legum ſanctarum diſciplina ſeruandum eſſe voluit? Viderint autem alii, quàm longè à Nouatianorum primis erroribus (ſuos enim progreſſus habuerunt) abſint, qui ex Chriſti lege aiunt in morte negatam eſſe abſolutionem ſacramentalem, ob ſatisfactionis defectum. Niſi enim à ſcopo meo deflecterem, & longior, quam inſtitui forem, facilè ex Sancto Cypriano probarem Nouatum initio non quibuſlibet peccatoribus, ſed ſolis idololatriæ reis, ſiue ſacrificatis, vt loquitur Sanctus Cyprianus, ſiue libellaticis pacem, & communionem negandam cenſuiſſe, & quia Catholici, quos Eccleſia ad pœnitentiam admittebat, eos iuris aliquid ad communionem obtinere contendebant, idcirco iiſdem pœnitentia, ſeu abſolutione interdictum eſſe voluit Nouatus, quem S. Cyprianus malè refelleret, ex eo quod iniquioris conditionis libellaticos, quàm raptores faciebat, & immeritò mæchiam auaritiamque genus aliquod idololatriæ eſſe diceret; niſi inter illos peccatores Nouatus diſcrimen aliquod agnouiſſet, nec æquè eos omnes à ſpe veniæ reieciſſet. Lege Sanctum Cyprianum epiſtola 52. ad Antonianum, & ibi animaduerte Nouatum primã ſchiſmatis, quod poſtea in hæreſim defecit, occaſionem ſumpſiſſe ex eo, quod in idololatriam lapſis, & libellaticis, ob perſequutionem imminentem ante

perfectum pœnitentiæ tempus, pax & communio conceſſa eſt. Lege & Sanctum Pacianum in epiſt. 3. vbi redarguit Nouatianum quod auaros ebrioſos, & maledicos recipit *Reſponde*, inquit, *frater, an nullus eiuſmodi veſtra pace teneatur*. Eſt tamen in eodem Innocentio, in quo aduerſarii fortè cauillentur. Ait enim illis peccatoribus dandam eſſe cum pœnitentia communionem, vt illi à perpetuo exitio vindicentur, ad quod ſufficeret ſola pœnitentia, ſi abſolutionem ſacramentalem complecteretur. Sed alibi reſpondi à Nicæno viaticum maximè neceſſarium dici, & non rarò Euchariſtiam cum Bptiſmo hac in parte à Patribus comparari; nec poſſe negari, quin Euchariſtia maximè ſit adiumento ad ſalutem conſequendam. Niſi enim manducauerimus carnem Chriſti Domini, non habebimus vitam in nobis. Eſt & illuſtriſſimum de pœnitentia cuilibet eam in morte poſcenti conceſſa teſtimonium Cæleſtini ſuperiùs à me productum, vt probarem per pœnitentiam datam, intelligi abſolutionem ſacramentalem. Habetur in epiſtola ſecunda ad Epiſcopos Galliæ capite 2. & in eo Papa ſanctiſſimus horret impietatem eorum, qui pœnitentiam morientibus denegant, quaſi de pietate Dei deſperent. Legatur caput proximè antecedens, ſect. 2. Addetur & aliquid in fine huius capitis quod huc ſpectare poteſt.

Sectio Tertia.

Nemini vnquam abſolutio ſacramentalis in morte negata fuit.

X. Hoc probatur ex antea dictis. Cùm enim per pœnitentiam Innocentius & Cæleſtinus abſolutionem ſacramentalem intellexerint, illamque duriſſimis temporibus poſcenti ſemper conceſſam dicat Innocentius, non abſque impietate, & crudelitate negari poſſe Cæleſtinus aſſeueret, quis dubitet, quin quod adeò vehementer reprehendit, nunquam in vſu Eccleſiæ, aut ab hac decretum fuerit? Adde rationes Cæleſtini id omnino euincere, qui nimirum non annuit morientium deſideriis, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ remedio ſubueniri, ſéque peccatorum ſuorum onere liberari cupiunt, eum de Dei pietate deſperare, eum denegare veniam, quam eos ſperare iubet clementia Dei, ad ſubueniendum paratiſſimi, & ad pœnitentiam quouis tempore incitantis. Quaſi dicat. Miniſter Chriſti, & Vicarius eos malè repellit à venia, quos Deus ad eam per pœnitentiæ Sacramentum obtinendam inuitat, & niſi illud expoſcant comminatur.

XI. Hoc argumento Patres contra Nouatianos frequenter vſi probant neminem à pœnitentiæ Sacramento arceri poſſe. Cùm enim de pœnitentia & peccatorum venia contra illos hæreti-

cos diſputatur, non niſi de ſacramentali agitur; ſi quidem illi non ſolùm aliam quæ à Deo abſque Eccleſiæ clauium miniſterio obtineri poteſt non negabant, ſed eam maximè pollicebantur peccatori, qui ab Eccleſia depoſitus abiectuſque totum ſe diuinæ miſericordiæ committebat. *Pœnitentia*, inquit Tertullianus iam Montaniſta, & Catharorum Anteſignanus, in libro de Pudicit. capite 3. *ad Dominum remiſſa, & ex inde illi proſtrata, hoc ipſo magis operabitur veniam, quòd eam à ſolo Deo exorat, quòd delicto ſuo humanam pacem ſufficere non credit, quòd Eccleſiæ mauult erubeſcere, quàm communicare &c.* quæ alibi referre me memini. Præterea cum Patres hoc argumento velint probare peccatores ab Eccleſia ad pœnitentiam admittendos eſſe, neceſſe eſt eos loqui de ſacramentali, in qua ſolũ Eccleſiæ claues aliquid facere poſſunt.

XII. Sanctus Cyprianus in epiſt. 52. ad Antonianum rationem illam ſic proponit. *Iacet ecce ſaucius frater ab aduerſario in acie vulneratus;* cuiuſmodi eſt poſt acceptam abſolutionem ſacramentalem in peccatum mortale iterum lapſus, & in mortis periculo poſitus. *Inde diabolus conatur occidere quem vulnerauit, hinc Chriſtus hortatur, ne in totum pereat quem redemit.* Nec enim S. Cyprianus pro ſolis prædeſtinatis, aut aliquibus tantùm peccatoribus Chriſtum mortuum eſſe exiſtimat, qui quemlibet fratrem ſaucium à Chriſto, quantum in eo ſitum eſt, redemptum eſſe ait, nec quemquam Chriſtus ad pœnitentiam hortaretur, niſi eum

ipſe redemiſſet, ſeu pretium redemptionis eius dediſſet, quo vt ipſe vti velit eum hortatur. *Cui de duobus aſſiſtimus*, Miniſtri Chriſti, & ab eo remittendi peccata poteſtate præditi, *in cuius partibus ſtamus? Vtrumne diabolo fauemus, vt perimat, & ſemianimem fratrem iacentem, ſicut in Euangelio Sacerdotes & Leuitæ prætterimus? an verò vt Sacerdotes Dei & Chriſti, quod Chriſtus & docuit, & fecit imitantes vulneratum de aduerſarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reſeruemus?* Niſi ergo Sacerdos Chriſti eum qui pœnitentiam petit, nec niſi ex Chriſti inſpiratione, adhortatione & imperio eam petit, rapiat de faucibus diaboli, ſua remittendi peccata poteſtate vſus, diabolo fauet, ei aſſiſtit, & ab eius partibus ſtat. Subiicit ibidem apud ſuos anteceſſores in Africa quoſdam de Epiſcopis *dandam pacem mœchis non putaſſe, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſiſſe*. At eoſdem *duritiæ, & cenſuræ obſtinatæ* damnat, tantùm abeſt, vt id vllo Eccleſiaſticæ diſciplinæ præcepto, inſtitutoque fecerint, déque illis quid ſentiat ita loquitur. *Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, vt dandam non putent lapſis pœnitentiam* (loquitur de lapſis in idololatriam, quorum in perſecutione conditio iniquiſſima erat) *aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cùm ſcriptum ſit: Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & fac opera priora. Quod vtique ei dicitur quem conſtat cecidiſſe, & quem Dominus hortatur rurſus exſurgere .... alio item loco pœnitentiæ tempus datur, & pœnitentiam non*

Digitized by Google

agenti Dominus comminatur .... quos vtique ad pœnitentiam non hortaretur, niſi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur.

Atenim, inquies, ſermonem illum ad pœnitentiam paræneticum ſic concludit. *Et idcirco frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum* XIII.
At reſpondeo S. Cyprianum durioris illius obſeruationis, cuius Innocentius meminit, tunc ſenſum habuiſſe, vt ſcilicet illis qui toto vitæ tempore incontinenter tranſacto in mortis periculo reconciliationem petebant, *ſpes communicationis & pacis*, & ſi ita placet, viatici præcideretur, non autẽ negaretur pœnitentia, quam Sanctus Cyprianus illis negari hîc non iubet, niſi ſibi omnino contradicat, & qui omnes pœnitentiam humiliter petentes ad eam admitti priùs iuſſerat, eos ſtatim mutata ſententia ab eadem repellendos exiſtimet. Nec eſt prætereundum S. Cyprianum hîc non niſi de lapſis in idololatriam loqui, déque illis qui in mortis articulo ita deprecantur, vt manifeſta lamentationis profeſſione non teſtentur ex intimo animi affectu ſe peccati pœnitere. Addiderim S. Cyprianum longè aliter quàm nuperos iſtos doctores de pœnitentia in mortis periculo petita ſentire, nec

morti vicinum abſolutione indignum arbitrari, quia dignos pœnitentiæ fructus, vt illi loquuntur, ſeu ſatisfactionem agere non poteſt, ſed quia tunc prudenter dubitari poteſt, an eum *delicti pœnitentia*, & vera conuerſio ad deprecandum compellat, cuius ſi argumenta certa & idonea peccator ille dat, eum abſque dubio ad pacem admittendum eſſe Sanctus Cyprianus exiſtimat.

XIV. Ac ne quis de eius mente dubitare queat; ſic tandem orationem ſuam concludit. *Quod legentes ſcilicet & tenentes, neminem putamus à fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum: cùm ſciamus iuxta ſcripturarum diuinarum fidem authore & hortatore ipſo Deo, ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari.* Nec hortationem ad pœnitentiam cui ſubtrahatur medicina, & quâ perctâ nihilominùs pœnitens extra Eccleſiam moriatur, dubitat appellare *fruſtrandæ fraternitatis irriſionem, miſerorum lamentantium caducam deceptionem, & hæreticæ inſtitutionis ineſſicacem & vanam traditionem.* Si enim ſemel ſtatutum fuerit, vt quantumuis quæcumque ad pacem pertinent, peccator faciat, nullam tamen pacem, quam quærit accipiat, *Quis non ſtatim pereat? quis non ipſa deſperatione deficiat? quis non animum ſuum à propoſito lamentationis auertat?* .... *Præcludere eſt atque abſcindere per doloris, ac pœnitendi viam, vt cùm in ſcripturis Dominus Deus reuertentibus ad ſe, & pœnitentibus blandiatur; noſtra duritia & crude-*

litate, dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollatur. Quod ſi inuenimus à pœnitentia agenda neminem (nec relapſum, nec cuiuſcumque criminis reum ſaltem in mortis articulo *debere probiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundùm quod ille miſericors & pius eſt, per Sacerdotes eius pacem poſſe concedi: admittendus eſt plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos cõfeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt: qui ex toto corde pœnituerint, & rogauerint, in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, &c.*

Nec dicas S. Cyprianum de iis qui ſatisfecerint, loqui. Notum enim eſt ſatisfactionem, non rarò, quemadmodum & confeſſionem ſuſcipi pro pœnitentia, quia in hac iam eſt aliqua ſatisfactio, íſque quantùm in ſe eſt ſatisfacit, qui quamcumque facere iuſſus fuerit, pœnitentiam acceptam habet. Ac ne contentioſiùs hic agam, aut quis tergiuerſetur. Nonne quilibet peccator, Deo hortatore, ad pœnitentiã etiam, ſi ad finem vſque vitæ contumaciter reſtiterit, tunc agendam compellitur? Nonne, ſi vt poteſt, verè ingemiſcit, plangit, miſericordiam Dei exorat, certum eſt illam pœnitentiam, *ex Dei inſpiratione conceptam eſſe*, vt loquitur S. Leo? At cuilibet eiuſmodi pœnitentiam negare duritiæ & crudelitatis eſt, inquit Cyprianus. Igitur quicumque peccator in mortis articulo deprecatur, & diuinam miſericordiam exorat, quia apud inferos, quò niſi Deus miſericors ſuc- XV.

currat, peccator præceps ruit, nulla eſt confeſſio nec exomologeſis, nec abſolutioni dandæ locus, per Sacerdotes admittendus eſt, & ſaltem ſacramentaliter abſoluendus.

XVI. De iiſdem vel relapſis, vel in morte tantùm de vita ſua ſcelerata, & in perpetua incontinentia. Deique contemptu traducta pœnitentibus, & Eccleſiæ auxilium implorantibus idem omninò dici poteſt, quod de lapſis in idololatriam S. idem Cyprianus ait in epiſt. 54. *Nec fas eſt, nec permittit paterna pietas, & diuina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, vt de ſæculo recedentes ſine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cœlis ligata eſſent; ſolui autem poſſent illic, quæ hîc priùs in Eccleſia ſoluerentur.* Præterea in tota illa epiſtola, ſignificat nemini ſaltem in fine vitæ pacem & communionem negari poſſe, etiamſi fortè inter tot lapſos non pauci eſſent, qui ante idololatriæ lapſum, peccata ſua pœnitentia ſacramentali non expiaſſent. Certè neminem pœnitentem excipit, & Sacerdotes hac in parte rigidiores increpat, verbis quæ in aduerſarios facillimè contorqueri queant. *Nonne*, inquit, *nobis vel negligentia ſegnis, vel duritia crudelis adſcribetur indie iudicii, quod Paſtores creditas, & commiſſas nobis oues, nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare*, quod vehementiſſima oratione perſequitur: atque inter cætera alia quod de pace lapſis danda decernit, *paternæ miſericordiæ con-*

templatione ſe velle, & quod fidei, & charitati, & ſollicitudini congruit, proferre, & ſi quis aliter ſenſerit, eum *Domino in die iudicii vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ rationem redditurum*, grauiſſimè affirmat. Ac demùm in epiſtola 55. qua Cornelium hortatur, vt eccleſiaſticam diſciplinam tueatur, nec ſacerdotalem cenſuram ſolui permittat ſuum erga pœnitentes animum, & inſtitutum ſic proponit. *Nec Eccleſiaſtici contra aliquem clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur, patientia, & facilitas, & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto vniuerſos commilitones noſtros, intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi: remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno iudicio religionis examino, delictis pluſquàm oportet remittendis penè ipſe delinquo; amplector prompta, & plena dilectione cum pœnitentia reuertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili, & ſimplici confitentes. Si qui autem ſunt, qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus ſed minis regredi poſſe, aut exiſtimant aditum ſe ſibi non lamentationibus, & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere, pro certo habeant contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini.*

Eodem quoque argumento Sanctus Ambroſius contra Nouatianos vtitur in libro 1. de Pœnit. cap. 2. commendatáque Dei miſericordia nullum prorſus crimen excipi poſſe contendit, ùm de venia per Sacramentum pœnitentiæ ob- XVII.

tinenda agitur; Nouatianos quod inter peccatores diſcrimen aliquod hac in parte ponerent, reprehendit, & in vniuerſùm docet à Sacerdotibus eos omnes peccatores abſoluendos eſſe, quibus ſi pœnituerint, Deus miſericors veniam pollicetur, ac nominatim refellit nuperos iſtos Doctores, qui peccatoribus in fine vitæ pœnitentiam datam aliud nihil, quàm luendæ pœnæ, ſi conualuerint, obligationem indicatam intelligunt, nec eis abſolutionem conceſſam eſſe volunt. *Tolerabiliùs*, inquit, *Nouatiane remitteres, quàm ligares. Aliud enim quaſi delinquendi pareus vſurpares, aliud quaſi ærumnæ compaſſus ignoſceres. Sed aiunt* (Nouatiani poſteriores, quique tunc viuebant) *ſe exceptis grauioribus criminibus relaxare veniam leuioribus. Non hoc quidem author erroris veſtri Nouatus* (in progreſſu videlicet erroris ſui, nam initio ſolos in idololatriam lapſos reieciſſe antea inſinuaui) *qui nemini dandam pœnitentiam putauit, ea ſcilicet contemplatione, vt quod ipſe non poſſet ſoluere, non ligaret, nec ligando ſperari à ſe faceret ſolutionem. In eo igitur patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſoluenda à vobis putetis; & quæ ſine remedio eſſe arbitremini. Sed Deus diſtinctionem non fecit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine vlla exceptione conceſſit.* Nouatianæ igitur crudelitatis adminiſter eſſet, non Chriſti Sacerdos, qui peccata aliqua exciperet, cúmque ſine vlla exceptione peccata relaxandi licentiam

haberet, non omnibus veniam petentibus daret, quam Deus ipſe omnibus promiſit. Et l.b. 2. capite 3. poſtquam multis probauit, quia nos ad precandum non impellimur, niſi merendi gratiâ Sacramenti, quique pœnitentiam ſine ſpe reconciliationis indicunt, hoc auferre velle propter quod agitur pœnitentia, ſic tandem concludit orationem. *Ergo euidentiſſimè Domini prædicatione mandatum eſt, etiam grauiſſimi criminis reis, ſi ex toto corde, & manifeſta confeſſione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cœleſtis refundendam gratiam.*

SECTIO QVARTA.

Exponuntur Sancti Patres, qui opponi ſolent.

NOn ſum neſcius SS. Ambroſium & Cyprianum, non ſolùm de abſolutione ſacramentali, ſed etiam de pace, & communione ſaltem viatici loqui. Nec ſi Patres Elberitani Concilii, de cuius authoritate non diſputo, exceperis, quemquam reperio, qui planè aſſerat aliquibus in morte viaticum eſſe negatum, cùm nec id ita diſertè dicat Innocentius, quodque de rigidiore illa, & duriore obſeruatione ait, non incommodè de Eliberitanis illis intelligendum videatur, ſed id vnum duntaxat dicò, quibus conceſſa eſt pax, abſolutionem ſacramentalem negatam non fuiſſe, Patrum Nicænorum teſti- XVIII.

Digitized by Google

monio ex antiqua & canonica lege nulli Euchariſtiæ viaticum vt pote maximè neceſſarium negatum fuiſſe, ac licet negatum diceretur, ex S. Innocentio iiſdem quibus illud negatum fuiſſet, pœnitentiam nihilominus datam fuiſſe, & ſi Sanctum Ambroſium, Sanctum Cyprianum, & rationem ipſam audimus, qui Sacerdos ita pœnitentiam daret peccatori, vt ſola pœna indictâ, eum ſacramentaliter non abſolueret à culpa, is haud dubiè impiè contra fas omne & ius faceret, vt pote qui non ſolueret quem obligaſſet, éiq; pœnitentiæ fructum & ſpem veniæ negaret.

XIX. Ac ne de Africanis illis erga adulteros durioribus Epiſcopis aſperiùs loqui videar, qui eos contra ius omne, & fas, contra Chriſti inſtitutum, & Eccleſiæ diſciplinam, mæchis pœnitentiam, & peccati veniam negaſſe dico, audiatur Sanctus Auguſtinus, qui hunc eundem Sancti Cypriani locum referens in epiſtola 48. ad Vincentium Donatiſtam, contra illos ſic pronuntiat. *Si quod veritas habet, & quod Eccleſia meritò tenet, rectè pœnitentibus adulteris pax dabatur* (Sancti videlicet Cypriani tempore) *illi qui in totum locum pœnitentiæ contra adulteros claudebant, impiè vtique agebant, qui membris Chriſti ſanitatem negabant, & claues Eccleſiæ pulſantibus ſubtrahebant, & miſericordiſſimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea ſinebat viuere, vt pœnitendo ſanarentur ſacrificio contriti ſpiritus & contribulati cordis oblato dura crudelitate contradicebant.* Quem hîc adulterum ponit Sanctus Auguſtinus, tu quemuis alium cuiuſuis facinoris, aut flagitii reum, & ſi placet

ſi placet ſeptuagies ſepties poſt acceptam abſolutionem relapſum finge. Is enim nihilominùs membrum Chriſti adhuc eſt, licet mortificatum, is fores Eccleſię pulſat, eum miſericordiſſima Dei patientia propterea ſinit viuere, vt pœnitendo ſanetur, & ob id ſacrificium contriti ſpiritus & cordis contribulati offert. Ille igitur Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ Paſtor, iudice Auguſtino, aget impiè, qui pœnitenti illi ſanitatẽ negauerit, claues Eccleſiæ ſubſtraxerit, & miſericordiſſimæ patientiæ Dei dura crudelitate contradixerit.

Nec alius eſt ſenſus S. Paciani, nec alia aduerſus eoſdem Nouatianos expoſtulatio, epiſt. 1. ad Sympron. *Quod ſi hæc homini*, inquit, *ſuo Dominus prouidit, ſi idem ſtantibus præmia, qui iacentibus remedia largitus eſt, deſinite diuinam accuſare pietatẽ, aut tot cæleſtis clementiæ titulos obiectu rigoris eradere, aut gratuita Domini bona inobſecrabili aſperitate prohibere. Non hæc largimur de noſtro, conuertimini ad me &c .... habet-ne tam diuturnum ſerpens venenum, & Chriſtus non habet medicinam? diabolus in mundo interficit, Chriſtus hîc non poteſt ſubuenire? pigeat ſanè peccare, ſed pœnitere non pigeat ... Quis naufrago tabulam, ne euadat eripiat? Quis ſanandis vulneribus inuidebit?* multiſque enumeratis ex Apocalypſi peccatoribus addit, *& tamen omnes ad pœnitentiam ſatisfactionis inuitat .... Nemo ſine fructu imperat laborem .... Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poteſt. Verum eſt, ſed quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas* XX.

eſt. Nunquid eſt illud quod Apoſtolis dicit: Quæ ligaueritis in terris... Scio fratres, hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſsim omnibus dari, nec antequam aut interpretatio diuinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari, &c. Loquitur de venia pœnitētiæ, quam *tum magno pondere, magnóque libraminė poſt multos gemitus, effuſionėmque lachrymarum* dari vult, conditiones, quibuſcum etiam pax ipſa, & reconciliatio pœnitentibus conceditur, deſcribit. At in his omnibus exceptionibus non fit mentio ſatisfactionis & pœnitentiæ, quæ à Sacerdotibus iniuncta fuerit, perſolutæ non primi poſt Baptiſmum lapſus, non confeſſionis ante mortis periculum factæ, aut pœnitentiæ inchoatæ, ſed tantùm gemitus, lachrymarum, & aliorum eiuſmodi ſignorum, quibus pœnitens ſe ex animo deteſtari peccata, & conuerti teſtetur.

XXI. In epiſt. 3. multis probat nulla peccata, vel magna, vel modica, excipi à Chriſto dicente quorum remiſeritis peccata .... Petro præcipi, vt ſeptuagies ſepties relaxetur, quod peccatur in hominem, quod tamen & Dominum lædit, ſolam blaſphemiam, ſeu peccatum in Spiritum ſanctum, ſcilicet impœnitentiam, non dimitti, *reliqua bonis pœnitentibus donari...., ſicubi conſtitutam peccantibus pœnam probaueris, hoc tenebis, aut peccatis perſeuerantibus conſtitutam, aut libertatem Deo relictam mutandæ, ſi pœniteas ad meliora ſententiæ.* Quæ à Nouatianis pro peccatoribus à communione expellendis, ſcripturæ loca proferuntur, *non*

de pœnitentibus, ſed de his qui non ſolùm ipſi in facinore perſeuerant, verùm etiam nos ſcandalizare non deſinunt. intelligenda eſſe. Quæ cùm aduerſus Nouatianos dicantur à Sancto Paciano, non de alia, quàm de ſacramentali pœnitentia accipienda ſunt; eam enim ſolam peccatoribus negandam hæretici illi cenſuerunt. Quamobrem, ex eodem S. Paciano, nemo niſi impœnitens, *ſeu qui necdum pœnituerit, qui necdum improbus eſſe deſierit* à Sacramento pœnitentiæ in Eccleſia vnquam arceri potuit, cùm Nouatiani ipſi intelligere debuerint, *Deum poſſe miſereri miſeris fratribus de præterito confitentibus, vel ſeram*, ſcilicet in fine vitæ, *patere medicinam: vulneratum illum à Leuita & Sacerdote præteritum, per Chriſtum poſſe curari; Eccleſiæ preces humilibus non denegandas, manus Sacerdotum miſerandis fratribus exhibendas.*

Ad hæc adde, ſi cui vnquam abſolutio ſacramentalis negata eſt, illum potiſſimum fuiſſe, qui poſt eam iam acceptam in ſimilia peccata grauia relapſus eſt, aut qui toto vitæ tempore in incontinentia traducto, non niſi in fine vitæ pœnitentiam petit. At vtrique illam conceſſam eſſe ſuperiùs oſtendi de iterata pœnitentia diſſerens, déque pœnitentia in morte conceſſa, & ex mandato Eccleſiæ concedenda. Qua de re extat egregium Diui Leonis edictum, non nouum, ſed antiquæ diſciplinæ inſtitutum, epiſtola 91. capite 4. *His qui in tempore neceſſitatis .... præſidium pœnitentiæ, & mox re-* XXII.

rem, & redemptam, non toties liberaret? ... Qualis hic medicus, qui malum iteratum neſciret curare? Medicorum enim eſt centies infirmum viſitare, centies curare .... Memor eſt ſui qui promiſit, Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Quem enim peccatorem excludit? Addit Paulum ter Corinthios correxiſſe. *Oportebat enim, vt quoties videret eos cadere, toties iuuaret eos ſurgere. Memor enim erat illius qui dixerat, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Scimus autem & primos Patres, & in omni tempore Eccleſiam Dei ſemper vſque in ſeptuagies ſepties quod eſt ſemper peccata dimittere. Quam poteſtatem iſti ab Eccleſia Dei conantur auferre. Oportet enim ſic Eccleſiam credere, quæ confitetur ſe ſæpe peccare .... Quapropter eliminandus eſt ab Eccleſia iſte error, qui vnquam pænitentibus negat indulgentiam.*

Quod autem aduerſarii ſeram, & in morte XXIV. ſuſceptam pœnitentiam adeò dubiam ob ſatisfactionis defectum & pro nihilo à Patribus ſemper habitam fuiſſe aiunt, pro omnibus Patribus vnus Sanctus Ambroſius illis ſic reſpondet in oratione funebri Valentin. ſtatim poſt initium. *Beatus planè qui vel in ſenectute correxit errorem, beatus qui vel ſub ictu mortis animum conuertit à vitijs. Beati etiam quorum tecta ſunt peccata, quia ſcriptum eſt, Deſine à malo, & fac bonum, & inhabita in ſæculum ſæculi. Quicumque ergo deſierit à peccatis, & fuerit ad meliora in quacumque conuerſus æta-*

te, habet ſuperiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit vel pœnitendi confeſſus affectu, vel corrigendi auerſatus ingenio. Sed huic cum pluximis veniæ ſocietas emerendæ. Plurimi enim ſunt, qui ſe à peccatis & lubrico iuuentutis in ſenectute reuocare potuerunt, rarus autem qui in iuuentute graue iugum ſeria ſobrietate portauerit. Quem tu quaſi depoſitum, & deſperatum ab Eccleſia pronuntias, Ambroſius beatum prædicat, & non vnum aut alterum, ſed plurimos in fine vitæ veniam promeritos, quia peccata confeſſi ſunt affectu pœnitendi, numerat.

Sectio Qvinta.

Fauſto Regienſi reſpondetur.

XXV. EVm laudant aduerſarii parte 2. cap. 15. de freq. Communione pag 417. qui Paulino Burdegalenſi Euchariſtici authori, vt Pater Sirmondus in ſuis ad Auiti epiſtola 4. exiſtimat, reſpondens pœnitentiam in mortis diſcrimine petitam omninò damnare videatur. Vt autem quid de Fauſti mente ſentiam, planè, & apertè ſignificem, Paulini quæſtionem, eiuſque reſponſionem vt eam Pater Sirmondus ex codice Corbeienſi legit, propono. *Percunctator* ex Marino Heremita, inquit Paulinus, *accedo, ſup*

peccatis carnalibus inuolutus, omnia quæcumque poteſt crimino ſus exerceo, cum diem humanæ ſortis impleuero, pœnitentiam ſubitam ſum conſequutus, ſi excludat pro parte peccatum, an ad integrum, cupio cognoſcere Quam quæſtionem clariùs ſic proponi poſſe exiſtimo Cùm pœnitentia poſt Baptiſmum legitimè facta & plena, æquè ac Baptiſmus peccatorem ob omni culpæ, & pœnæ, tam æternæ, quàm temporalis reatu liberare poſſit, quæritur an criminum grauiſſimorum reus, quique ea fecit quæ crimino ſus poteſt, quia ex vſu Eccleſiæ in mortis articulo, pœnitentiam quandam accipit, is non tantùm *pro parte*, ſed etiam ad integrum à peccati vinculis liberum ſe prudenter credere poſſit Non eſt igitur de partiali, ſed de totali peccatorum remiſſione quæſtio, quaſi non dubitet, quin ea *ſubita pœnitentia peccatum pro parte excludat.* Quænam autem alia quàm à culpa, aut hac abolita, à pœna *pro parte* peccati excluſio, & partialis remiſſio iſta ſit, non poteſt intelligi, Quare Marini, Pauliníque dubitatio eſt, an illa adeò breuis ſatisfactio, & *pœnitentia ſubita* totam pœnam temporalem expungat.

XXVI. Quamobrem Fauſtus non malè hac de ſola integra peccati remiſſione loquutus noſtram controuerſiam nullo modo attigiſſe cenſendus eſt, cùm ita reſpondet *Primo loco inquirendum putaſti, ſi incumbentibus extremæ neceſſitatis anguſtijs, momentanea pœnitentia capitalis inimici perſuaſione mentitur, qui maculas*

longa ætate contractas ſubitis etiam inutilibus abolendas gemitibus arbitratur: quo tempore confeſſio eſſe poteſt, ſatisfactio eſſe non poteſt. Nam quia Deus non irridetur, ipſe ſe decepit, qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam iam ſemiuiuus adſurgit; vt tunc officioſus appareat, quando dominicæ ſeruituti omnia corporis & animæ ſubtrahuntur officia. Circa exequendam interioris hominis ſanitatem, non ſolùm accipiendi voluntas, ſed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus, Si inquit, peccator pœnitentiam egerit pro peccatis ſuis, egerit, memorauit, non ſolùm dixit acceperit) in ſua, inquit, iuſtitia, quam operatus eſt, viuit. Aduertas quod huiuſmodi medicina, ſicut ore poſcenda, ita opere conſummanda eſt. Inſultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire quo potuit: & illo tunc incipit velle, quo non poteſt. Opus itaque eſt, vt quàm in peccando fuit abrupta & vegeta ad malum mentis intentio, tanta ſit in vulnerum curatione deuotio. Ita Fauſtus, quem, vt monui, de plena peccatorum, etiam quoad pœnæ temporalis reatum, remiſſione loqui non videtur adeo incredibile, cum de alia peccati remiſſione interrogatus non fuerit. Adde quod in ſecunda quæſtione qua ex eo quæſitum eſt, *vtrum ſola proficiat ad ſalutem vnica ſcientia trinitatis.* Poſtquam ſolam fidem non ſufficere probauit, ſuam reſponſionem ita concludit. *Tria itaque hæc capitalia, ſacrilegium, adulterium, homicidium, niſi hîc perfecta pœniten-*

tiæ fuerint expiata remediis, perennibus illic concremabantur incendijs Tria nimirum illa crimina ſola commemorat, quæ tunc ſine pœnitentia publica ab Eccleſiæ Antiſtitibus non remittebantur, & quorum rei ex mandato Eccleſiæ ad luctuoſam illam pœnitentiam conſtricti tenebantur. Non igitur de pœnitentia, & abſolutione ſacramentali loquitur, nec enim hæc trium illorum duntaxat, ſed omnium peccatorum mortalium remedium neceſſarium ſemper fuit Si verò Fauſtum de cuiuſlibet peccati mortalis quoad culpam remiſſione interpretari placet, pro qua obtinenda momentaneam illam pœnitentiam ſatis eſſe negat, facilè eſt reſpondere eum loqui de falſa, mendacíque pœnitentia, non de ſincera, & verè in animo concepta. Idque ſatis clarè ſignificant, eius verba, loquitur enim *de pœnitentia momentanea, quæ capitalis inimici perſuaſione mentitur*, quámque in fine epiſtolæ *momentaneam pœnitentiæ vmbram* appellat.

Denique quidquid Fauſtus Regienſis de pœnitentia in articulo mortis petita ſentiat, nemo Catholicus, vt opinor, non potiùs aſſentietur Sancto Viennenſi Archiepiſcopo Auito, qui in epiſtola 4 Fauſti huius reſponſionem damnat. *Hic*, inquit, *quantùm ad frontem pertinet, quaſi abſtinentiſſimam vitam profeſſus, & non ſecretam crucem, ſed publicam vanitatem, iactantia ventoſi tumoris exaggerans, quantùm potuit, auditoribus venenatam diſputationem velut indeclinabilis virtutum ſeruator indixit.* XXVII.

Et Gundobadum Regem alloquutus, *Pœnitentiam*, inquit, *quam propriè momentaneam nominaſtis, id eſt in ægritudine quaſi ſub momento mortis acceptam nihil aut nulli prodeſſe, aduerſa veritati, & admodum cruda definitio eſt. Apud diuinam quippe miſericordiam vel ipſa humilitas confitẽtis non debet fructu carere.* Nota humilitatem confitentis, quia aliqua ſatisfactio eſt, non tantùm pro culpæ, ſed etiam pœnæ alicuius temporalis remiſſione valere. *Quia cùm legimus, quod qualitate vitæ anterioris abolita, quia plerumque contingit, & peccare iuſtos, & reſipiſcere peccatores, in ea quis via iudicetur, qua obitus ſui tempore fuerit deprehenſus incunctanter credenda eſt, vel ipſa correctionis voluntas placere, ſi vera ſit. Sed totum apud cæleſtem clementiam fidei qualitate penſatur...... Sicut & Niniuitarum breuiſſima pœnitudo, omnem indulgentiæ ſummam triduo feruente mercata, gladium peccatricis vrbis ceruicibus imminentem, quem iam ictui deſtinato per manum Ionæ Prophetæ ſtatuta vibrauerat, repagulo conſonæ ſatisfactionis obtudit. Contradicant autem exemplis huiuſmodi, quos veriùs reddit appetita ſuperbia turgidos, quàm conſcientia illibata ſecuros.*

XXVII. Enimuerò, vt quod de hac diſputatione ſentio, dicam, exiſtimo Sanctum Auitum non de ſacramentali pœnitentia loqui, ſed de ſolenni qua morientes habitu ſacro pœnitentinm accepto, continentiæque perpetuæ voto nuncupato, ſe (vt de religioſa profeſſione communiter

creditur) tanquam altero Baptiſmo integram peccatorum indulgentiam accipere credebant, quodque, vt ſupra monui, tam Fauſtus, quam Paulinus, & Sanctus Auitus, remiſſionem peccatorum quoad pœnæ temporalis reatum pleniſſimam intelligant, ſuadet quod Auitus de Niniuitis ait, & quod ſubiicit. *Hoc tamen loco, quid ſæpe doleam, quia fandi licentiam dignamini præſtare, confiteor. Contriſtamur nonnunquam in hac noſtrorum facilitate, quòd rem tam pretioſam pro leui accipere graue diſcrimen eſt. Cùm enim videntur pœnitentiam precibus ac lachrymis poſcere, impium dicimus denegare. Sin igitur contingat interdum, vt acceptam quicumque pœnitentiam, ſi ſanitatem corporis recipit, aut negligat, aut factus ſit, vt Apoſtolus ait, canis reuerſus in vomitum, qui veniabiliùs onerabatur fragilitate peccati, plectibiliùs opprimetur abuſione remedij, & dicetur illud quod Ananiæ in Actibus Apoſtolorum: Nonne manens tibi manſerat, & de promittendo in tua poteſtate pendebat? Melius eſt autem, vt ait Propheta, non vouere, quàm vouere & non reddere .... Quocirca fateor in neceſſitate poſitis non ſine metu dari debere pœnitentiam, quos ſi abſque capitalibus culpis, in vſu coniugalis copulæ dies ſuprema reperiat, vt pote rem licitam præſumentes, nec damnatione dignos putamus, nec à ſacrificio commemorationis excludimus. E contra ſi profeſſam compunctionem ſæculo retrahente vacuauerint, quaſi iam Apoſtatas, id eſt ab ſtandi firmitate deciduos, ne-*

veſſe eſt à communione ſuſpendi, cùm meliùs ſit manere intra quantulamcumque ſalutem humilitate mediocrium, quàm ipſam ſalutem ex toto deſtrui violatione ſummorum: & tutiùs inueniatur cum honeſtate in matrimonio viuere, quàm caſtitate mentita illicitis licita maculare. Ex hac enim oratione intelligitur, Sanctum Auitum loqui de pœnitentia illa, à qua qui recedit, *tanquam Apoſtata à communione ſuſpenditur*, quia *à ſtandi firmitate deciduus eſt*, ſeu deſerit ſtatum qui ex ſe perpetuus eſſe debet, in quo pœnitens caſtitatis & continentiæ voto obſtrictus tenetur, quem ſtatum Sanctus Auitus cum ſtatu coniugatorum mediocri humilique comparatum ſummum appellat, quod de lugubri, humillimáq; illa pœnitentia publica, nemo niſi demens, intellexerit, ſicut nec de ſacramentali pœnitentia, quia hæc peccatoribus neceſſaria eſt, at de qua Sanctus Auitus loquitur, eam pœnitens ille ita ſuſcipiebat, vt abſque ſalutis æternæ iactura poſſet eam non ſuſcipere, vt poterem conſilii non præcepti, cuiuſmodi eſt religioſus ſtatus, & voluntaria paupertas, ſeu votum; quod Ananias ita fecit, vt poſſet illud non facere. Idque Sanctum Auitum ſenſiſſe patet ex eiuſdem Ananiæ exemplo. Item fatetur eum qui pœnitentiæ illius remedio non fuiſſet vſus *veniabiliùs onerari fragilitate peccati*, id eſt pœnæ in purgatorio igne ſubeundæ reum teneri; meliùs eſſe eam pœnitentiam non vouere, quàm vouere, & non reddere, quod de culpæ mortalis reo haudquaquam diceret; qui eam pœni-

tentiam non ſumit *rem licitam præſumere*, nec damnatione dignum putari, ſi abſque ea moriatur, dummodò ſit *abſque capitalibus culpis*; vnde conſequens eſt, capitalis culpæ reum poſſe non eſſe, qui eam pœnitẽtiam non ſuſceperit. Addidit per illam *profeſſam compunctionem*, ſeu pœnitentiæ illius profeſſionem ſæculum ita deſeri, vt nemo niſi *Apoſtata* eam *vacuare* poſſit, ac demum qui eam pœnitentiam non ſubit, eum nihilominùs *manere intra quantulamcumque ſalutem humilitate* mediocrium.

Quæ cùm ita ſint, nemini tamen in mortis articulo ſacramentalem abſolutionem petenti negatam vnquam eſſe, aut iure negari potuiſſe non leue argumentum ex S. Auito ſumi poteſt. Licet enim de pœnitentia ſacramentali forte ibi non diſputet, ſed de ea quæ ad ſalutem minùs neceſſaria erat ad pœnæ temporalis remiſſionem plenámque indulgentiam inſtituta, qùia tamen hanc licet momentaneam & in illa vltima vitæ periodo petitam, datamque prodeſſe vult, quæque id negat *aduerſa veritati, & admodùm cruda definitio eſt*, iiſque *qui illam videntur precibus ac lacrymis poſcere, impium dicit denegare*, haud dubiè potiori iure pœnitentiam & abſolutionem ſacramentalem nemini eam humiliter petenti, ſuáque peccata confitenti denegari poſſe crediderit, *cùm apud diuinam miſericordiam vel ipſa humilitas confitentis dici non debeat fructu carere*, qui alius quàm culpæ remiſſio intelligi non poteſt, *& incunctanter credenda ſit vel ipſa corre-* XXIX.

ctionis voluntas placere, ſi vera ſit, etiamſi longa diuturnáque pœnitentia, aut etiam per Sacerdotē impoſita ſatisfactio nulla ſequatur.

Cap. XIV.

De præparatione, quæ adhibenda eſt, vt dignè quis ſacram Euchariſtiam percipiat.

Sectio Prima.

Quædam axiomata hac de re certa ſtatuuntur.

I. Qvaestionem hanc diligenter tractare mihi mens non eſt, ſed ea tantummodò quæ in vtraq; hac diſſertatione dicta ſunt breuiter commemorare, ex quibus cuilibet difficile non ſit intelligere, quis SS. Patrum hac in re ſenſus fuerit ac potiſſimùm, an qui per Sacramentum pœnitentiæ à peccatorum ſuorum mortalium culpa, & ſorde mundatus eſt, ante ſatisfactionem totam peractam Euchariſtiam dignè, ac legitimè ſumere queat. Quamuis enim aliquis noſtra diſſertatione poſteriore conuictus peccatorem ſtatim poſt confeſſionem peccati, & ſigna veræ confeſſionis idonea data ſatisfactio-

ne à Sacerdote præcepta, & accepta à pœnitente, nondum autem perſoluta, ſacramentaliter abſolui poſſe fateatur, forte tamen negabit eum tunc poſſe legitimè Euchariſtiæ participem fieri; quia ſæpenumerò Patres quo tempore agenda pœnitentia eſt, communionem negari volunt. Quamobrem id vnum hoc in capite maximè diſputo, & quæro, vtrum pœnitentiæ à Sacerdote impoſitæ actio, ſeu exequutio, cùm commodè fieri poteſt, abſque vllo prorſus ſcandalo, & pœnitentis infamia, ad Euchariſtiam percipiendam ſit præparatio vel neceſſaria, vel ſaltem vtilis, itaut pœnitenti melius ſit communionem Euchariſticam poſt ſatisfactionem illam differre, quàm hac nondum perfecta poſt abſolutionem à peccatis acceptam, piè cætero quin, & deuotè ad ſacram menſam accedere. Antequam verò hunc quæſtionis articulum tractem, nonnulla apud Catholicos certa & indubitata ex Tridentina Synodo deſumpta propono.

II. Atque imprimis ſi quis baptizatus peccati alicuius mortalis ſibi conſcius eſt, is dignè Euchariſtiam ſumere non poteſt, niſi non tantùm contritione perfecta, ſed etiam confeſſione, & quæ eam ſequitur abſolutione ſacramentali à peccato mundatus, & iuſtificatus ſit; adeout, ſi quis habitâ Confeſſoris copiâ ſe verè contritum arbitratus, confeſſionem, & abſolutionem omittat, is indignè & ſacrilegè communicet. Hæc eſt Tridentini doctrina ſeſſ. 13. capite 7. 8. & can. 11 eamque in præcepto, quod Apoſtolus tradidit, fundatam eſſe iidem

Patres exiſtimant. Quod enim Apoſtolus communicare volenti præcipit, *vt probet ſeipſum homo*, aiunt ex conſuetudine eccleſiaſtica id declarante, *eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Eucharistiam accedere debeat.* Quod hæc Patrum antiquorum mens fuerit, nolo pluribus probare. Sanctus Auguſtinus ſententiam ſuam ſatis clarè, & apertè indicat in Homilia 50. capite 4. vbi ait eum qui ſibi conſcius eſt peccatorum, quæ legis Decalogus continet, & quæ qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, conſtituto in corde iudicio, accuſatrice cogitatione, & teſte conſcientia debere mente talem proferre ſententiam, vt ſe indignum iudicet participatione corporis, & ſanguinis Domini, & pauliſper à Sanctis Sanctorum viſibilibus ſeparari, donec ſcilicet per merita obedientiæ, & per ſatisfactionem pœnitentiæ ſibi prouiderit locum in corpore Sacerdotis. Hoc enim meritum obedientiæ, & pœnitentiæ ſatisfactio alia commodè intelligi nequit, quàm qua peccator ſe Eccleſiæ clauibus, & Sacerdotis imperio ſubiicit, vt ab eo pœnitentiæ agendæ modum, & præceptum accipiat. Et S. Pacianus in parænesi ad pœnitent. *Vos*, inquit, *appello fratres, qui criminibus admiſſis pœnitentiam recuſatis: vos, inquam, poſt impudentiam timidos, poſt peccata verecundos. Qui peccare non erubeſcitis, & erubeſcitis confiteri.*

Qui cum

Qui cum mala conſcientia Dei ſancta contingitis, & altare Domini non timetis. Vult igitur peccatorem cum mala conſcientia Euchariſtiam ſumere, qui peccatum confiteri erubeſcit, idque ait, vt explicet quod de peccatoris probatione Apoſtolus præcepit.

Secundo ſiquis cæteroqui ſanctus, & iuſtus contra Eccleſiæ, ſeu antiſtitum prohibitionem, Euchariſtiam percipit, eo ipſo indignè communicat, quòd contra Eccleſiæ præceptum facit. Quamobrem ſiquis ab Eccleſia excommunicatus eſt, niſi prius illo excõmunicationis vinculo, & impedimento ſublato legitimè communicare non poteſt. Nota ſunt & vulgaria quæ de eo qui iniuſtè fuerit excommunicatus canoniſtæ dicunt. Satis modò ſit iſtud S. Gregorij Homil. 26. in Euang. *Vtrum iuſtè an iniuſtè obliget paſtor: paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt, ne is qui ſubeſt, & cùm iniuſtè forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo vel abſoluere indiſcretè timeat, vel ligare. Is autem qui ſub manu paſtoris eſt, ligari timeat vel iniuſtè: nec paſtoris ſui iudicium temere reprehendat: ne ſi iniuſtè ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat.* Quamobrem qui olim ob nonnulla crimina publicæ pœnitentiæ ſubiecti per Eccleſiaſticam, ſeu Epiſcoporum ſententiam excommunicabantur, licet ſacramentaliter à peccatis abſoluti eſſent, non poterant tamen licitè communicare, niſi poſtquam per eoſdem Epiſcopos III.

cum Eccleſia reconciliati fuiſſent. Atque ita verum eſt, non fuiſſe peccatoribus licitum Euchariſtiam ſumere eo tempore quo pœnitentiam vel publicam, vel ſacramentalem agere debebant, eſtque in vniuerſum verum, neminem poſt baptiſmum in peccatum mortale lapſum ad Euchariſtiam accedere poſſe, niſi per Eccleſiaſticam diſciplinam, per Eccleſiæ claues, & per reconciliationem Eccleſiæ miniſterio cum Deo, aut etiam cum Eccleſia factam ad illam admittatur.

IV. Tertio præter habitualem iuſtitiã, & gratiæ ſtatũ crediderim oportere eũ qui dignè cõmunicare vult, adhibere pietatem & aliquem deuotionis ſenſum, ac potiſſimùm fidei & reuerentiæ erga tam auguſtum ſacramentum, qui ſenſus pietatis ſolet manducatio ſpiritualis appellari. Quia hęc breuiter attingo, hac de re nolo pluribus diſputare. Certè Tridentinum Seſſ. illa 13. cap. 7. vult, vt chriſtianus diligenter caueat, ne abſque magna reuerẽtia & ſanctitate ad illud ſacramentũ percipiendũ accedat. Deinde non dignè illud ſumit, qui tantum ſacramentaliter ſumit, quia debet ſpiritualiter illud ſumere. At, vt idem Trident. cap. 8. ait, ille ſpiritualiter ſacramentum ſumit, qui cæleſtem panem edit fide viua, quæ per dilectionem operatur, quique ita ſe priùs probat, & inſtruit, vt veſtem nuptialem indutus ad diuinam hanc menſam accedat. Quapropter ſancti Patres, & Doctores exiſtimant pro digna Euchariſtiæ ſumptione pietatis ſenſum, & deuotionem requiri,

& qui gratus Deo eſt, eum tamen poſſe habere aliquod impedimentum communicandi. Quis enim crediderit, qui flagitium aliquod, aut immane facinus fecerit, eodem die, aut etiam poſtridiè mente adhuc commota illius recente memoria, turbatáque conſcientia, etiamſi peccatum cum contritione confeſſus fuerit, poſſe cum debita reuerentia communicare? Memineris quæ de abſtinentia etiam coniugali Patres poſtulant, ac nominatim quod S. Hieronymus in Apolog. ad Pammach. pro libris adu. Ioninian. ait. *Si per coitum quod minus eſt impeditur, id eſt, orare, quanto plus quod maius eſt, id eſt, corpus Chriſti prohibetur accipere?* Et SS. Thomas, Bonauentura, & alij ea quæ orationem impediunt, mentémque admodum diſtrahunt, communionis impedimenta eſſe volunt, háncque ob cauſam qui recenti carnis ſorde pollutus eſt, licet peccatum ritè confiteatur, & ab eo abſoluatur, eum tamen ab Euchariſtia abſtinere volunt. Adeò falſum eſt, quod recentiores iſti contra quos diſputauimus, dicunt abſolutionem ſacramentalem, & communionem Euchariſtiæ ſemper ita coniunctas fuiſſe, vt hæc illius complementum meritò cenſeri poſſit.

V. Quarto peccata venialia in ſeipſis ſpectata Euchariſtiæ ſumptionem indignam & malam non reddunt, nollem tamen exiſtimare eum dignè communicare, aut cum ea, quæ adhibenda eſt, præparatione ad Euchariſtiam accedere, qui peccata quælibet

venialia, eo ipſo quod venialia ſunt, & eorum affectus prauos ita contemneret, vt de illis expiandis nullo modo cogitaret. Nolo hæc in ſtatera Theologiæ ſcholaſticæ ſcrupuloſiùs examinare. Sed nemo prudens, & pius non damnaret eius qui ita ſe gereret, aut impudentiam, aut certè imprudentiam. Sanè is manifeſtè gratiæ Euchariſticæ obicem opponeret. Euchariſtia enim *antidotum eſt, quo liberamur à culpis quotidianis*, inquit Tridentinum Seſſ. 13. cap. 2. Ille autem eas animo fouere vellet. Deinde id Chriſtus Dominus ſuo illo facto ſatis ſignificare voluit, cùm diſcipulos iam iuſtos, hoc ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento primùm donaturus, iis pedes abluit, teſtatus Petro, *quia ſi non lauero te, non habebis partem mecum*, ſiquidem *qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus*, id eſt, qui nullius peccati mortalis ſorde pollutus eſt, mecum partem habiturus, conuiuiique mei quod eximiæ charitatis meæ amoriſque ſacramentum eſt, futurus particeps debet pedes lauare, & à peccatis venialibus quæ tanquam puluiſculi animæ noſtræ pedibus, ſeu affectibus adhæreſcunt mundari, vt plerique Patres interpretantur. Præterea hoc Eccleſiæ vſus fert, nec quiſquam niſi præmiſſâ de peccatis quotidianis pœnitentiâ Euchariſtiam ſumit. Quis autem eum qui hoc officium pietatis irriſoriè, fictéque faciat grauioris culpæ non damnet? Petrus Bleſenſis ſerm. 10. *In principio*, inquit, *ieiunij quadrageſimalis debet quis pec. ata criminalia lauare,*

purè & humiliter confiteri, in fine venialia quæ contraxit. Initio vult, vt homo confiteatur mortalia, *quia,* inquit, *aliter non proficit ieiunium,* vt pote quod quia extra gratiæ ſtatũ ſit, pro ſatisfactione non valet, licet non neget prodeſſe pro cõſequendo ſpiritu pœnitẽtiæ. At in fine vult, vt venialia confiteatur, qui nimirum Euchariſtiam in paſchate ſumpturus eſt. Apud S. Anſelmum commentator 1. ad Corinth. in cap. 11. verba hæc, *probet ſeipſum homo* ſic ait. *Rarò enim poteſt inueniri quiſquam ita magnus & iuſtus, vt in eo per diſcuſſionem non inueniatur aliquid, quod debeat eum à corpore & ſanguine Domini retardare, niſi confeſſus fuerit illud, & per pœnitentiam deleuerit .... Indignè manducat, & bibit, qui vel aliquod graue peccatum, vel multa leuia commiſit, & non confitetur ea priuſquam ad communionem accedat ..... deuoto animo, & cum timore accedendum eſt ad illum, vt ſciat mens ſe ei reuerentiam debere, ad cuius corpus ſumendum accedit.*

VI. Ne verò, vt monui, quæſtionem hanc diligentiùs tractare videar, & ſatis mihi ſit quod S. Baſilius & Iſidorus Hiſpalenſis modò ſuggerunt referre. Ille igitur lib. 1. de bapt. cap. 3. vult eum communicare indignè, non tantùm qui in carnis ac ſpiritus inquinamento ad ſancta accedit, ſed etiam qui otiosè & inutiliter edit ac bibit, eo quod non per memoriam eius qui pro nobis mortuus eſt, edit ac bibit. Præterea addit eum contriſtare ſpiritum ſanctum, qui ſine ſocia charitate communicat, id eſt,

abſque aliquo ſenſu charitatis, quo peccata venialia purgentur; nam priùs de charitate habituali fuerat loquutus, cùm eum qui Euchariſtiam ſumit, abſque inquinamento carnis & ſpiritus debere eſſe dixerat. S. verò Iſidorus lib. 1. de Offic. Eccleſiaſt. cap. 18. quod eſt de ſacrificio ex S. Auguſtino ſic docet. Niſi aliquo interueniente peccato Euchariſtiam quotidiè accipiendam quidam benè dicunt, ſi hoc cum religione & deuotione, & humilitate ſuſcipiunt. Cæterùm ſi talia ſunt peccata, quæ quaſi mortuum remoueant ab altari, priùs agenda pœnitentia eſt: ac ſic deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum. Qui enim manducat indignè & bibit, iudicium ſibi manducat, hoc eſt autem indignè accipere, ſi eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Cæterùm ſi tanta non ſunt peccata, vt non excommunicandus quiſque iudicetur, non ſe debet à medicina dominici corporis ſeparare. Qui enim peccare iam quieuit, communicare non deſinat. Quia tamen coniuges abſtinere vult, idcirco concludit pro communione eligendos eſſe aliquos dies, quibus homo viuat continentiùs, vt ad tantum ſacramentum dignus accedere poſſit. Iam monui me dicta Patrum ſingula ad Theologiæ amuſſim expendere nolle, id verò vnum ex illis confici exiſtimo, quamuis nullum peccatum veniale de ſe ſit communionis Euchariſticæ impedimentum, tamen affectum in communicante adeò prauum eſſe poſſe, vt mortalem tanti ſacramenti cõtemplum adiunctũ habeat.

SECTIO SECVNDA.

Vt quis Euchariſtiam dignè ſumat, non eſt neceſſe, vt priùs ſatisfactionem pro peccatis ſibi iniunctam peragat.

SI qua huiuſce rei neceſſitas, aut etiam vtilitas, eſſet; ea ex aliquo ex his ſex capitibus exiſteret. Primo vt peccator per ſatisfactionem illam à culpis mortalibus, aut etiam venialibus mundaretur. Secundo vt ab omni reatu pœnæ temporalis liber fieret. Tertio vt per eam acquireret illum pietatis, & reuerentiæ ſenſum, quem in communione adhibendum eſſe dixi. Quarto vt non tantùm à prauis affectibus, ſed etiam habitibus per peccata contractis purus & immunis efficeretur. Quinto vt in bonis ſuis ſtudiis, priùs quàm Euchariſtiam ſumeret, conſtans fieret, & merito ſperare poſſet, ſe in eadem peccata non ampliùs lapſurum eſſe. Sexto ne per communionem ſatisfactio pro peccatis impediretur. Nullum autem iſtorum capitum ſatisfactionis illius neceſſitatem parere breuiter oſtendo. Primum recentiores nonnulli aſſignare videntur, qui diuturnâ pœnitentiâ, nec alia quàm quæ à ſacerdote imponitur peccatorem ad Euchariſtiam præparari volunt, quia ſatisfactione illa ſalubri & congrua purgari, nec niſi poſt ſatisfactionem abſolui poſſe ſecundùm antiquam VII.

Eccleſiæ conſuetudinem & diſciplinam arbitrantur. Sed priùs refutati ſunt, & oſtenſum eſt, olim ipſos quoque publicè pœnitentes ante pœnitentiæ & ſatisfactionis iniunctæ perſolutionem ſacramentaliter à culpis ſuis abſolutos fuiſſe. Præterea ex Tridentino, vt ſuperiùs dixi, ſatisfactio illa non pro culpæ aut mortalis, aut venialis, ſed pœnæ temporalis reatu tollendo valet. Quare quantacumque culparum omnium aut mortalium, aut etiam, ſi ita placet, venialium expiatio pro digna Euchariſtiæ perceptione ſit neceſſaria, nulla ex hoc capite ſatisfactionis illius præmittendæ neceſſitas oriri poteſt.

X. Quod ad ſecundum caput attinet, fateor ſatisfactionem illam ad pœnæ temporalis expunctionem eſſe potiſſimùm inſtitutam. At vnde colligas, vt peccator dignè communicet, eum ab omni eiuſmodi pœnæ reatu liberum eſſe oportere? Id certè non docent concilia, nec Patres; cùm potiùs ex eorum doctrina conſtet Euchariſtiæ ſumptionem ſaltem quatenus eſt ſacrificij miſſæ pars, ad illam remiſſionem valere. Eámque ob cauſam frequentiorem eius vſum in quadrageſima, quæ pœnitentiæ tempus, & peccatorum reliquiis ac conſequenter reatui iſti tollendo deſtinatum eſt, antiqua Eccleſia commendauit, ſummi Pontifices pro conſequendis indulgentiis Euchariſtiæ ſumptionem ſæpenumero præcipiunt, & vt reliqua taceam, ex antea dictis clarum eſt nonnullos etiam publicè pœnitentes eo ipſo ſuæ illius pœnitentiæ temporo

aliquando ad Euchariſtiam admiſſos fuiſſe. Sed idipſum ex iis quæ addam adhuc maniſtius fiet.

Quod enim ad caput tertium, quartum, quintum, & ſextum attinet, ex nullo eorum ſatisfactionem pro digna Euchariſtiæ perceptione neceſſario præmittendam eſſe patet ex iis quæ de clericis dicta ſunt. Illi enim etiamſi commiſiſſent peccata grauia, & crimina pro quibus exauthorabantur, & de gradu ſuo deiecti inter laicos accenſebantur, aut etiam in ſeceſſione priuata pœnitentiam agebant; minimè tamen ab Euchariſtiæ communione arcebantur, & per abſolutionem ſacramentalem à culpis mundati liberè communicabant, etiamſi temporalis pœnæ, quá ſua pœnitentia redimebant, reatu, & prauis adhuc habitibus obſtricti tenerentur, tuncque nihilominus cum debita pietate & reuerentia ad ſacram menſam accedebant. Quod verò de perſeuerantia illa ſeu conſtantia dictum eſt, adeò nullum eſt, vt ſi qui obſtinatiùs cōtenderet neminem licitè communicare poſſe, niſi priùs in virtute radices adeò altas, firmaſque iecerit, & in bono conſtantiam tantam compararit, vt ſe non ampliùs in peccata lapſurum certo credere, ſibique perſuadere poſſit, is Apoſtolos, horúmque principem S. Petrum indignæ communionis accuſet. Eodem enim die quo manibus Chriſti Domini Euchariſtiam accepit, miſerrimè lapſus eſt, vt iam alibi obſeruaui. Deinde hæc in virtute animi firmitas Euchariſtiæ effectus eſt, non autem ad eam debita diſpoſitio. XI.

XI. Supereſt caput vltimum expendendum ob recentiorum doctrinam, quâ exiſtimant nullam ſatisfactionem à peccatore Deo gratiorem, pro peccatis expiandis efficacierem, maioriſque meriti exhibui poſſe, quàm à communione ſeparationem: quia, inquiunt, hæc communionis priuatio cum maxima peccatoris humiliatione coniungitur, eadem idcirco eſt Dei cultus & honor quantus ab homine illi deferri poteſt maximus; quandoquidem Deus ab humilibus honoratur, eadem quoque pœnitens maximam ſuæ cum Deo reconciliationis ſpem habet, quia humilianti ſe exaltatio promittitur. Addunt alibi hac in ſeparatione ab apoſtolis præcipuam pœnitentiæ partem eſſe poſitam; maximi momenti ſatisfactionem eſſe, peccatis quodammodò congruam, ac demum ſeparationem ab Euchariſtia ad aliquod tempus eſſe ſatisfactionem quam Eccleſia pœnitentis ſtatui maximè congruam arbitrata eſt, vt potequæ Chriſto gratiſſima, & peccatori maximè ſalutaris eſt, & quæ iſta duo veræ ſatisfactionis commoda habet, alterum quod pœna maxima eſt, alterum quod eadem eſt facillima, Id præterea habet, quod reliquas pœnas magis ſatisfactorias reddit, & ſatisfactionis cum peccato proportionem quanta maxima haberi poteſt in ſe complectitur. Hæc recentiores illi, ex quibus quàm pernicioſa conſectaria facilè & benè colligi queant, alij viderint. Quis autem timeat totâ vitâ ab Euchariſtia abſtinere, ſaltem ex confeſſarij præcepto, aut quis confeſſarius in

eiuſmodi pœna imponenda non credat ſe piè, & prudenter agere, ſi ea pœna Deo glorioſa, pœnitenti ſalutaris eſſe, & cætera illa commoda habere creditur? Quis non admodum piè & ſanctè in vindictam peccatorum eiuſmodi in pœnitentia mori ſe poſſe exiſtimet, ſéque viatico priuet, vt in humilitate iſta Deo tantopere glorioſa, ſpeíque & ſalutis ſuæ pignore certiſſimo pœnitens moriatur? Sed hæc aliaque eiuſmodi prætermitto, nec quàm fallaces eorum & nullæ rationes ſint diſcutio.

XII. Id vnum duntaxat dico hanc excommunicationem non eſſe de ſe, ſuáque natura ſatisfactoriam pœnam, quámque pœnitens in peccati vindictam à ſe volens lubénſque repetat: quemadmodum nec huiuſmodi pœna, nec ſatisfactoria eſt priuatio beatitudinis ſempiterna, aut etiam temporaria, quáque anima in igne purgatorio punitur. Cùm enim aliud ſit pati, aliud facere ſatis, nec pœna vlla ſit ſatisfactoria, niſi ſit patienti voluntaria, nec pœnitentia ipſa ſit, niſi pœnæ tenentia, ſeu aſſumptio voluntaria, tam pugnat priuationem boni meram, ſeu quę tota in boni priuatione poſita eſt pœnam, de ſua natura eſſe ſatisfactoriam, quàm repugnat eam bono vero eſſe voluntariam. Tam verò boni alicuius priuationem amare, & velle non poſſum, quàm bonum ipſum non poſſum non amare; quia qua, vt cum S. Auguſtino loquar, naturæ conſtrictione beatitudinem amo, eadem ipſius priuationem, & miſeriam odi, & quæ Dei charitas me gratiæ ipſius, ſanctitatis, & cum Chriſto vnionis intimæ amantem facit, eadem me

ab Euchariſtia ſanctitatis illius fonte, & vnionis ſymbolo cauſaque volens libenſque ſeparer impedit.

XIII. Quamobrem quoties Eccleſia peccatorem ab Euchariſtia ſeparat, toties eum non aliter, nec alio animo tractat, quàm quo Abſalonem Dauid habuit, cùm ab exilio reuocatum ad colloquium ſuum & conſpectum noluit admittere. Tantùm autem abeſt, vt ſi hæc pœna Abſaloni voluntaria fuiſſet, id Dauidi placuiſſet, vt potiùs ea voluntate grauiſſimè offenſus fuiſſet, vt quem magnopere delectauit impatientia, qua cum reditum ille ſuum per Ioabum extorſit potiùs quàm impetrauit. Si hoc ex inſtituto tractarem, facilè mihi foret multa patrum teſtimonia proferre, quibus illi pœnitentium in ſua reconciliatione procuranda tarditatem increpant. Vulgare eſt illud S. Ambroſij lib. II. de pœnit. cap. 9. dictum: *ſunt qui arbitrentur hanc eſſe pœnitentiam ſi abſtineant à ſacramentis cæleſtibus. Hi ſeueriores in ſe iudices ſunt, qui pœnam præſcribunt, ſi declinant remedium, quos vel pœnam ſuam conueniebat dolere, quia cæleſti fraudarentur gratia.* Viderint aduerſarij an non eius opinionis ſint, quam S. Ambroſius refutat, ſintque de munero eorum quos ille redarguit, qui abſtinere à ſacramentis, ſeu ſeparationem non tantùm pœnitentiam, ſed eam maximè congruam arbitrantur? Econtrario S. Cyprianus Epiſt. II. excuſat pœnitentes, qui martyribus pro pace exoranda moleſtiores erant. *Et lapſis quidem poteſt in hoc venia concedi. Quis enim*

non mortuus viuificari properet? Quis non ad ſalutem ſuam venire feſtinet? Quis ſit eiuſmodi, ſi rogas S. Cypriano, habes aliquem vnum qui in recentiorum diſciplina edoctus crediderit, nullam Deo magis glorioſam, ſibique vtiliorem, & magis ſatisfactoriam illa ſeparatione pœnam eſſe, aut poſſe intelligi.

At non fuit hic olim verè pœnitentium animus, cùm vt Tertulliani verbis lib. de pœnitent. cap. 9. & de pudicit. cap. 13. & 22. vtar, non ſolùm ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deijcere, ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctéſque ad Dominum, ſed etiam ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducti, conciliciati, & concinerati, cum dedecore & horrore compoſiti, proſtrati in medium ante viduas, ante preſbyteros omnium lacrymas ſuadere, omnium veſtigia lambere, omnium genua tenere, martyras in cuſtodiis detentos ambire, aditum carceris non ſolùm pecuniis, ſed etiam ſæpenumerò ipſius capitis periculo redimere, ad metalla confugere vt martyribus legationes deprecationis ſuæ iniungerent, pacem ab Eccleſiæ antiſtibus exorarent, & pœnâ excommunicationis remiſsâ communioni Eccleſiaſticæ reſtituerentur. Nouerant videlicet quantum malum ſit ab ea, ac nominatim ab Euchariſtia prohiberi, nec hanc ſibi ab Eccleſia negari, quàm vt pro pœna hac auertenda pœnitentiam, qua eidem offenſæ ſatisfacerent, omni ſtudio age- XV.

rent. Quemadmodum qui in igne purgatorio detenti non tam de ſua ſenſus, quàm damni pœna, déque beatitudine dilata dolorem, & quia eam benefactis, & ſatisfactoriis operibus redimere non poſſunt, quod vnum poſſunt, fideles in via adhuc poſitos orant, vt miſereantur, & ſuis ſuffragiis iuuent.

Sectio Tertia.

Eadem doctrina Patrum authoritate confirmatur.

XV. Ne hàc in parte longior ſim, lectori tantùm in memoriam reuocabo, quæ ſuperius ex Patribus attuli, vt probarem non pro quibuſlibet peccatis mortalibus, ſed tantùm nonnullis diuturnam illam ab Euchariſtia ſeparationem fuiſſe inflictam, quod tamen omnino ſeruandum fuiſſet, ſi ea pro peccatis expiandis plurimùm valuiſſet, eaque ad dignam eiuſdem ſumptionem diſpoſitio aliqua fuiſſet. Eòdem quoque ſpectant, quæcumque de abſolutione ſacramentali non ſemper dilata dixi, cùm aduerſarij non ab aliam cauſam longam hanc excommunicationem, ſeu Euchariſticæ communionis priuationem in vſu fuiſſe dicant, quàm quia non niſi ea pœna caſtigatos à peccatis abſolutos fuiſſe dicunt. Sanè ſi eiuſmodi pœna de ſe ſuáque natura

ſatisfactoria, & ad peccatum expiandum maximè commoda eſt, eam erga peccatores quoſlibet, & pro quibuſlibet peccatis ſeruari oportuit. At id eſſe falſiſſimum oſtendi.

Primo quia ſacerdotes, & Diaconi, ſi ob crimen aliquod etiam ex illis capitalibus, quæ in laicis hominibus pœnitentiâ publicâ, & excommunicatione plectebantur, depoſiti in Monaſterio, vel in ſeceſſu priuatam pœnitentiam agebant, nullo modo ab Euchariſtiæ ſumptione prohibebantur, ſed laica communione fruebantur vt ex SS. Baſilio & Auguſtino oſtenſum eſt, conſtátque ex perpetuo Eccleſiæ vſu ab apoſtolis recepto, quo illi abſque impoſitione manuum reconciliatoria agebant pœnitentiam, non quod carerent remedio ſacramentalis pœnitentiæ, & impoſitione manus presbyteri ſacramentaliter abſoluentis, ſed ea duntaxat impoſitione manus Epiſcopi, & cleri totius, qua pœnitens non cum Deo, ſed cum Eccleſia, à qua eiectus fuerat, & excommunicatus reconciliabatur, qua reconciliatione nullo modo egebat clericus, qui quidem ab officio depoſitus, déque gradu deiectus, ſed nullo modo excommunicatus pœnitentiam agebat in monaſterio, cui ſi ſe voto illo pœnitentiæ ſolennis perpetuo laicus quorumlibet criminum reus volens mancipabat, eo in ſtatu Euchariſticæ communionis fiebat particeps, vt ex Gennadio de Eccleſ. dogm. cap. 53. intelligi- XVI.

tur. *Sed & ſecreta*, inquit, *ſatisfactione ſolui mortalia crimina nō negamus, ſed mutato prius ſæculari habitu, & confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & iugi imò perpetuo luctu, miſerante Deo, ita duntaxat, vt contraria pro iis quæ pœnitet agat, & Euchariſtiam omnibus Dominicis diebus ſupplex, & ſubmiſſus vſque ad mortem percipiat.*

XVII. Secundo quia plerique peccatores ſtatim ac peccata ſua Sacerdoti confeſſi fuerant, ſacramentaliter abſoluti ad Euchariſtiam admittebantur, id de hæreticis diſertè docet Tertullianus lib. de pudicit. cap. 14. de iiſdem & ſchiſmaticis SS. Cyprianus, Cornelius, Clerus Romanus, Auguſtinus, Climacus, gradu 15. quos in diſſertatione prima cap. 8. ſect. 4. & ſequentibus laudaui. Adde præter idololatras, mœchos, & homicidas, quique peccata ea non ſola cogitatione, aut interno animi affectu, ſed etiam actu aliquo publico perpetrarant, primis illis quatuor ſæculis nullum alium peccatorem publicæ pœnitentiæ, huicque annexæ excommunicationis animaduerſione caſtigatum fuiſſe. Quare ille ſtatim ac peccatorum ſuorum quoad culpam, veniam & remiſſionem per claues Eccleſiæ acceperat, Euchariſtiam ſumere poterat, niſi fortè aliquo alio impedimento vt ex q. coniugalis vſus abſtinere debebat.

XIX. Huc pertinet hiſtoria quam apud S. Proſperum libri de dimidio temporis author, qui vt ex eo loco conſtat S. Leonis M. ætate vixit, cap. 6. refert contigiſſe Carthagine in quadam iuuencula,

iuuencula, quæ in balneo lauans impudico Veneris, ſuique aſpectu *domicilium Diabolo ſe præbuit*, eiúſque artibus per ſeptuaginta fermè dies alium cibum potúmve quam neſcio quem ſingulis noctibus per auem quandam ori ſuo infuſum ſumpſit. Deducta à parentibus ad Sacerdotem in puellarum monaſterio incluſa eſt, & poſtquam per duas hebdomadas ieiuna manſit, réſque Sacerdoti experimento certo explorata eſt, decimo quinto die dominico ad Euchariſtiam admiſſa, breuem particulam corporis Domini tinctam à Sacerdote acceptam ſemihora mandens priùs traïcere non potuit, quàm ſuggerente Diacono gutturi à ſacerdote applicito calice à Dæmonio liberata eſt. Puella hæc mortaliter haud dubiè peccauerat, & tam funeſta caſtigatione crimen eius proditum eſt, nec tamen per annos, aut menſes multos à communione repulſa eſt, ſed abſque alia quàm quæ pro re certò comprobanda viſa eſt neceſſaria morâ, facta fuit particeps communionis euchariſticæ, quam non tanquam præcipitem, illegitimam, & à diſciplina temporis illius alienam, ſed ſibi gratam eſſe Deus tam inſigni miraculo oſtendit.

Tertiò pleríque Patres peccatorem quemuis, ſi criminum illorum capitalium reos exceperis, ſtatim, protinùs, citò, & abſque mora ad Euchariſtiam admiſſum fuiſſe dixerunt Tertullianus lib. de pudicit. cap. 7. *iuxta drachmæ quoque exemplum etiam intra domum Dei Eccleſiam licet eſſe aliqua delicta pro ipſius* XIX.

drachma modulo ac pondere mediocria, quæ ibidem deliteſcentia, mox & ibidem reperta, ſtatim ibidem cum gaudio emendationis tranſigantur. Quæ autem mediocria illa delicta ſint, ibidem recenſet, iram, tumorem, æmulationem, verbum ancipitis negotiationis, ſpectaculum quadrigarij furoris, gladiatorij cruoris, ſceuicæ fœditatis, &c. S. Eligius hom. 13. *Vos etiam fratres poſt exhortationem quam habuimus ad pœnitentes, mecum admoneo, vt vnuſquiſque noſtrûm recurrat ad conſcientiæ ſuæ ſecreta, & interroget ſemetipſum, qualiter per totum annum, maximè his ſacris diebus conuerſatus eſt. Et ſi inuenerit in corde ſuo ſpinas & tribulos delictorum, ſtudeat quantociùs euellere, & euellendo eradicare ..... & ſi vel hodie puriter confeſſus, ac deuotè conuerſus fuerit, vt valeat dignus intereſſe ſolemnitati præſentis diei, quæ, quia in ea Dominus cum Apoſtolis ſuis cœnauit, cœna vocatur. Videat ſummopere vt ſacramenta corporis & ſanguinis Domini dignè recipere queat; quatenùs potiùs ſalutem quàm damnationem ſibi acquirat.* S. Eligius peccatores à publicè pœnitentibus diuerſos, & quibus ſeipſum annumerat, hortatur, vt eo ipſo die cœnæ ſeipſos examinent, & quantumuis ſint peccatorum grauium mortaliúmque conſcij, ſeu eorum tanquam ſpinarum aculeis pungantur; nihilominùs agant pœnitentiam, vt eodem die ſacramenta corporis & ſanguinis Domici dignè recipiant. Quod autem ſacramentalem pœnitentiam intelligat, facilè habetur

ex eo quod ait ibidem, *quantùm de pœnitentibus gaudendum eſt, tantùm de iſtis eſſe lugendum, qui neque ad confitenda peccata, neque ad pœnitentiam agendam conuerti dignantur.* Et homil. 15. *Quicúmque veſtrûm his quadragenûm dierum obſeruationibus pœnitentiã, & confeſſionis ſuæ debitum ſe exercuiſſe recolit, agat Domino gratias: & quidquid Templum Dei violando in ſe deſtruxerit, non deſperet, ſed citò de malo iniquitatis ſuæ conſurgat ..... ſimiliter quod dico, omnibus vobis dico: Clericis, laicis, ac ſanctimonialibus: vt quidquid ſe recolit inuidiæ, aut detractionis, odÿ quoque & fornicationis, ſiue incæſtus, vel periurÿ, cæterorúmue vitiorum contagione attactum, ſaltem hodie per diuinæ ſalutis medicamentum, in quantùm præualet ſe purificare procuret, confiteatur aduersùm ſe iniuſtitiam ſuam Domino, vt remittat impietatem cordis ſui, & reliquiæ cogitationum eius diem feſtum agent Domino.* Eodem igitur die & laicus, & clericus peccata mortalia confiteri potuit, & ab iis abſolutus, mundatúſque ſolennitatem cœnæ Domini celebrare, & conſequenter Euchariſtiam dignè percipere potuit.

Atque, vt alios omittam, hanc S. Auguſtini doctrinam eſſe facilè intelliget, qui illa quæ ex eo diſſert. 1. cap. 8. attuli teſtimonia conſiderauerit. Sermone 57. de temp. quos communionem Eccleſiaſticam ex conſcientia grauium, atque ingentium peccatorum declinare audierat, admonet, ne diutiùs differant reatum con- XX.

Digitized by Google

gregantes & remedium deuitantes, hortatúrq; vt *ſi quis conſcius criminum ſuorum indignum ſe communione Eccleſiaſtica putat, dignum ſe eſſe faciat. Dicitis quomodò aliquis dignum ſe facere poſſit? Quomodò niſi vt errores priſtinos relinquat, & pœnitentiam petat, vt qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt, exomologeſis ſatisfactione mundetur.* Id eſt, vt confeſſus peccata per ſacramentum pœnitentiæ iuſtificetur. Errones priſtinos relinquit, ſi dolet de peccatis, & emendationem vitæ proponit, pœnitentiam petit, & abſolutionem, qui peccata ſacerdoti confitetur, nec expectanda eſt longa, & diuturna pœnitentia, vt à peccatis liberetur, ſed ipſa quæ in exomologeſi partim promittitur, partim exhibetur, ſatisfactione mundatur. Quod enim in confeſſione humili & verecunda ſatisfactio aliqua ſit, ex S. Leone & Hincmaro Remenſi ſuperiùs probatum eſt. Et ſerm. 252. idem argumentũ ita tractat, vt de longa illa & diuturna pœnitentia publica nec quidem verbum faciat. *Vnuſquiſque conſideret conſcientiam ſuam, & quando ſe aliquo crimine vlneratum eſſe cognouerit, priùs orationibus, ieiuniis, vel eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Euchariſtiam præſumat accipere. Si enim agnoſcens reatum ſuum, ipſe ſe à diuino altari ſubtraxerit, citò ad indulgentiam diuinæ miſericordiæ perueniet.*

XXI. Sacci, cineris, & reliqui publicæ pœnitentiæ apparatus non meminit, pro mundanda

Digitized by Google

conſcientia; & ad Euchariſtiam dignè ſumendam à peccatore criminis alicuius reo aliud nihil poſtulat, quàm vel orationes, vel ieiunia, vel eleemoſynas, ad quæ pietatis officia quis anni, aut etiam menſis integri moram niſi omnino demens requirat? & quis vnquam dixerit eum citò ad indulgentiam peruenire, qui menſes integros eam expectare debeat? A diuino altari ſubtrahere ſe debet; quis id neget? idque debet, donec ab eo ſe crimine mundarit. Quodque abſque moleſtiſſima illa pœnitentia ad Euchariſtiam diſponi queat, idipſum ſatis apertè ibidem ſignificat S. Auguſtinus. *Non eſt*, inquit, *graue nec laborioſum quod ſuggero.... Non eſt graue quod dico fratres, quomodo viri lauant aqua manus ſuas, ſic eleemoſynis lauent conſcientias ſuas.* Homilia 50. cap. 4. redarguit eum, *qui medicinam cæleſtis diſciplinæ contemnens, noluit paulìſper à viſibilibus ſeparari.* Pauliſper tunc ſeparabatur, qui donec confeſſione peccata expiaſſet, abſtinebat à communione Euchariſtiæ, cùm eius adeò frequens vſus erat, vt plerique eam domum deferrent, & quotidie acciperent, vt colligi poteſt ex S. Hieronymo in Apolog. ad Pammachium pro libris adu. Iouinianum. *Scio*, inquit, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles Chriſti corpus ſemper accipiant, quod nec reprehendo, nec probo, vnuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundet; ſed ipſorum conſcientiam conuenio, qui eadem die poſt coitum communicant, & iuxta Per-*

Digitized by Google

ſium noctem flumine purgant, quare ad martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Eccleſias? .... Probet ſe vnuſquiſque, & ſic ad corpus Chriſti accedat: non quod dilata communionis vnus dies, aut biduum ſanctiorem efficiat Chriſtianum, vt, quod hodie non merui, cras vel perendie merear: ſed quod dum doleo me non communicaſſe corpori Chriſti, abſtineam me pauliſper ab vxoris amplexu, vt amori coniugis amorem Chriſti præferam. Sed mos ille de Euchariſtia domum deferenda notior eſt, quàm vt probandus videatur. Id ego vnum animaduerto quo modo S. Auguſtinus vult, vt qui ſe aliquo crimine polluerit, *is pauliſper* ſe à ſacramentis ſeparet, eodem quoque S. Hieronymum ſuadere, vt cõiugatus pro Euchariſtia ſumenda, ab vxoris amplexu *pauliſper abſtineat*, quod paululum quis de anno aut etiam menſe, & non vt ibidem ſignificat de die vno, aut biduo interpretetur? ſi dubitas quid per pauliſper S. Auguſtinus intelligat, audi eum vocem hanc interpretatum ſerm. 24. ex illis 40. à P. Sirmondo nuper editis. *Vſum*, inquit, *latinæ loquutionis aduertite, quia paulùm modicum dicitur, Paulo poſt videbo te, paulùm hîc expecta: Id eſt poſt modicum videbo te, modicum hic expecta*. Modicam igitur & breuem à communione priuationem illic S. Auguſtinus à peccatore poſtulat.

XXII. Denique pœnitentes publicè aliquando ante pœnitentiam peractam ex indulgentia

Eccleſiæ Euchariſtiam ſumpſiſſe ſuperiùs oſtenſum eſt differt, huius poſterioris cap. 8. ſect. 5. ex Iuone, Burchardo, Theodulfo Aurelianenſi, Nicolao I. ad Hincmarum Remenſem, ex Innocentio I. ex Capitularis Caroli M. lib. 7. cap. 143. ex Concilio Cabillonenſi, & iſto apud Egbertum Eboracenſem Archiepiſcopū 39. Africano canone. *Pœnitentes ſecundùm canones non debent cōmunicare ante conſummationem pœnitentiæ: nos autem pro miſericordia miſerantis Dei, poſt annum, vel duos, vel tres aliquibus licentiam damus*, vt ſcilicet ante conſummationem pœnitentiæ communicent. Nam tempus pœnitentiæ contrahere pro ſuo arbitrio antiſtites Eccleſiæ ſecundum canonas ſemper potuerunt, nec iſti vnquam vetuerunt, ne quibus pœnitentiæ pars aliqua remiſſa fuiſſet poſt reconciliationem indulgente Eccleſia acceptam illis Euchariſtia daretur.

XXIII. Scio multa ab aduerſaris afferri, vt probent ſecundùm veterem Eccleſiæ diſciplinā eum qui mortaliter peccauerat, ab Euchariſtia aliquandiu prohibitum fuiſſe, ſed ea omnia ſuperiùs pleniſſimè explicata ſunt, & ſoluta, cùm abſolutionem ſacramentalem poſt confeſſionem non fuiſſe ſemper dilatam probatum eſt, & oſtenſum, quæ à Patribus de criminibus nonnullis publicâ pœnitentiâ, eique annexâ excommunicatione emendatis dicta ſunt, ea ſatis incautè ad omnia peccata mortalia ab iſtis contra quos agimus ac-

commodata fuiſſe, cuiuſmodi videtur eſſe iſte Turonici Concilij tertij canon 22. *Epiſcopis & Presbyteris diligenti cantela pertractandum eſt, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confitentibus tempus abſtinendi adſcribant, vt iuxta modum peccati pœnitentibus abſtinentia indicatur, quoniam varie ab aliquibus ſacerdotibus & indiſcretè hæc indicia proferuntur.* Nec enim canon ſignificat peccatoribus omnibus indicendam eſſe abſtinentiam, ſeu prohibitionem, quod tamen vnum aduerſariis probandum eſſet, ſed conſulendos eſſe diligenter, & obſeruandos canonas, qui cum de canonica duntaxat pœnitentia à conciliis ſcripti fuerint, eaque à ſacramentali diuerſa, non omnia peccata mortalia complexa fuerit, inde fit euidens canonem illum non eſſe intelligendum niſi de illis delictis, quæ publicæ & canonicæ pœnitentiæ legibus obnoxia erant.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Duo conſectaria colliguntur.

EX dictis verò duo manifeſtè colliguntur, XXIV.
prius eſt Euchariſtiæ ſumptionem nullo pacto ſatisfactioni pro pœna peccatorum quoad culpam & pœnam æternam remiſſorum redimenda neceſſariæ aduerſari, aut vim eius imminuere. Nec enim Eccleſia presſbyteris, qui pro criminibus admiſſis pœnæ temporalis grauiſſimæ rei erant, nec ſolennis pœnitentiæ ſtatui, cuius illa ſatisfactio præcipuus finis, & inſtitutum erat, nec denique publicè pœnitentibus nondum toto pœnitentiæ debito perſoluto Euchariſtiam vltro conceſſiſſet. Præterea à Chriſtianis omnibus, qui ſaltem ob quotidiana peccata pœnitentiæ & ſatisfactionis Deo debitores ſunt, *dies ſacratiſſimi quadrageſimæ aguntur, vt in eorum obſeruantia omnes præteritæ deſidiæ caſtigentur, omnes negligentiæ diluantur, aliorúmque temporum culpas & pia opera redimant, & ieiunia caſta decoquant,* inquit S. Leo ſerm. 1. & 4. de quadrageſima. Verùm eodem ipſo tempore iiſdem chriſtianis Eccleſia olim frequentem Euchariſtiæ vſum, non tantùm concedebat, ſed etiam præcipiebat, adeò ab eius ſenſu aliena eſt hæc recentiorum opinio, qui reliqua opera pœnitentiæ omnem ſatisfaciendi vim ſuam ab illa com-

Digitized by Google

munionis priuatione mutuari arbitrantur.

De quo frequenti Euchariſtiæ vſu in quadrageſima non leue eſt iſtud præter ea quæ ſuperius à me prolata ſunt teſtimonia Nicolai I. in reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. 9. *Corpori & ſanguini dominico quotidie in quadrageſima maiore ſi deberitis communicare conſulitis. quod vt fiat Dominum omnipotentem ſuppliciter exoramus, & vos omnes vehementiſſimè exhortamur, ſi tamen mens in affectu peccati non ſit, vel ſi hanc non de criminalibus peccatis conſcientia impœnitens, vel non reconciliata fortaſſis accuſet, vel ſi fratri diſcordanti quis veſtrum ſuo vitio reconciliatus minùs exiſtat. Nam quem de horum aliquo conſcientia mordet, grauari tanto munere potiùs quàm remedium conſequi quodlibet arbitramur; iudicium enim ſibi ſecundùm Apoſtolum manducat & bibit.* Idipſum quod nos iam obſeruauimus de coniugali continentia ſubiungit.

XXVI. Poſterius conſectarium eſt, excommunicationem hanc, & Euchariſtiæ abſtinentiam, vt eam vocant, de ſe, naturáque ſua pœnæ temporali redimendæ aptam pœnitentiam non eſſe, nec vim illam ſatisfaciendi, nec ferè alia quæ in operibus pœnitentiæ inſunt commoda habere. Aduerte quod de ſe, déque natura ſua illam abſtinentiam conſidero, non vero quatenus ex obedientia alioue ſimili affectu à peccatore admitti poteſt. Satisfactionis pœnæ Tridentino Seſſ. 14. cap. 8, 9. & can. 13. commoda hæc recenſentur, & præter vim illam ſatisfa-

ciendi pro pœna temporali, ad hæc quatuor reuocari poſſunt. Primò enim hæ à peccato reuocant, & cautiores, vigilantioréſque pœnitentes efficiunt. Secundo medentur peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè viuendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Tertio valent ad amouendam imminentem à Domino pœnam. Quarto dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto conformes efficimur, certiſſimámque inde arrham habemus, quod ſi compatimur, & glorificabimur. Quod ad primum ſpectat, fateor Eccleſiam pœna illa excommunicationis homines à peccato reuocare, ſed illa pœna id cum omnibus aliis pœnis commune habet, parúmque valet apud eos, qui nonniſi Eccleſię præcepto annuo obligati ad ſacram Euchariſtiæ menſam accedunt, & aliunde conſtat, qui ſœpiùs ad eam accedit, cum debita diſpoſitione, & pietatis officiis, quæ communionem comitari oportet, eum in tota vita ſua vigilantiorem effici. Reliqua tria commoda tantùm abeſt vt in illa Euchariſtiæ priuatione inſint, vt potiùs ea omnia Euchariſtiæ ſumptio digna ſuppeditet. Euchariſtia enim, vt docet Tridentinum Seſſ. 13. cap. 11. ſpiritualis animarum cibus eſt, quo alantur, & confortentur Chriſtiani; eſt & antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur; eſt pignus gloriæ; & quia memoria paſſionis eſt, ad nos Chriſto paſſo conformandos efficaciſſima eſt. Ad auertenda iræ diuinæ flagella quantùm valeat, teſtis S. Carolus Bor-

rhomæus, qui in Concilio Prou. V. parte II. de cura peſtilentiæ iubet Epiſcopos curare, *vt omnes & ſinguli peccata confeſſi, certo dominico, alióue feſto die ſacram communionem ſanctè ſumant.* Eſtque hæc totius Eccleſiæ praxis, & ſenſus Romanorum Pontificum, qui cùm pro diuino numine propitiando indulgentias concedunt, Euchariſtię ſumptionem requirunt.

XXVII. Quod deniq; illa abſtinentia Euchariſtiæ vim ſatisfaciendi de ſe nō habeat, manifeſtè probatur ex Florentino, & Tridētino quæ cùm omnia opera ſatisfactoria diligēter recēſentilliis nullo modo meminerunt. *Satisfactio*, inquit Eugenius in decreto Florentino, *pro peccatis ſecundùm arbitrium ſacerdotis præcipuè fit per orationem, ieiunium, & eleemoſynam.* Trident. Seſſ. 14. cap. 8. 9. & can. 13. definit pro peccatis quoad pœnam temporalem Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à ſacerdote iniunctis, vel etiam ſponte ſuſceptis, vt ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus. Quòd ſi hanc Euchariſtiæ priuationem potiùs quàm ſumptionem pietatis opus appellare placuerit aduerſariis, non exiſtimo eos vnquam alteri Chriſtiano hanc loquendi rationem vt propriam, & germanam perſuaſuros. Sanè Catechiſmus Romanus ita clarè & diſertè loquitur. *Verum omne ſatisfactionis genus Paſtores docebunt ad hæc tria præcipuè conferendum eſſe, orationem, ieiunium, eleemoſynam: quæ quidem tribus bonis animæ, corpo-*

ris, & iis quæ externa commoda dicuntur, quæ omnia à Deo accepimus, reſpondent. Nihil verò aptius, & conuenientius ad extirpandas omnium peccatorum radices eſſe poteſt. Nam cum omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis ſit concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ: nemo non videt, hiſce tribus morbi cauſis totidem medicinas, priori ſcilicet ieiunium, alteri eleemoſynam, tertiæ orationem rectiſſimè opponi. Præterea ſi eos etiam qui peccatis noſtris offenduntur, ſpectemus; facilè erit intelligere, cur ad hæc tria potiſſimùm omnis ſatisfactio referatur. Hi verò ſunt Deus, proximus, nos ipſi. Quare Deum oratione placamus: proximo eleemoſyna ſatisfacimus, nos ipſos verò ieiunio caſtigamus. Ita Catechiſmus ab ipſis etiam aduerſariis magnopere & meritò commendatus.

XXVIII.

Hi verò quæſo videant, quàm illis conſentanea ſint quæ de ſatisfactione docent, primum nullum opus noſtrum ſatisfactorium eſſe, niſi à ſacerdote præceptum nobis fuerit, cùm Tridentini Patres duo alia ſatisfactionis genera nimirum pœnas à Deo inflictas, ſi patienter tolerantur, & opera ſponte ſuſcepta agnoſcant. Deinde quod aiunt ſeparationem ab Eucharìſtia eſſe Deo maximè glorioſam, peccatori vtilem, & peccatis redimendis pretium adeò congruum, vt abſque eo reliqua pœnitentiæ opera parùm, aut nihil valoris habeant. Quod enim humiliationem in ea ſeparatione aſſignant id omnino ipſi accidentarium eſt, aut certè commune cum ipſa Eu-

chariſtiæ perceptione, qua Chriſtianus indignum ſe profeſſus, cum ſacræ menſæ aſſidet, ſuámque ſummam opis illius indigentiam ſentiens, haud dubiè coràm Deo humiliatur. Denique cùm illam communionis Euchariſtiæ priuationem tantopere extollunt, videant an non ab Euchariſtiæ vſu frequenti Chriſtianos reuocent, potiùs quàm ad eum incitent, vt iubet Tridentinum, & ex eo S. Carolus Borrhomæus innumeris Conciliorum ſuorum in locis, quem quia nos omnes cum aduerſariis apprimè veneramur, & tanquam Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtauratorem ſtudioſiſſimum ſuſpicimus, idcircò decreto eius quod an aduerſarios perſtringat, alij iudicent, prolato tractatum hunc concludo. Iſtud habetur in actorum parte 1. Concil. Prouinc. 3. tit. de iis quæ ad ſacram Euchariſtiam pertinent.

Ad ſaluberrimum illum ſacræ Euchariſtiæ frequenter ſumendæ vſum, Parochi, vt primo Prouinciali Concilio iuſſum eſt, & concionatores item quàm ſæpiſſimè populum cohortentur, naſcentis Eccleſiæ inſtitutis, atque exemplis, & grauiſſimorum Patrum vocibus, & vberrima hac ipſo de genere Catechiſmi Romani doctrina, & ſententia denique Tridentinæ ſynodi, quæ optaret quidem fideles in ſingulis miſſis, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare. Quod ſiquis concionator etiam regularis aliquid contra directè indirectève dixerit, aut concionatus ſit; Epiſcopus, in cuius vrbe, diœceſive hoc ille admiſerit, etiam

tanquam ſcandalum diſſeminanti, Tridentinæ eiuſdem Synodi authoritate interdicat prædicatione verbi Dei. Ad cuius prædicationis munus ne idem reſtituatur, niſi primùm eiuſdem Epiſcopi iudicio ſatisfecerit eo ipſo loco, vbi ea in re ſcandalum & offenſionem præbuerit. Itidem pro ratione culpæ corripiantur, corriganturue, & ſatisfacere quoque compellantur, quicumque vel ſermonem habendo, vel colloquendo hoc in genere offenderint.

FINIS.

Digitized by Google

R

de

Ab

Ab

Digitized by Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM HARVM
diſſertationum.

A

ABſolutiō v. pœnit. ſacr. v. vincula. viaticum.
Abſolutio data olim ante ſatisfactionem. p.183.184
de Abſolutione differenda poſt ſatisfactionem doctrina aduerſariorum refellitur ex S. Proſpero ab ijſdem laudato. p.211.212.213.214.215
Gennadius exponitur. p.192.193.194
Fulbertus Carnotenſis. p.195
Peccator abſoluitur à vinculo quo à ſacerdote ligatus non eſt. p.198
Pœnitentiæ ſacramentalis & Eccleſiaſticæ pars formalis eſt abſolutio. p.225
Abſolutio ſacramentalis danda eſt voce reo præſenti ex Clemente 8. p 226
Abſolutio ſacramentalis iuſtificat primum non

ſupponit iuſtificatum pœnitentem. p 217.218
Ea remittit etiam venialia. p. 228
Quot peccatoris vincula totidem abſolutiones intelligi poſſunt. p 229
Quot abſolutiones totidem manuum impoſitiones illarum ſigna fuerunt. *ibid.*
An abſolutio poſt publicam pœnitentiam data fuerit ſacramentalis p. 230
Non fuit huiuſmodi nec recõciliatio cum Deo, non culpæ. quæ cauſa formalis huius dici queat. *ibid.*
Abſolutio ſacramentalis non eſt dilata diu poſt confeſſionem. p. 413
De differenda abſolutione quid ſit ſentiendum ex S. Carolo. p. 423 424.
Abſolutio ſacramentalis ſæpiùs olim data eſt, non canonica. p. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432.
Patres in contrarium prolati explicantur. p. 733. & ſequent.
Tertullianus. p. 433. 434. Origenes. p. 437 438. Clemens Alex. p. 439. Siricius 440 Ambroſius p 441. Auguſtinus p. 442. Concilium Tolet 3. p. 443.
Abſolutio ſacramentalis olim data eſt in aditu gradus tertii non in primo, aut ſecundo. p. 447 & ſequent.
De hodierna abſoluendi ab excommunicatione forma. p. 448. 449.
Abſolutio poſt publicam pœnitentiam data ſacramentalis non fuit, quia ſine conſenſu Epiſcopi abſentis non poterat dari à Presbytero, & cum eo conſenſu dabatur à Diacono. p. 355. 356.

357.358. quia pro venialibus dari non potuit. p. 371. nec Sacerdoti neceſſaria. p. 380. & ſeq. nec pro occultis Laïco. p. 382. nec impuberibus. p. 380.
Abſolutio ſacramentalis in morte à quolibet Preſbytero dari poteſt. p. 356. tunc nulla reſeruatio fieri poteſt. *ibid.*
Abſolutionem quæ peracta pœnitentia publica dabatur ſacramentalem non fuiſſe, theologicè demonſtratur. p. 284.
Illa abſolutio iuſtificatum pœnitentem ſupponebat. p. 285.
Abſolutio ſacramentalis non ſupponit peccatum veniale remiſſum. p. 291. Lege obiectionem. p. 301. 302.
Facultatis Pariſ. de abſolutionis ſacramentalis effectu, deque contritione decretum. p. 290. 291.
Abſolutio pœnitentiæ publicæ ſupponit culpam remiſſam. p. 292. 293. 294. 295. 304. 309. 310.
Ex S. Leone eſt peccatoris reconciliatio cum Eccleſia, non prima cum Deo. p. 293.
Abſolutio illa publica dicitur à S. Leone communio. p. 296.
Ab Eligio abſolutio à peccatorum vinculis. p. 299. 306. 308.
Sacramentalis abſolutionis effectus eſt pœnitentis prima iuſtificatio. p. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291.
Abſolutio in Sacramento nonniſi præſenti & verbo dari poteſt ex Clem. 8. p. 408.
Abſolutio pœnitentiæ publicæ data eſt abſenti. p. 409.
Abſolutio poſt pœnitentiam publicam data ſacras

mentalis non eſt, quia abſque illa datum eſt Eucharistiæ viaticum. p. 322. 323. 324. 329. 330. 331. 332. 333. 334.
Nunquam morienti negata eſt ab anathemate abſolutio. p. 260. 261.
Abſolutio ſacramentalis nunquam in morte negata eſt. p. 483. 484. 486 vſque ad 510.
Excommunicatio minor olim dupliciter ſublata eſt; ſcilicet abſolutione perfecta, & imperfecta. p. 261. 262. 263. 264. 265. 266.
Quare perfecta illa abſolutio dicta eſt legitima. p. 262.
Actio pœnitentiæ, v. pœnitentia. abſolutio
Anathema v. excommunicatio, lege abſolutio.
Anathema non niſi in contumaces ferendum. p. 237.
Antonius de Dominis v. pœnitentia. Peccatum veniale.

B

BAptiſmus, vide pœnitentia.
Indulgentia per Baptiſmum dicitur magna. p. 130.
Baius, vide peccatum veniale.

C

CAluinus, vide pœnitentia.
S. Carolus Borrh. v. abſolutio, Eucharistia.
Clerici, v. pœnitentia. Eucharistia.
Communio perfecta aliquando negata eſt in morte. p. 481.
An communio viatici negata fuerit, vide p. 482.
Quomodo dicitur neceſſarium. p. 485.

Turonicus Canon, de arcendis à communione peccatoribus. p. 536.
Pœnitentes quàm ardenter communionem deſiderabant. p. 525.
De frequentis Communionis obtrectatoribus, S. Carolus Borrh. p 542.
Poſt confeſſionem peccati non eſt dilata communio. p. 528. & ſeq. Hac de re hiſtoria apud Proſperum. p. 529. quid ſit pauliſper à communione abſtinere. p. 534.
De frequenti communione. p 547.
Communionis quotidianæ in domo vſus Romæ. p. 538.
Qualibet Dominica Quadrageſimæ olim communicandum erat. p 548.
Confeſſio venialium, v. veniale. remiſſio.
Confeſſio publica, v. pœnit. publ. Confeſſio facta Laïco. p 395.
Confeſſionis ſingulorum peccatorum meminit Hincmarus. p. 412.
Contritio, v. pœnit ſacram.
Conuerſi, v. pœnitentes.
Crimen aliquod magnum S. Auguſtinus agnoſcit. p. 131.
Crimen, v. peccatum mortale.

D

Diſpoſitiones, vide pœnitentia ſacram.

E

Epiſcopi, v. Indulgentias.
Euchariſtia eſt Sacramentorum finis extrinſecus. p. 322.

Peccator abſque diuturna pœnitentia poteſt Euchariſtiam ſumere. p. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207.
Clerici in ſeceſſu pœnitentes Euchariſtiam percipiebant. p. 208.
Abſolutio ſacramentalis ante Euchariſtiam neceſſaria peccatori ex præcepto diuino, in quo Eccleſia diſpenſare non poteſt. p 323. 324. 325.
Vt Euchariſtiam peccator dignè ſumat, debet ſi poteſt ſacramentaliter abſolui. p. 511.
Probatur ex S. Auguſtino & Paciano. p. 512.
Iuſtus quidem ſed excommunicatus Euchariſtiam ſumere non debet. p. 513.
Præter gratiam habitualem adhibenda eſt deuotio p. 514. 515.
De affectu venialiũ quid ſentiendũ ſit. p. 516. 517.
Non eſt neceſſaria ſatisfactio tota à Confeſſario iniuncta. p. 519. 520.
Euchariſtia valet ad remiſſionem pœnæ temporalis. p 520.
Euchariſtiæ effectus non diſpoſitio eſt conſtantia in bono. p. 521.
Pœnitentes aliquando Euchariſtiam ſumebant. p. 535.
Pœnitens aliquando ſumebat Euchariſtiam ſine abſolutione legitima. p. 345. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 367.
Euchariſtiæ priuatio, v. ſatisfactio, v. pœn ſacr.
Excommunicatio v. vinculum. abſolutio.
Eccleſia excommunicans quid vult. p. 524.
Excommunicationem ſolus tollere qui excommunicare poteſt. p. 260.
Excommunicatio maior olim tollebatur per da-

tam pœnitentiam, ſeu per actionem pœnitentiæ. p. 160.
Non cuiuſlibet criminis reus excommunicatur ex S. Auguſtino. p. 132.
Solus Prælatus excommunicare poteſt. p. 137.
Excommunicatio triplex eſt, 1 conſcientiæ, 2. minor, quæ medicinalis dicitur, 3. anathematis, quæ & mortalis. p. 139. 2 excommunicabantur pœnitentes 1. & 4. gradus, tertia qui in 1. & 2. gradu erant. p. 139 140. 245.
Prima excommunicatio probatur. p. 140. 143.
2. & 3 excommunicatio probatur. p 243. 244.
Anathematezati cum energumenis inter hyemantes. p. 244. Iidem energumeni olim erant. *ibid.*
Excommunicatio pœnitentium non erat anathema. p. 245. 246.
Mortalium peccatorum leuiorum reus ſe ſponte excommunicare debet. p. 121. 122. 123. 124.
Excommunicatio alia ſpontanea, alia coacta. p. 124. 125. 126.
Excommunicatio pœnitentiaque publica imperata, tres conditiones poſtulat ex S. Auguſtino. p. 128. locus ex eodem oppoſitus explicatur. p. 129. 130. 131 132. 133 134. 135.
An in foro pœnitentiæ reus ſemper fuerit excommunicatus. p. 198.
Excommunicatio duplex, vna per ſe, altera per Sacerdotem peccator excommunicatur. p. 198. 199. 203.
Non omnis peccator per Sacerdotem excommunicatus olim fuit. p. 199. 200.
Excommunicatio ſæuum ſupplicium à S. Leone dicitur. p. 173. 174.

Exomologeſis quid ſignificet. p. 88. Dicitur confeſſio delicti. p. 89 90.
Exomologeſis proximè antecedit reconciliationem. p. 90.

F

FInis rei intrinſecus eſt eius operatio p. 284.
Finis intrinſecus, extrinſecus, v. pœn. ſacr.
Fulbertus, v. abſolutio.

G

GEnnadius, v. abſolutio.
Gradus, v. pœnit.
Græci Sacerdotes, v. Euchariſtia.
Græci Sacerdotes ſine confeſſione celebrantes, an excuſari poſſint. p. 326.
S. Gregorius docens non niſi iuſtificatum à Sacerdote abſolui poſſe exponitur. p. 317. 318. 319.

H

HÆretici, v. pœnit. publ.
Homo purus, v. ſatisfactio.

I

Peccator impetrare poteſt, non mereri, aut ſatisfacere. p. 250. 251.
Quare ſoli Epiſcopi concedunt indulgentias. p. 258.

L

LOcum amittere quid ſit. p. 482.
Ludouicus Pius, v. pœnit. ſolenn.
Lutherani, v. pœnitentia.

M.

MAgiſter negans culpam à Sacerdote remitti exponitur. p. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316.

Manus impoſitio in genere eſt benedictio. p. 267.

Manus impoſitio nulla eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ. p. 268.

Impoſitio manuum in publica pœnitentia quadruplex. p. 273. 274. 1. dabatur pœnitentia. 2 in pœnitentes ſæpiùs fiebat. 3. erat imperfecta reconciliatio. 4. perfecta. p. 274. 275. 276. 277.

Impoſitio manus in pœnitentes facta, etiam à Clero, p. 359. etiam à Laïcis. p. 360. 361. 362.

Manuum impoſitio, v. abſolutio.

Impoſitio manuum alia quàm publica fuit. p. 176.

Monaſterium, v. pœnitentia.

N

NEctarius, v. pœnit. publ.

Nouati errores primi. p. 484. non negabat pœnitentiam internam, ſed ſacramentalem & communionem. p. 487.

Nouatiani, v. pœnitentia.

O

OPera bona ante iuſtificationem facta diſpoſitionis non meriti propriè rationem habent. p. 251.

Operis boni fructus triplex, impetratio, meritum, ſatisfactio, quæ differunt. p. 250.

Origenes explicatur, v. pœnit. publ.

P

Reatus Pœnæ temporalis penitus diuerſus eſt à reatu pœnæ æternæ. p. 233.
Pœnitentia perpetua eſt vita chriſtiana. p. 1.
Quare id fiat ex S. Auguſt. p. 3.
Pœnitentia Chriſtiani duplex, prior pro quotidianis delictis tota vita durare debet ex S. Auguſt. p. 41. 42. poſterior pro mortalibus peccatis, *ibid.* & dicitur tertia ab Auguſt. p. 42.
Pœnitentiæ Sacramentum, v. manus impoſitio, v. Nouatus.
Sacramenti pœnitentiæ materialis pars eſſentialis & integrans eſt duplex. p. 385.
Contritio & confeſſio eſt & eſſentialis pars & integrans. p. 386. 387.
Sacramenti pœnitentiæ finis intrinſecus & extrinſecus quis. p. 321.
Pars eſſentialis, integrans, v. pœnit. ſacram. ſatisfactio.
A S. Leone actio pœnitentiæ dicitur medicina, remedium, præſidium etiam phrenetico dat Dei indulgentiam, criminum remiſſionem, ſpem vitæ æternæ, dicitur & ſatisfactio. p. 293. 294. 295. 296.
An inter diſpoſitiones notas Sacerdoti ſit perſeuerantia pœnitentis. p. 421. 422.
Pœnitentiæ impoſitæ actio non eſt neceſſaria pro ſignificanda Sacerdoti interna peccatoris diſpoſitione. p. 419. 420.
Pœnitentia nulli in morte negata eſt. p. 483. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. & ſeq.
Pœnitentia nunquam negata eſt, etiam negato viatico. p. 340.

Totius Sacramenti pœnitentiæ finis & effectus proprius eſt plena peccati remiſſio. p. 286.
Satisfactio eſt pars eſſentialis & integrans p. 388.
Eſſentialis in contritione & confeſſione includitur, *ibid.* & p. 389. hæc antecedit abſolutionem, *ibid.* quæ hanc ſequitur, eſt tantùm integrans, *ibid.* & ſeq.
Satisfactionem in contritione & confeſſione includi probatur. p. 390. 391. 392. 393. 435.
Hæc dici poteſt iniuncta. p. 391.
Inde confeſſio facta etiam Laïco. p. 395.
Satisfactio ante remiſſionem culpæ aliqua exigitur. p. 597.
Satisfactionis à Sacerdote impoſitæ actio ſequitur abſolutionẽ, acceptatio antecedit. p. 399. 400.
Illa actio ſupponit peccatum quoad culpam remiſſum, & valet tantùm pro redimendo reatu pœnæ temporalis. p. 401. 402. 403. 404.
Pœnitentiæ ſacramentalis hodiernus vſus de non differenda abſolutione ex S. Eligio. p. 300.
Ex S. Ambroſio. 307. 309. 319 374.
Per pœnitentiæ actionem ab Eccleſiæ Miniſtris datur indulgentia Dei ex S. Leone p. 294.
Pœnitens, v. Euchariſtia, v. viaticum.
Status ſolennis pœnitentium erat perpetuus p. 80. erant diuerſi à Laïcis, *ibid.* & p. 85. Induebant habitum religioſum, ſanctimonialẽ, *ibid.* & p. 81. erat pulla veſtis, p. 85. cingulum, & pallium, p. 85. iſti pœnitentes à publicis diuerſi erant, p. 81. 82. 83.
Pœnitentium iſtorum exempla in Vuamba, & Ludouico pio. p. 83.
Venerabilis Tonſuræ ſacrum ſignaculum accipiebant. p. 83.

Ludouicus pius vtroq; modo pœnitens fuit, p. 84.
Pœnitentes ſpontanei non cogebantur ad confeſſionem publicam. p. 86. 87.
In pœnitentia publica imperata erat publica confeſſio delicti. p. 8 . & ſeq. 92. 93. 94. 95 96. 360. ea non erat confeſſio ſacramentalis, p. 88. & ſequentibus.
Pro peccatis ſecretis publicam pœnitentiam imperari non poſſe probabile eſt. p. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. & ſeq.
Pœnitentia canonica eſt, vt fiat ſatis Eccleſiæ ex S. Auguſtino. p. 132.
Non pro quolibet crimine, *ibid.* ex S. Auguſtino cuius locus explicatur. p. 133.
Pœnitentiæ grauioris tria olim genera fuerunt. p. 44. fuit 1. imperata. 2. conceſſa. 3. ſolennis. 1. & 2. duplex fuit. p. 45.
Imperata probatur ex Tertull. p. 46. SS. Ambr. Auguſt Eligio, & aliis. p. 47.
Conceſſa pro conſequendis indulgentiis fuit. p. 48. 49.
In hac confeſſio publica fiebat ex conſilio pœnitentiarii. p. 49. ex Origene, qui explicatur contra recentiorem. p. 50. 51.
Pœnitentia voluntaria probatur ex S. Ambr. p. 51. ex S. Auguſt. p. 52. ex S. Leone, & Innocentio I. p. 53. ex Conc. Tolet. 13. pag. 54. & ſeq. Talis fuit pœnitentia Fabiolæ. p. 56. eo exemplo abutuntur recentiores. p. 57.
Hæc pœnitentia ſpontanea à Nectario abrogata eſt. p. 58. 59.
Pœnitentia publica duplex fuit, vel coram plebe, vel clam. p. 62.
Digitized by Google

Secretior iſta probatur ibidem ex Chriſto. Auguſtino. p. 63. & aliis. pag. 65.
Pœnitentia Clericorum ſecretior fuit. p. 66.
Pœnitentes Catechumeni, & infantes baptizandi ſicut & fideles dicuntur. p. 2.
Pœnitentia diſciplinæ eccleſiaſticæ fibula. p. 4.
Lutherani rigidiorem pœnitentiam voluerunt mitiorem Nouatiani. p. 4.5.6.
Pœnitentiæ Sacramentum eodem ſemper modo adminiſtratum eſt. p. 7.
Abſque pœnitentia externa nemo peccator iuſtificatur. p. 11. 12. 13.
De pœnitentia interna Eccleſiæ quid Lutherus ſentiat. p. 14. 15. quid Caluinus. p. 16. 17. 18. vt infamat Ieſuitas. p. 16. quid M. Ant. de Dominis. p. 18. vſque ad 23. quid de eadem recentiores. p. 23. vſque ad p. 26.
Pœnitentiam publicam pro grauioribus duntaxat, & publicis criminibus olim imperatam fuiſſe. DD. Catholici communiter docent. p. 27. Magiſter ſent. p. 28. S. Thomas, *ibid.* Gratianus p. 29. Gropperus p. 31. S. Carolus p. 32. & ſeq.
Pœnitentiæ cauſa materialis, finalis, formalis ex Tertull. p. 35.
Pœnitentia publica duplex, ante & poſt Baptiſmum. p. 36.
Pœnitentiæ ante Baptiſmum ritus ex S. Auguſtino p. 36. 37. ex Tertull. p. 39. ex timore ſeruili concepta ſufficit, *ibid.* & p. 39.
Pœnitentia baptizatorum valet pro pœna temporali quæ ſupereſt redimenda. p. 40. 41.
S. Leonis dictum de pœnitentia Clericorum expenditur. p. 66. 67. 69. 70.

Sola pœnitentia omninò publica irregularitatem relinquebat, p. 67. tuncque quando fuerat imperata. p. 69. 71.
Preſbyteri pœnitentes non ſemper erant excommunicati. p. 70.
Pœnitentia Laïcorum in monaſterio. p. 71. 72.
Status pœnitentium & conuerſorum in Monaſterio quis fuerit. p. 73. 76. de eo S. Leo explicatur. p. 77. 78. Concilia, 79.
Illos cum Monachis malè confundit Aurelius. p. 73.
Eorum priuilegium. p. 74. 75.
Pro quolibet peccato mortali & crimine publicam pœnitentiam olim imperatam quibus argumentis probent nonnulli. p. 190. 191. 192.
Pœnitentiæ eccleſiaſticæ gradus quatuor. p. 269.
Pœnitentes 1. & 2. & 3. gradus nullam manus impoſitionem accipiebant. p. 277. 278.
In 2. 3. & 4. impoſitione partem aliquam habebant etiam Clerici & Laïci. p. 278. 279.
Quarta impoſitio nunquam data eſt ſine conſenſu Epiſcopi. p. 280. ea data eſt à Diacono p. 281.
Prima impoſitio & pœnitentia data non legitur niſi à Preſbytero aut Epiſcopo. p. 282. 283.
Pœnitentes & conuerſi erant tertii gradus. p. 270.
Quartus gradus erat ſæpè irregularium. p. 273.
Sine primo gradu aliquando adibatur ſecundus, & ſine ſecundo tertius, & ſine tertio quartus. p. 271. & à ſecundo ad quartum. p. 272.
Semper genu flexo orabant, quo habitu. p. 70.
An crine tonſo. p. 270. 271.
Ob ſola crimina publicè imperata fuit olim pœnitentia publica. p. 151. 152. 153

Sola publica grauiora & ſcandaloſa publicè pœnitentia puniebantur. p. 154. 155. 163. 164. de quo S. Auguſt. p. 165. 166. 167. 168. vſque ad 172. 176. 177. 178. 219. 220.
Hæretici olim non ſubiiciebantur pœnitentiæ publicæ. p. 155. 156.
Nec ſchiſmatici. p. 157. 158 159. 161 166.
In tria tantùm crimina idololatriæ, homicidii, & mæchiæ olim pœnitentia publica eſt animaduerſum. p. 158. 159. 160. 161. 162. 169. 176. 505.
Tertullianus ab aduerſariis laudatus ipſoſmet refellit. p. 161.
S. Baſilius productus ab aduerſariis explicatur. p. 161.
Vſurarii olim non ſubiacebant pœnitentiæ publicæ. p. 161. 162. 165.
Publica pœnitentia poſt quartum ſæculum rigidior fuit. p. 172.
Pro ſolis grauioribus criminibus inflicta fuit, ſeu in magni reatus vltionem ex S. Leone. p. 173. ex Eligio. p. 181. 182. 183. 184. 188. 189.
S. Cæſarius ab aduerſariis laudatus in eoſdem adducitur. p. 177. 178. ab aduerſariis mutilatus. p. 192.
Pœnitentia pro peccatis poſt Baptiſmum factis triplex, prima pro minutis, ſecunda publica, tertia pro mortalibus non publica ex Sancto Eligio. p. 180. & ſeq.
De pœnitentia doctrinam recentiorum refutat. S. Eligius. p. 185.
Pœnitentes publici duo tantùm in Eccleſia Nouiomenſi tempore S. Eligii erant p. 180. pauci

tempore S. Auguſtini. p. 381.
At tunc non tam rari erant peccatores. p. 381. 382. 383.
Nullus preſbyter pœnitentes reconciliare legitimè potuit. p. 365. At potuit ſacramentaliter abſoluere. p. 366.
Vinculum pœnitentiæ iniunctæ tollitur per Antiſtites conceſſis indulgentiis. p. 257.
Status Pœnitentium, v. pœnitentia ſolennis.
Quare peccatorem non niſi poſt longam pœnitentiam Euchariſtiam vſum accepiſſe dicunt recentiores. p. 137.
Pariſienſis Facultas, v. abſolutionis effectus. Petrus de Oſma.
Peccata quædam de ſe mortalia, & quædam venialia. p. 97. 98. 99. & 102.
Peccatorum mortalium apud PP. nota. p 105. n. 7. & 8.
Mortale quodlibet aliquando crimen appellatum à PP. probatur. p 105.
Crimen aliquàndo dicitur ſolummodò illud quod grauius eſt. p. 106. p. 117. p. 118. ex S. Cæſario Arelat. Ita & peccatum capitale. *ibid.* & p. 119.
Triplex duntaxat crimen & peccatum mortale idololatriam, homicidium, & mæchiam vt pote pœnitentiæ publicæ materiam agnoſcit S. Pacianus. p 112. 113. Tertull. p. 114. 115. 116.
Peccatum actiuum & originale ex S. Auguſtino. p. 129. 130.
Peccatum quod crimen non eſt, ex S. Auguſtino. p. 131.
Peccati mortalis notæ ex S. Auguſt. p. 42. & ſeq.
Nonnulla

Nonnulla mortalia de ſe à PP. appellata venialia, quotidiana, 99. 109. 110. 111. 112. 113. 118.
Error Baii & Ant. de Dominis circa peccata venialia. p. 98. 99. obiectio Antonii, p. 101.
Venialia de ſe quænam ſunt, 100. 101.
Veniale contemptum fit ne mortale ex S. Auguſtino. p. 103.
Petri de Oſma propoſitiones à Sixto 4. & Facultate Pariſienſi damnatæ, p. 384. 385.
Polygamia inquinamentum Eccleſiæ, p. 273.
Preſbyter, v. pœnitentem.

Q

Quadrageſima deſtinata ſatisfactioni, p. 537.
In ea frequens vſus Euchariſtiæ, p. 538.

R

Reatus, v. pœna, v. remiſſio.
Reatus culpæ & pœnæ æternæ ſola remiſſione tollitur, p. 251.
Eum Eccleſia tollit tantùm abſolutione ſacramentali vt & indignitatem communionis, p. 252.
Reatus pœnæ temporalis tollitur tribus modis, per Sacramenta, ſacrificium Miſſæ, indulgentias, 253. 254. 255.
Peccatorum reatus ſolutio triplex eſt, remiſſio, ſatispaſſio, ſatisfactio, quæ quomodò differant vide, p. 247. 248.
Quomodo in Sacramento pœnitentiæ tollitur reatus pœnæ temporalis, p. 256. 257. 258.
Reconciliatio duplex cum Deo prior & poſterior cum Eccleſia ex S. Eligio, p. 297. 298. 299.
Id probatur ex Lazari reſurrectione, p. 302.

Nn

303. 304. 305. 311. 312. 313. 314. 315.
Remiſſio occultorum & venialium peccatorum per Sacramentum confeſſionis ex S. Auguſtino probatur, p. 129.

S

SAcramentum pœnitentiæ, v. pœnitentia.
Satisfactio de ſe optima non eſt Euchariſtiæ priuatio voluntaria, p. 522. p. 523. & ſeq. p. 538. commoda operum ſatisfactoriorum non ſunt in illa priuatione, p. 539. 540.
Pœna quæ eſt mera priuatio boni de ſe non eſt ſatisfactoria, p. 523.
Satispaſſio eſt tantùm in purgatorio, hîc eſt remiſſio, vel ſatisfactio, p. 249.
Satisfactio non niſi iuſti eſt, p. 249. 250.
Satisfactio, v. remiſſio, v. Euchariſtia.
Quare purus homo pro alio ſatisfacere poteſt non mereri, p. 253.
Communio ſatisfactionis vim non minuit, p. 537. & ſeq.
De opere ſatisfactorio doctrina quorumdam refellitur, p. 541.
Schiſmatici, v. pœnit. publ.
Status hominis duas conditiones habet ex Diuo Thoma, p. 75.

T

TRidentina Synodus de Sacramento pœnitentiæ agit exactiſſimè, p. 150. 151.
Sacramentalem pœnitentiam à publica omnino diſcernit, p. 150.
Antiquam de pœnitentia publica diſciplinam renouat, p. 150. 151.

V

VEnialium peccatorum confeſſio ſacramentalis olim in vſu fuit, p. 372. & ſequentibus.
Viaticum à Greg. Nyſſ. dicitur communio ex neceſſitate, p. 334.
Pœnitens accepto viatico manet, p. 334. conciliatur Greg. Nyſſ. cum Nicæna Synodo, p. 334. 335. 336. 337. 341. 342. 344.
Viaticum non conſulto Epiſcopo datum, at non abſolutio legitima, p. 338. 363. 364.
Nemini morienti viaticum negandum ex Nicæna Synodo, p. 333. aliquando negatum eſt, p. 338. 39. 340. 341. explicatur Innocentius, p. 343.
Vinculum peccati mortalis per ſe eſt quadruplex, p. 232. primum culpæ, 2. pœnæ æternæ, 3 cuiuſdam excommunicationis, 4. pœnæ temporalis in quam æternæ mutatur, *ibid.*
Vinculum pœnitentis eccleſiaſticum duplex, prius eſt pœnitentia iniuncta in Sacramento, poſterius proprium publicæ pœnitentiæ, eſtque excommunicatio maior vel minor, p. 234. 235. 236. maior dicitur anathema, *ibid.* & 237.
Vinculum peccati mortalis quid ſignificat, 231.
Duplex eſt in genere, 231.
Vſurarii, v. pœnit. publ.

FINIS.

ERRATA PRÆCIPVA.

PAgina 4. v. dæ, l. fibulam. p. 10. v. ſtionis, l. ſtatum. p. 22. v. vnum , l. aduerſarium. p. 34. v. cuius, l. qui. p. 47. v. cta, l. diuturnæ p 65. v. ſiæ, dele ſacramentalem, p. 83. v. ſia, l. quod. p. 91 v. bro, cui, l. ait. p. 100. dele non. p. 103 v. contem. l. Deique. p 105. v. ad quod, lege ac. p 117. v. ſum, l. arbitretur. v. nendas, l. rendas p 122. v. ipſe, l. ſeueritate p. 126 v. ſaltem, l. ſalutem. p. 170. v. vel, l. vt vel. p. 175. v. dat l. veluti. v. cati, l. vindictam epiſtola. 12. l. 91. p. 195 v. ſel, l. recenſeat. p, 195. v rum, dele non. p. 204 v. cere, l. aſpicio. p. 207. v. hil. dele ex p. 210. v. riſſimis, lege à me p. 219. v. modi, l. tunc. pag. 240. omiſſi ſunt numeri 241. 242. p. 243. v. re illis, l. multorum p. 245. v. non mo, l. verum. v. 249. v. cati, l. nolens. p. 251. v. vlta, l. vlla poſt. p. 257. bis repetiti ſunt numeri 257. 258. p. 263. v. ne verò, l. & vtprobem. p 273. v. nitus, l. elueretur. p 285. v. ſupp. l. pœnitentiæ. p. 298. v. admittit, l. credat niſi p. 338. v. ſtatit, l. geſſerant. p. 346. v. & imp. l. quà, p 354. v. eluc. l. elucet. p. 364. v. potui, l. potuit. v ſoluat, l. ſoluatur. p. 3 6. v. eam, l vult igitur p. 384. v. fac, dele pro me p. 394. v rum, pro de, l. &. p. 398. v. nuiſſe, l. quod. p. 401. v aiunt, l. niti dogmate, v. diſtincto, l. deſtructo. p. 408. v. ritus, l. abſolutio. p. 410. v. rationis, l ex eius. poſt p. 415. pro 430. l. 416. p. 430. v. pœnit. l. dare, v. commun. l. reſtitui. p. 432. v. intell. l. ſacramentali. p. 435. v. rarè, dele vt. p. 449. v. negat, l. 91. p. 523. v. factor, l. viro. v. ctione, l. amo.

Digitized by Google

Digitized by Google